36
9 E
27

4 4 4

[illegible]
[illegible] Bibliop. [illegible]

571

1

K

36.9.E.27

Q. AVRELII SYMMACHI, V.C. P.V. ET COS. ORD. EPISTOLARVM AD DIVERSOS LIBRI DECEM.

Ex Bibliotheca Cœnobij S. Benigni Diuionenſis, magna parte in integrum reſtituti.

Cura & ſtudio Franciſci IVRETI, cuius etiam Notæ adiectæ ſunt, quibus & emendationum ratio redditur, & aliquot cùm huius, rum aliorum auctorum loci obiter illuſtrantur.



PARISIIS,
Apud Nicolaum CHESNEAV, via Iacobæa, ſub Quercu viridi.

M. D. LXXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

36.9.E.27

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAr grace,& priuilege general du Roy, donné & octroyé à Nicolas Cheſneau, Libraire Iuré en l'Vniuerſité de Paris, pour imprimer tous & chacuns les liures & traductions qu'il recouurera non encor publiees & imprimees, il eſt defendu à tous autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaume, de n'imprimer, védre ou diſtribuer en cedit Royaume ce preſét liure intitulé: *Q. Aurelij, Symmachi, V.C. P. V. & COS. ORD. Epiſtolarum ad diuerſos libri decem, &c.* ſinon de ceux qu'aura imprimé ou faict imprimer ledict Cheſneau, ou de ſon conſentement, iuſques apres le temps & terme de ſept ans finis & accomplis, apres la premiere impreſſion: à peine de confiſcation de ce qui ſ'en trouueroit d'imprimez ou venduz au contraire, & d'amende arbitraire: comme plus amplement eſt declaré par les lettres dudict Seigneur ſur ce donnees à Paris le 30. de May, 1567.

Signees, ROBERTET.

Acheué d'imprimer la premiere fois, le 16. Auril 1580.

GVLIELMO FORNERIO REGIO APVD AVRELIAM CONSILIARIO, ET ANTECESSORI CLAriſſimo, FRANC. IVRETVS S.

QVO animo diſceſſum meum tuleris (Forneri clariſs.) qui te mirificè ſemper dilexi, multáque relligione colui ſuſpexíque, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam auſim dicere. Ego verò mētior, niſi adeò grauiter affectus fui, poſtquam vis neſcio quæ maior à te me reluctantem diuulſit, vt vix vllus candidus dies oculis illuxerit. Accendebat etiam ægritudinē, Minois mei ſuauiſsima recordatio, cum quo iucundiſsimè antea vixeram, &, ſi malè iudicātia fata voluiſſent, vixiſſem adhuc. Quid enim gratius ac optabilius contingere poterat, quàm conſpectu veſtro, virorum dico virtutum, litterarúmque omniū auidiſsimè defrui? At mihi tam beato, beato eſſe diutius non licuit. Tibi certè, poſtquam à te diſceſsi, fœlicius omnia cecidère. Nam tu ſolus Minois noſtri aſpectu expleris. Et cùm inter nos nihil melioris rei diuidi amor æquus ac mutuus ſinat: tu tamen conuictus,

oculorum, ſermoniſq; fructu paſceris. Ego abſens illius imagine ficta & adumbrata valde afficior, affectuſq; miſerè conficior. Interea, dũ dolori medicinam facere cogor: nihil antiquius habui, quã ad certiſſima Muſarũ ſolatia recurrere. Nihil quippe tam lætum eſt, quod ſtudijs ſit lætius; nihil tã triſte, quod non per hæc minus triſte fiat. Quid aliud conſilij cœpiſſem? Solent qui à Scorpionibus icti ſunt, medelam ab iiſdẽ petere. Cũ igitur ſentirẽ, me nõ alia ratione dolere, niſi quia mellitis tuis leporibus carerẽ: volui doloris ſenſum nõ diſſimili ſenſu fallere. Nam ad veteres auctores properaui, qui me ſuis ſcriptis conſolati ſunt. Sed eorum muta colloquia, languidiore via ad me veniebant. Tua verò viua vox altiùs animo inſedebat. Vtcunque tamen ſe res habeat, eſt quod ingenuè fatear, me Symmachi Manibus plurimũ debere, qui acerbitatẽ animi lenitudine orationis ſuæ fregit ac molliuit. Scio quidẽ pro tuo candore (clariſſime Forneri) hìc te quæſiturũ qua ducente fortuna, vel ſuadente magis numine, iampridẽ deſideratus Symmachus in meas manus venerit. Dicam ingenuè, modò ne tam iniucũda narratio tibi lachrymas exprimat. Hunc in puluere ſordido deliteſcentẽ vel computreſcẽtem potiùs nemo noſtrorum, vultu, ſermone, domo dignabatur. Nam æternis quodammodo vinculis damnatus, aſſiduus catenarũ colonus in hunc vſque diẽ vixerat, ſi tamen ille viuit, qui vitam viuit acerbiſſimã, cuíque vita ſupplicium eſt. Quæ malum ratio, innocentes tetro

ſqualore carceris atterere, cùm vetent legū formulæ ipſos etiā ſeruos (liberorū hominū fortunæq; ludibria) perpetuis nodis detineri? Hāc ſanè iniuriā contumeliæ proximā illatā Senatori, Pontifici, Conſuli, Præfectoq; vrbi æternæ, auguſtiſſimæ, ſacratiſſimæq;, nemo, opinor, ſiccis oculis leget, nemo æquis auribus audiet, nemo ore placido & inconcuſſo narrabit. Creſcit ex dignitatis gradu, vitæq; merito atrocitas iniuriæ, & in vnius Symmachi læſione, multa dignitatū nomina ſimul violata fuerunt. Quid, quòd Librariorū incuria, in modum Penthei diſcerptus, maiore ſui parte circunferebatur, næuis multis deturpatus, & cicatricibus ita confoſſus, vt faciem ipſam in ipſa facie planè non agnoſceres, eodem errore, quo apud Paulinum qui fœlicem rogant & quæritant,

—fœlix vbi cernitur, & non
Cernitur ipſe, nec ipſe vir eſt, cū ſit propè lōgè eſt
Ignotus, notúſque ſuis.—

Verùm cùm ea turpitudo vehemēter animū vreret, quieſcere nunquam potui, quin ille ſua per me iura poſtliminio reciperet, ſuæq; litaret iniuriæ, qui perierat ne periret. Quāquam me non fugit (Forneri clariſſime) futurū longè fœliciorē, ſi me relicto, cumprimum ſacraria Muſarū tuarū acceſſiſſet, vt mea me meliùs opera defungereris, qui veteres ſcriptores, maiorumq; gentiū negligētia corruptos ſingulari iudicio reſtituis. Sed habere vidētur ſua fata litteræ. Adhæc, ſic ille debilitatus erat, vt ad te proficiſci intutis ciuili

latrocinio itineribus non potuerit. Sic denique æger & languidus, vt medendi moras reijceret, ſtatímque mallet crudis, rudibúſque manibus meis valetudinē ſuā credere, quàm cū moleſto morbo luctari diutiùs, & ſalutarem opem Æſculapij vel Aſclepiadis expectare. Sera quidem dolorum remedia doloribus ſæpe duriora ſunt. Quamobrem relligione & pietate victus, auctori condolui, neque paſſus ſum extraria illū remedia conquirere, quæ domi cōferre poteram. Nunc itaque cùm ſalua ſint ferè omnia, cùmque labori meo patronus ex moris conſuetudine deligendus ſit: quid aliud reſtat, quàm vt hæc monumenta in ſinum tuū confugientia complecti digneris? Cùm enim nullius boni ſine ſocio iucunda poſſeßio ſit, honeſtißimè facturum me credidi, ſi breui manu Symmachū ad te mitterem, quem in deliciis te habiturū auſim mihi polliceri. Nam vt eius virtutes & elogia prætermittam, quæ ſatis per ſe clareſcunt, erit mihi tanquam proxeneta vel pararius conciliandæ confirmādæq; tuæ erga me amicitiæ. Sed iam mihi cautio eſt longiore verborum circuitu tuas aures obtūdere, cui linguis fauendum eſt, ne amica ſeriáque tua cum hoſpite rediuiuo colloquia interpellem, quorum inardeſcit deſiderio, quibúſque ſibi magis quàm vlla viatica cœna gratulabitur. Vale, vir clariſsime, méque ama, ſi mereor, qui te tale nihil expectantem, hoſpite tam venuſto, támque erudito beauerim.

DE SYMMACHIS
TESTIMONIA VETERVM ALIQVOT ET RECENtiorum Auctorum.

Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius lib. V. Saturnal. Cap. I.

QVATVOR ſunt, inquit Euſebius, genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frõroni adſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.

Aurelius Prudentius lib. I. contra Symmachum.

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipſe
Tullius; has fundit diues facundia gemmas!
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui ſordida monſtra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter, quàm ſi roſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum verſare ſolum, limoque madentes
Excolere aureolis ſi fortè ligonibus vluas,
Splendorem dentis nitidi ſcrobis inquinet atra,
Et precioſa acies ſqualenti ſordet in aruo.
Non vereor ne me nimium confidere quiſquam
Arguat, ingeniíque putet luctamen inire.
Sum memor ipſe mei, ſatis & mea friuola noui.
Non auſim conferre pedem, nec ſpicula tanta
Indocilis fandi coniectis laceſſere linguæ.
Illæſus maneat liber, excellénſque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.

Idem in Præfatione lib. 2.

Sum planè temerarius,
Qui noctis mihi conſcius,
Quam vitæ in tenebris ago,
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri,
Quo nunc nemo diſertior
Exſultat, fremit, intonat,
Ventíſque alloquij tumet,
Cui merſare facillimum eſt
Tractandæ indocilem ratis.

Et alio loco.

Talia Principibus dicta interfantibus, ille
Proſequitur, magníſque tubam cõcentibus inflat.
Allegat morem veterum.—

Ammianus Marcellinus libro 27.

SYmmachus Aproniano ſucceſſit, inter præcipua nominandus exempla doctrinarum atque modeſtiæ, quo inſtante vrbs ſacratiſſima ocio copiíſque abundantiùs ſolito fruebatur, & ambitioſo ponte exſultat atque firmiſſimo, quem condidit ipſe, & magna ciuium lætitia dedicauit ingratorum, vt res docuit apertiſſima: qui conſumptis aliquot annis domum eius in tranſtyberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quòd vilis quidam plebeius finxerat illum dixiſſe ſine indicio vllo vel teſte, libentiùs ſe vino proprio calcarias extincturum, quàm id venditurum pteciis quibus ſperabatur.

Diuus Proſper Aquitanicus de promiſsionibus Dei, parte 3.

CVi Symmachus ille, mirabili eloquio & ſcientia præditus, tamen paganus, præconio laudum in conſiſtorio recitato, ſubtili arte, qua valuit, aram Victoriæ in Senatu reſtitui, Chriſtiano, vt no-

vt nouerat Principi, intimauit. Quem ſtatim à ſuis aſpectibus pulſum in centeſimo lapide rhedæ non ſtratæ impoſitum ea die manere præcepit.

Caius Sollius Apollinaris Sidonius lib. 1. epiſt. 1.

QVinti Symmachi rotunditatem, Caij Plinij diſciplinam maturitatemque veſtigiis præſumptuoſis inſequuturus.

Idem lib. 8. epiſt. 10.

INgentes præconiorum titulos moribus meis applicas. Sed ſi pudoris noſtri feciſſes vtcunque rationem, Symmachianum illud te cogitare par fuit: Vt vera laus ornat, ita falſa caſtigat.

Idem Sidonius ad Felicem Conſulem.

Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multò minor ipſe plus adoro,
Paulinum, Ampeliúmque, Symmachúmque.

Magnus Aurelius Caſſiodorus lib. Variar. 11. epiſt. 1.

DEinde retinetis facundiſſimi Symmachi eximium dictum: Specto fœliciter virtutis eius augmenta, qui differo laudare principia.

Caſſiodorus hiſtor. Tripart. lib. 9. cap. 23.

DVm in Romana vrbe Valentinianus & Theodoſius morarentur, feſtiuitates pro victoria celebrantes, tunc ſuam bonitatem circa Symmachum exconſulem Theodoſius Imperator oſtendit. Is enim Symmachus inter Senatores præcipuus habebatur, eratq; Romani eloquij eruditione mirabilis, cuius multi quoque reperiuntur libri. Scripſit autem Maximi laudẽ, eamq; recitauit: vnde poſtea reus eſſe maieſtatis videbatur. Quamobrẽ mortem metuens confugit in Eccleſiam. Verùm Imperator cũ eſſet perfectiſſimæ Chriſtianitatis, & non ſolùm ſuæ fidei ſacer-

dotes honoraret, ſed etiam Nouatianos, qui proximè eius fidei decreta ſeruarent, Leontio tunc Epiſcopo Romano, Eccleſiæ Nouatianorum rogante beneficium conferens, Symmachum abſoluit à crimine. Cúmque veniam Symmachus meruiſſet, Apologeticum, id eſt ſatisfactionalem librum ad Theodoſium conſcripſit Imperatorem. Hæc ille. quæ etiam extant apud Sozomenum hiſt. eccl. lib. 5. cap. 14. & Nicephor. lib. 12. cap. 21.

Verſus Ennodij Ticinenſis, de epiſtola Ambroſij contra Symmachum, ſuper ara Victoriæ, quando petens cultum ipſius, victus eſt Symmachus.

Dicendi palmam Victoria tollit amico.
Tranſit ad Ambroſium, plus fauet ira Deæ.

Sigebertus Gemblacenſis in chronico ſub anno domini 407.

RAdaiſus Scytha, cum ducētis millibus Gotthorum à Scythia veniens, Italiam inuadit. Ex hoc murmur multorū blaſphemantium infremit in Chriſtum. Chriſtianitatis tempora culpantes, fœlicitatem gentium attollunt: inter quos præcipuè Symmachus orator furebat, qui etiam ſcriptis & epiſtolis ſuis agebat de idolatria, & de repetenda ara Victoriæ. Quorum latrantium ora iniecto eis veritatis oſſe obſtruxerunt Auguſtinus libro de ciuitate Dei, & Oroſius hiſtoria ſua. Prudentius quoque Poëta luculento metrici operis libello blaſphemias Symmachi refellit.

Auctor anticlaudiani, quem quidem Alanum eſſe volunt.

Symmachus in verbis parcus, ſed mente profundus:
Prodigus in ſenſu, verbis anguſtus: abundans
Mente, ſed ore minor: fructu, non fronde beatus:
Senſus diuitias verbi breuitate coarctat.

Ioannes Cuſpinianus in commentario Conſulum.

Q. Symmachus, vir Conſularis, & Vrbi Præfectus eloquentiſſimus & doctiſſimus, Auſonij frater: qui cauſam gentiliū

Deorum luculentiſſima oratione defendit apud Theodoſium & Valentinianum Imperatores. Quę oratio libro quinto epiſtolarũ inſeritur. contra quam ardẽtiſſimè ſcripſit D. Ambroſius, & Aurelius Prudentius, qui circa hæc tempora floruit, duobus elegantiſſimis libris verſu heroïco. Scripſit autem epiſtolas quoque familiares elegantiſſimas, miræ breuitatis ac rotunditatis, Ciceronis Academiæ primus accola: quæ pro Caroli & Caſparini epiſtolis certè ſunt iunioribus legẽdæ, & quas noſtri ſæculi duo clariſſima lumina Põponius Lætus & Angelus Politianus mirè laudarunt. Habent enim elegantiã concinnam cum breuitate amabili, & huius temporis geſta nonnulla explicant. Lege Lector & lætaberis.

Apud Onuphrium extat hæc vetus memoria.

LVCIO. Aurelio. Auiano. Symmacho. V C. Præfecto. Vrbi. Conſuli. Pro. Præfectis. Prætorio. in. vrbe. Roma. finitimiſq;. prouinciis. Præfecto. Annonæ. Vrbis. Romæ. Pontifici. Maiori. Quindecemuiro. S. F. multis. legationibus. pro. ampliſſimi. ordinis. deſideriis. apud. Diuos. Principes. functo. qui. primus. in. Senatu. ſententiam. rogari. ſolitus. auctoritate. prudentia. atque. eloquentia. pro. dignitate. tanti. ordinis. magnitudinem. loci. eius. impleuerit. auro. illuſtrem. ſtatuam. quam. à. dominis. Auguſtiſque. noſtris. Senatus. ampliſſimus. decretis. frequentibus. impetrauit. iidem. triumphatores. Principes. noſtri. conſtitui. adpoſita. oratione. iuſſerunt. quæ. meritorum. eius. ordinem. ac. ſeriem. contineret. quorum. perenne. iudicium. tanto. muneri. hoc. quoque. addidit. vt. alteram. ſtatuam. pari. ſplendore. etiam. apud. Conſtantinopolim. collocaret.

Dedicata. III. Kal. Maias. D. N. Gratiano. IIII. & Merobaude. Coss.

Finis elogiorum & teſtimoniorum de Symmachis.

QVÆ HVIC EDITIONI ACCESSERVNT.

De Symmachis, elogia collecta.
Tituli epiſtolarum ferè omnes reſtituti ex v.c.
Quæ nunc primùm eduntur aſteriſco notatæ ſunt.
Lectionum varietates.
Notæ, quibus emendationum ratio redditur.
Diui Ambroſij epiſtolæ duæ, quibus relationi Symmachi reſpondet.
Prudentij contra Symmachum libri duo. cum Notis.

NOTARVM INTERPRETATIO.

V.C. vetus codex Diui Benigni. cuius mihi copiam fecit Gulielmus Treſtoudantius cœnobita, vir optimus & ſtudioſiſſimus.
Lib.Pith. liber P.Pithœi IC. clariſſimi.
Lib.Scotti. editio Scotti. Argentoraci, anno M.D.X.
Lib.Frob. Frobenij editio. Baſileæ anno M.D.XLIX.
Al. aliàs.
Vul. vulgò.
Leg. lego. legendum. legebatur.

Q. AVRELII SYMMACHI V. C. PRAEF. VR. ET COS. ORDIN. epiſtolarum lib. I.

Symmachus Patri ſuo. I.

NE mihi vitio vertatur intermiſſio litterarum. malo eſſe prõptus officij, quàm longa expectatione viciſſitudinis deſiderer: tum quòd parentibus non ad lancem, neque ad dimenſum verba tribuenda ſunt. Iniurius videar ſi ſummo vobiſcum iure contendam. Nam præter æquum [a] cenſent, qui inter diſpares par obſequium [b] requirunt. Itaque veſter ſermo ex beneficio proficiſcitur, noſter ex debito. Hæc me atq; alia huiuſmodi [c] perpulerunt ſcribendi munus inſuper non habere. Non enim actuum noſtrorum ordo pandẽdus eſt? libet nõ minus otij quàm negotij præſtare rationem. Baulos Lucrina ſede mutauimus. non quòd eius diuerſorij ſatias cœperit nos, quod cùm diutius viſitur plus amatur: ſed quòd metus fuit ne ſi Baulorum mihi inoleuiſſet affectio, cætera quæ ſunt viſenda diſplicerent. Ibi Acindyno conditori eius qui maioribus eminet pauca verba [d] libauimus, & picturæ licẽtiam quæ veſtitum diſparem ſingulis diſtribuit, in rationẽ coëgi. Protelarẽ te paululũ, ni vererer ne dilatione expectatio nutriatur. Quare elaboratã filio ſolatij accipe cãtilenam.

Attica palla tegit ſocerum, toga picta parentem.
Præfuit [e] *ille ſacris, hic dixit iura Quiritis.*
At mihi caſtrenſem quòd mordet fibula veſtem,

a v.c. cenſet.

b v.c. requirit.

c v.c. pepulerunt.

d v.c. libaui, & p. licentia.

e *Sic v.c. vulgo*, iſte ſacris. *Sed & poſtea v.c. habet*, hic dixit verba Quiritis.

Auroræ in populis Regum prætoria rexi.
Si faſces Prætura tacet, tu reſpice faſtos.

a v. c. poëtico plectro.

Scio te ſimul atque hæc legeris, actutum[a] poëtica plectra moturum. Nullus feceris, ne mei periculo gloriere. Ego te noſtri vatis exemplo quaſi quadam lege conuenio. Liceat inter holores canoros anſerem ſtrepere. Silentium mihi niſi præſtiteris, impe- (Vide hic notas.) trabis: quòd nihil abs te metuamus probare. En tibi aliud intimationis meæ prodo ſecretū, adhuc ſollicitus de priore. audi verſus ad Baulorum hiſtoriam pertinentes.

Vide Liuium lib. 1. dec. 1.

b Boalia.

Huc Deus Alcides ſtabulanda armenta coëgit,
Eruta Gerionis de lare tergemini.
Inde recens ætas corrupta[b] *Boaulia Baulos*
Nuncupat occulto nominis indicio.
Ab Diuo ad proceres dominos fortuna cucurrit,
Fama loci obſcuros ne pateretur heros.
Hanc celebrauit opum felix Hortenſius aulam,
Contra Arpinatem qui ſtetit eloquio.
Hic Conſul clarum produxit Acindynus æuum,
Quíque dedit leges Orfitus Aeneadis.
Hos inter iuuenile decus, ſed honore ſenili
Biſſeno celſus Symmache faſce cluis.
Si te Baulorum necdum lenta ocia quærunt,
Cura habeat iuuenem publica peruigilem.

c v. c. eſt cui vera.

Nempe derides quod de me aliqua iuſto indulgentiùs prædicaui. [c] Eſt hæc vera atque digna reprehenſio. Omnis quippe oſtentatio nō caret ſuſpicione mēdacij: quia quicquid aſſumitur, propriū non putatur. Dehinc iactantia auara laudis, multū decoquit de pudore. Poſſem dicere (ſi quis irrepſerit externus auditor) meos eſſe verſiculos, efficere vt verecundiæ ignoſcat, ſi eſſet ab altero profecta laudatio. Sed video opuſculum non eſſe pœnitēdum. Ita res crepera atque anceps dubium me habet, vtrum verecundiæ præmetuendum ſit diſcrimē, an gloriæ. Tibi igitur qui prudentia antiſtas cæteris, [d] optionis huius delego prouinciam. [e] Quid facto opus ſit, ipſe videris. Ego infantiæ & imprudentiæ meæ patrem conſcium non imprudenter elegi. Vale.

d v. c. optationis.
e lib. Pith. quis facto vſus ſit.

Patri Symmachus. 2.

NEquicquam taciturnitatis inceſſimur, quibus ſumma cautio eſt officij perſequendi, ferè vt nulla fuerit ſtatio tot locorum

in qua huius muneris ferias egerimus. Et ſanè iuuat animum pia ſermonis exactio. Dulcis eſt enim querela, quę naſcitur ex indulgentia. Vos modò facite noueritis hanc exſtipulationem magis eſſe religioſam quàm iuſtam. Interea loci de Prænestina ſeceſſione ſiluiſti, cuius fama mihi fécit indicium. Quàm vellem deliciis veſtris improuiſus [a] obreperem. Licèt Campaniæ amœna prę̨niteant, mihi tamen eſſet accommodatiùs agitare vobiſcum, & ſpiraculis regionis illius æſtiuam flagrantiam temperare. [b] Sed res familiaris inclinat. ea nobis vſquequaque viſenda eſt, non vt quæſtuum ſumma diteſcat, ſed vt ſpes agri voluntariis [c] ſtipēdiis fulciatur. Namque hic vſus in noſtram venit ætatem, vt rus quod ſolebat alere, nunc alatur. Verùm hæc miſſa facio, ne ſalutatio in querelā verſa minuat [d] officij voluptatem. Date operam bonæ valetudini & alloquio crebriori. quæ cū petimus, ſedulò pollicemur.

a *v. c.* obrepere.

b *Sic v. c. vulgo*, ſi res.

c *Sic v. c. vulgo leg.* diſpendiis fulc.

d officij, *addo ex v. c. qui tamen pro* minuat, *habet* moueat.

* *Patri Symmachus.* 3.

Olent impatientes dilationis eſſe, qui ſperāt in ſe aliquid muneris conferēdum. Hoc verò à vobis recens ortum videmus, vt ſuarum rerum munifici, moram non ferant largiendi. Nunc nuper ad vos prædiū lege venit, cuius me iure donaſtis. [e] Cucurrit quæſtus veſter in meum cōmodum, & vos meliore voto [f] fortunam eſtis imitati. Nam quod ex propinquis bonis cum mæſtitia ſumpſeratis, cum lætitia tradidiſtis. Quid quòd hanc liberalitatem cumulaſtis ampliſſimo teſtimonio? Cuius ego honeſtamētum præopto muneribus. Nam qui opibus inlaudatus iuuatur, neceſſarium magis donum quàm iuſtum [g] præmium videtur adipiſci. Ago igitur iudicio veſtro atque habeo gratias quātæ ſunt maximæ, quòd mihi honorē vtrumque feciſtis, & Deos precor, vt datis in commune omnes longum fruamur, ſintque ex nobis quibus Oſtienſe prædium noſtro iudicio, veſtro tradatur exemplo. Vale.

e *v. c.* Concurrit.

f *Lib. Pith.* fortunam mutaſtis. Nam quod

g *Lib. Pith.* precium.

* *Patri Symmachus.* 4.

Anccine mihi eſſe fortunam, vt quoquo verſum pedē gradúmque contulerim, exędificandum aliquid offeratur? veluti me nunc Capuani Prætorij inſtauratio in graues coëgit expēſas, cuius pars fatiſcit incuria, pars negligēti dudum celeritate reparata indecorum præſtat habitaculum. his niſi properata cura ſubuenerit, aut pecuniæ poſtea diſpendium cumulabitur, aut rui-

næ. Nam quiſquis hęc opera intermittit, amittit. Quare animus eſt amoliri[a] ædium ſenectutem. Ita deſiderato & expetito otio ad negotium ceſſimus ſumptuoſum. Quid rerum geramus audiſtis. facite viciſſim veſtræ ſalutis atque actuum proſpera nouerimus: vt pauxillum tempus, quod in Campania curamus[b] aſſumere, ſine offenſæ interuentu tranſigamus. Vale.

[a] *Vide notas.*

[b] *malim* abſumere.

* *Patri Symmachus.* 5.

CVm iam filiæ veſtræ dies natalis appeteret, commodùm aderant quæ muneri miſeratis. Ea nobis in commune quàm cara[c] & grata fuêre. Nam ſi quid in abſentes boni cõſulas impenſu maiore gaudetur. Ilico amplexi cetera proſequebantur oblata. In expectatione eſſe cœpimus, quia mox vobis capeſcẽdum iter Appiæ ſcriberetis. Nihil horum pagina nunciabat. Percontor tabellarium num conſtantiam decreti rerum ſubita turbaſſent. ait ſententiam nihil claudicare, ſed placita differri,[d] donicũ ſtatio Formiani multa fruge & aliis hoc genus in vſum neceſſariis inſtruatur. Tunc mihi animus ab ægritudine remigrauit. Do fidem nihil herili menſæ, nihil ſeruitiis aut pecori defuturum. Ne mihi ſit dicti huius poſthac negatio, en vobis chirographi inſtar litteras meas. Sponſionem meam ſtipulatur affectio, neque me patiar decipi. nam meos opto complecti. Vale.

[c] *v. c. habebat*, & grauia.

[d] Donicum, *prodonec, vt apud Plautum & Lucretium.*

* *Patri Symmachus.* 6.

CEnſorum notio fuit . . . . carè opera quæ locaſſent. hoc me negotiũ curare voluiſti. Mos geſtus eſt imperatis, vel quòd tibi audiens eſſe debui, vel quòd ſtudio meo congruè mãdatum munus agnoui. audi igitur quantum in ædibus noſtris cura promouerit. Scalis ſubpactus eſt honor marmoris. ſuperiora cõclauia cruſtis teguntur ea operis leuitate, vt compago[e] ſolarũ mentiatur. Columnis nihil amplius, quàm ſi tibi munere cõceſſiſſent eas bithino lapide cęſas. Si bene . . . . exiſtimo. Hactenus eſt quod ſcire debueras. Deinceps tantum adiiciemus cognitioni tuæ, quantum elicitationi viderimus accedere.

Hæc ſic erant in v. c. corrupta.

[e] *Forte leg.* ſolarium.

* *Symmachus Auſonio.* 7.

* SOlet facunda eſſe . . . . . clauſi pectoris aſpernata geſtire . . . . . . amicè ſcribendi obliuionem peperit . . . . Id mihi imitationi eſſe non potuit, quem domini noſtri Gratiani cæleſtis oratio bonæ ſpei & hilaritatis impleuit. Vltro igitur alloqui reſidem non peperci vel officij vel gaudij mei gratia: quo-

rum alterum familiaritas noſtra, alterum felicitas publica ſuggerebat. Nunc ſi opere eſt vtendum, mihi tantiſper animum fac remittas. Primores Kalendas Ianus aperibat. Frequẽs Senatus matutinè in Curiam veneramus. Priuſquam manifeſtus dies creperum noctis abſolueret, fortè rumor allatus eſt ſermonem deſiderati Principis multa nocte veniſſe, & erat verum. Nam tabellarius vigiliarum feſſus adſtabat. Nondum cælo albente concurritur luminibus accenſis, noui ſæculi fata recitantur. Quid multa? lucem quam operiamur accepimus. Dic mihi (inquies nam id præſtat audire) quid noſtri patres ſuper ea oratione ſenſerunt? Rerum tibi natura reſpondeat, quibus ſuffragiis exoptata pietas audiatur. [a] Nouimus bona noſtra complecti. Si credis, etiã nunc illius gaudij mei quandam patior cruditatem. Bonus Nerua Traianus, Antoninus Pius innocens, Marcus plenus officij temporibus adiuti ſunt, quæ tunc mores alios neſciebant. Hîc in laude eſt natura Principis. [b] Cur verſo ordine iſta optimarum artium putemus exempla, & illa de ſæculo priore veſtigia? Beneficium ſuum natura tuetur, & has ſaltem Romano nomini velit ſeruare delicias. Nullo faſcino felicitas publica mordeatur. audiſti omnia, ſed ſummotenus ore libata. Monumenta curiæ noſtræ pleniùs tecum loquentur. Vbi cùm plura ſcripta reppereris, æſtima quanto vberiora vnius mens optauerit quàm plauſus effudit.

a *Puto leg.* Nõ nouimus bona.

b *Fortè leg.* Conuerſo.

Vide notas.

Symmachus Auſonio. 8.

PEtis à me litteras longiores. [c] Eſt id in nos veri amoris indicium. Sed ego qui ſim paupertini ingenij conſcius, Laconicæ malo ſtudere breuitati, quàm multiiugis paginis infantiæ meæ maciem publicare. Nec mirum ſi eloquij [d] mei vena tenuata eſt, quam dudum neque vllius poëmatis tui, neque pedeſtrium voluminum lectione iuuiſti. Vnde igitur ſermonis mei largam poſcis vſuram, cui nihil litterati fœnoris credidiſti? Volitat tuuſ Moſella per manus ſinúſque multorum, diuinis à te verſibus conſecratus. Sed tantùm noſtra ora præterlabitur. Cur me quæſo iſtius libelli exortem eſſe voluiſti? aut ἄμουσος tibi videbar qui [e] diiudicare non poſſem, aut certè malignus qui laudare neſcirem? Itaq; vel ingenio meo vel moribus plurimum derogaſti. Et tamen cõtra interdictum [f] tuum mox ad illius operis arcana perueni. Velim tacere quid ſentiam, velim iuſto de te ſilentio vindicari: ſed admiratio ſcriptorum, ſenſum frangit iniuriæ. Noui ego iſtum

c *Al.* Eſt hoc in.

d *v. c.* noſtri.

e *vulgo*, indicare.

f *v. c.* tuum vix ad.

fluuium cùm æternorum Principum iampridem ſigna comitarer, parem multis, imparem maximis. Hunc tu mihi improuiſo clarorum verſuum dignitate Ægyptio Nilo maiorẽ, Sarmatico Hiſtro frigidiorem, clarioremque hoc noſtro populari Fucino reddidiſti. Nequaquam tibi crederem de Moſelleo ortu & meatu [a] magna narranti, ni certò ſcirem quòd nec in poëmate mentiaris. Vnde illa amnicorum piſcium examina reppeririſti? quàm nominibus varia, tam coloribus, vt magnitudine diſtantia, ſic ſapore, quæ tu pigmẽtis iſtius carminis [b] vltra naturæ dona fucaſti. Atqui in tuis menſis ſæpe verſatus, cùm plæraque alia quæ tunc [c] in precio erant eſui obiecta mirarer, numquam genus iſtud piſcium deprehendi. Quando iſti piſces tibi nati ſunt in libro, qui in ferculis non fuerunt? Iocari me putas, atque agere nugas. Ita me Dij dominis probabilẽ præſtent, vt ego hoc tuũ carmen libris Maronis adiungo. Sed iam deſinam mei oblitus doloris inhærere laudibus tuis, ne hoc quoque ad gloriam tuam [d] trahas quòd te miramur offenſi. Spargas licèt volumina tua, & me ſemper excipias, fruemur tamen tuo opere, ſed aliorum benignitate. Vale.

a Sic v.c. vulgò leg. multa narranti.

b v.c. ſupra naturæ. & lib. Pith.

c v.c. habet, in Prætorio erant.

d Sic v.c. vulgò trahatur quòd.

* *Symmachus Auſonio.* 9.

PÆnè euenerat vt tecũ ſuccincta breuitate loqueremur, quoniam deerant digna memoratu, & in defectu rerum nihil operę eſt indulgere verbis. Sed tempeſtiuè Palladij rhetoris noſtri declamatio auxit paginam meam, quę complacita ſummatibus litterarum clam te eſſe non debuit. Itaque cùm & meo officio & tuo ſtudio talis relatio cõueniret, vix ſoluto cœtu, necdũ euentilatis auribus noſtris auditionis meæ fidem iudicio calente dictaui. Mouit nouus athenæi hoſpes Latiare cõcilium, diuiſionis arte, inuentionum copia, ſenſuum grauitate, luce verborum. Opinione mea dico, tam probus eſt oratione quàm moribus. Tunc noſtrates viri qui inter ſe aliarum rerum ſæpe diſſentiunt, concordem ſententiam ſuper huius laude tenuerunt. Credo planè, nec fides caſſa eſt, rhetorum hanc eſſe proſapiam. Nam plenum ingenio pectus naſcitur. Non ſolus vultus aut color aſſerit poſteros in honorem parentum. Certiores habet natura vindicias benè ſentiendi ac benè loquendi. Gignuntur non ſcribuntur heredes. Quod alij docentur, hic natus eſt. [e] Hanc apud te mi domine ſilenda non credidi, & quòd præ tui amore nihil habeo pẽ-

Vide hic notas.

e Male in v.c. erat, Nec apud te.

ſi:& quòd viciſſim quanti à te fiam nũquam me pœnitet. Quod Palladio factum volo ne lateant honeſta prolatu. Cura vt valeas, [a] & quoniam tibi facultas ſcribendi præſto eſt adhibe voluptatem. Vale. a *Fortè voluntatẽ, ut epiſt. 80.*

* *Symmachus Auſonio.* 10.

SÆpe vnanimitatis tuæ ſermone conuenior, vt de acceptis litteris quas ad me cura propenſiore miſiſti vel ſerò reſcribam, quibus ego [b] actutum pari religione reſpondi. Quia neque reſcriptorũ ratio, neque amoris viciſſitudo ſinebat diutius me deſidere. Nunc quoque agere me gratias proteſtor, quòd proſpera nũtiorum clam me eſſe non pateris. Hæc & talia prioribus quoque litteris tecum fueram collocutus. Sed ſi te tabellarij ſermonis mei compotem reddiderunt, congeſta non onerant. Malo quippe aures tuas iterando obtundere quàm fraudare reticendo. Fratris mei Heſperij honore exſulto, taciturnitate conuulneror. Nam ſi me ſui amantem vſu rerum probauit, ſcriptis famam debuit præuenire, quæ diu incerta fluxam fidem gaudiis exhibebat. Ipſe igitur nuntius communis boni eſſe debuerat, vt epiſtolæ aſſertio nihil relinqueret opinionis ambiguo. Sed [c] dices eum pudore præſtrictum, ſucceſſuum ſuorum vitaſſe iactantiam. Quiſquámne cùm de ſe apud ſeipſum loquitur, erubeſcit? Quid quòd eam rem mihi ſuperſedit ingerere, quam iuſtè ad vtrumque nouerat pertinere? Verùm ego vt religioſè iſta conqueror, ita libenter omitto: quia nec amori in vos meo conuenit ſilere quod doleam, nec amicitiæ incuſſi doloris tranſire menſuram. Vale.

b v.c. actutũ.

c Al. dicis.

* *Symmachus Auſonio.* 11.

AMbroſium de ſummatibus prouincialis fori ad dominos & principes noſtros Siciliæ commune legauit variis inſtructum mandatis, quæ ſpectare viſa ſunt bonum publicum. Huic ſi fautor acceſſeris, futurum reor, vt illi pro labore fructus accommodent. Quæſo igitur vel legationis merito, vel meo nomine in optimum virum benè conſulas, qui ſatis animi confirmatus eſt ſuffragio tuo ſucceſſurã facilitatem petitionibus promouendis.

* *Symmachus Auſonio.* 12.

EGo & ſi continuis litteris honorem tuum celebrare poſſem, nõ ſatis mihi viderer pluſquam res poſtulat [d] fungi debitum meum: tantùm abeſt vt operam tibi aſſiduitatis exprobrem. Sed vt hoc meæ verecundiæ competit; ita tuæ humanitatis eſt, vt

d v.c. fugi..

a v.c. ſuſtine.

ſtudium noſtrum pari gratia [a] ſuſtineas. Animaduerte quò tendat ſumma verborum meorum. Iamdudum nihil tribuis quod legamus. Totum me inquies [b] mancipauit ſibi cura Prætorij verum eſt. Potiris meritò ſumma iudicij. Sed maximas ingenij tui vires fortuna magna non onerat. Proinde his etiam rebus intende quæ ita occupatis nihil moleſtiæ afferunt, vt ipſas moleſtias plerumque ſolentur. Vale.

b v.c. emancipauit. *Sed malè.*

* *Symmachus Auſonio.* 13.

QVi ſua fiducia deſeruntur, epiſtolas meas in vſum commendationis accipiunt. Id nunc aliter eſt. Nam fratri meo Potito hac conditione litteras dedi, vt eas ipſe commendet. Eſt enim nihilo ſecius atque ego è ſummatibus amicorum tuorum: qui vbi compotem fecerit præſentiæ ſuæ, vereor ne excuſatio mea ignoſcenda non ſit. Sed ſi mihi placibilitas tua expereundo probè cognita eſt, futurum reor non vt me qui reſidi collatione [c] alterim venientis inceſſas, ſed vt illum magis pro vtroque ſuſcipias. Vale.

c *Forte*, alterius venientis.

* *Symmachus Auſonio.* 14.

BEnè ac ſapienter maiores noſtri, vt ſunt alia ætatis illius, ædes Honori atque Virtuti [d] gemellas iunctim locarunt, cōmenti quod in te vidimus, ibi eſſe pręmia honoris vbi ſunt merita virtutis. Sed enim præterea etiam camœnarū relligio & ſacri fontis aduertitur; quia iter ad capeſcendos magiſtratus ſæpe litteris promouetur. Hæc Parentum inſtituta Conſulatus tui argumenta ſunt, cui morum grauitas & diſciplinarum vetuſtas, Curulis ſellæ inſigne pepererunt. Multi poſt hæc adnitentur artes bonas & laudis germanas & meras litteras. Sed cui eueniet aut tam felix diſcipulus, aut tam memor debitor? An ignoramus magnū illum cui ſupra votum fortuna fluxit Stagiritæ ſuo nihilū commodaſſe; niſi quòd Ennio ex Ætolicis manubiis captiua tantùm clamys muneri data Fuluium decolorat? Enimuero neque Panętio Affricanorum ſocio, neque Opillo Rutilius, vel Cyneæ Pyrrhus, aut Metrodoro ſuo Mithridates Ponticus liberalium diſciplinarum precia ſoluerunt. At nunc eruditiſſimus imperator & opum largus & honorum, quaſi pro vſura tibi prima detulerit, ita ſemper ad ſortem fœnoris [e] redit. In hac tanta lætitia mea quibus verbis diluam quòd adeſſe non poſſum? Nimis vereor ne malè interpretatus excuſationem meam quantùm tibi gratuler alia

d v.c. gemella.

e reddit.

parum credas. Optaui ad oculos tuos raptim venire,ſed feſſus virium,quas diu morbus exhauſit, itiones longas & manſiones aſperas,tum acceſſiones frigorũ & deceſſiones dierum, quæque ſunt noxę opportuna,vitaui. Si ſum tibi ſpectatus ex animo,quęſo vt æquus ſis mihi,atque has allegationes boni conſulas. Fors fuat,an obtineamus apud te veterem gratiam; nunc quod ſatis ęſt eluctemur offenſam.

Symmachus Auſonio. 15.

GAudeo pluris me tibi eſſe quàm ceteros: quando ita animatus es,vt ſponte in rem meam conſulas, nec opperiaris petitionem,ſed ſolam voluntatis meæ famam ſequaris. Accepi euectiones quatuor, immane, quantum commodas in excurſus & recurſus meorum. Dij te pro tanta gratia munerentur. Et quia perfectis atque elatis in cumulum bonis nihil adiici poteſt,veline [a] tutari erga te propria quæ dederunt.

[a] *Ita videtur leg. Nam v.c. habet*, tuta erga & propria.

Symmachus Auſonio. 16.

HAbundo gaudio,cùm te Conſulem nouus annus expectat. Sed nunc tranſcurſo eſt opus. Pleniùs enim ſecundis litteris conteſtabor huiuſmodi de te gratulationem. Alius impręſentia mihi ſermo ſumẽdus eſt. Patropius C.V. accitu tuo iter adornãs, in rem ſuam fore exiſtimauit,ſi meo teſtimonio niteretur. Huic ego nihil per me acceſſurum putaui, & tamen deeſſe nolui;ſciẽs [b] iudicio erga illum tuo nihil adiici poſſe ſi ſcriberem: deceſſurũ tamen aliquid meo officio ſi tacerem. Vnum eſt igitur quod oratum te atque exoratum volo, vt ineat gratiam ſuſcepti laboris pręter eum fructum qui illi ex tuo conſpectu,tuo congreſſu, tuo honore proueniet. Vale.

[b] *v.c.* indicio.

Ad eundem. 17.

POſt longum ſilentium tuum, non minus deſiderabam quàm ſpetabã litteras [c] largiores. Namque his vicibus humana variantur:vt defectui ſuccedat vbertas. Ea me opinio fruſtrà habuit. Siquidẽ breuis in manus meas pagina, recẽs à te profecta, peruenit. Erat quidẽ illa Atticis ſalibus aſperſa,& thymo [d] odorata, ſed parcior:quę magis faſtidium detergeret quàm famẽ frãgeret. [e] Quid ſi ego cœnas dapales & Saliare conuiuium,tum viſcerationes atque epulum poſtulaſſem, tu mihi menſas ſecundas & ſcitamenta exiguæ lancis apponeres? Fac veniat in mentem,quid Græco ſuper hoc dicat oratio. Paruis nutrimentis, in-

[c] *Lib. Pith.* longiores.

[d] *v.c.* odora.

[e] *Sic v.c. vulgò leg.* quaſi ego.

quit,quamquam à morte defendimur, nihil tamen ad robuſtam valetudinem promouemur. Putáſne me de occupationibus tuis taciturum? Quæſtor es, memini: concilij regalis particeps,ſcio: precum arbiter,legum conditor,recognoſco:adde huc alia mille rerum. Nunquam eueniet vt ingenium tuum labor deterat, benignitatem cura flectat,facundiam vſus exhauriat. [a] Si diurna negocia nunquam diſtingues quiete, certè antelucano ſomno nullus indulſeris, vt detur aliquod tempus officiis. An tibi parum exempli videtur in Comico,cùm ait,Quàm vellem etiam noctu amicis operam [b] mos ſit dari. Sed cur ego diutius ſermonis pauper obgannio? Imitanda eſt mihi epiſtola recens,vt cetera morum tuorum:fortè plurimis occupatus recuſas litteras longiores. Id ita eſſe [c] rectè coniecto. Video enim quàm nolis multa legere, cui vix eſt ocium pauca dictare. Vale.

a v. c. Sed diurna.

b Sic v.c. vulgo leg. vt mos ſit.

c v.c. tibi.

* *Ad eundem.* 18.

SI te amor habet naturalis hiſtoriæ quam Plinius laborauit, en tibi libellos,quorum præſentanea copia mihi fuit:in queis,vt opinor,opulentiæ eruditionis tuæ negligens veritatis liberarius diſplicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Malui enim tibi probari mei muneris celeritate,quàm alieni operis examine. Vale.

Symmachus Auſonio. 19.

ET ſi plerumque vera eſt apud parentes filiorum prædicatio, neſcio quo tamen pacto detrimentum meriti ſui patitur, dum perſonarum ſpectare gratiam iudicatur. Quæro igitur incertus animi,quæ mihi nunc potiſſimùm ſuper viro honorabili [d] Thalaſſio tuo genero verba ſumenda ſint. Si parcè morum eius décora attingam, liuenti ſimilis æſtimabor. Si iuſtè perſequar, ero proximus blandienti. Imitabor igitur Salluſtiani teſtimonij caſtigationem. Habes virum dignum te, & per te familia Conſulari, quem fortuna honoris parti maiorem beneficiis ſuis repperit, emendatio animi & ſanctitas [e] honoribus æquiparauit. Vale.

d Al. Thalaſio.

e v. c. honoribus iam parabit. li. Pith. iam apparuit.

* *Symmacus Auſonio.* 20.

VTor apud te fiducia quam dediſti. Dudum parcus es litterarum, ſed non imitabor exemplum: vt qui nouerim viro in ſpecula honorum locato,& ideo varia & magna curanti,non tam ſtudium deeſſe quàm copiam. Ea quippe [f] rerum eſt natura, vt quæ præter induſtriam negliguntur,ignoſcenda ducantur. Ego

f v. c. rerum eſt vt natura.

tamen ſecurus, vt ſoleo, amoris tui officium ſolemne non renuo: in ſumma gratia & honore poſiturus, [a] ſi familiari meo, qui has tibi litteras dabit, fructus aliqui pro tanta in nos ſedulitate reſponderint. Vale.

a *v.s.* miliari meo, *perperã habuit.*

* *Symmachus Auſonio.* 21.

QVid agam ſcire poſtulas. Opperior in dies litteras quales nũc mihi facultas tua promittit, amor ſemper exhibuit. Sum verò præſentium lætus, vt qui ſciam nihil inſidiatori meo loci relictũ, atque inſuper tibi, cui factum ſemper volo meritam polliceri fortunam. Ergo quando res ita tulit vt ſollicita mutarentur: optati ſermonis tui fructum feramus, qui animam mihi exaugeat, atque indicet pro tanta retro familiaritate, mei te oppido eſſe cupientẽ. Vale.

Symmachus Auſonio. 22.

FAcis pro mutua diligẽtia & antiquitate amicitiæ noſtræ, quòd honorem tuum vires meas eſſe confirmas. Conuenit dictum cum fide morũ tuorũ, nec vnquam te diſſimilẽ ſcriptis talib⁹ dies [b] arguit. Modò fortuna munifica proſperorum ſecundet optata. Longum de his loqui cautio eſt, ne blanditiæ longiores corrũpant veri dignitatem. Si quid de me ſcito opus fuerit, frater meus Claudius & cultui tuo deditus, & ſtudij mei gnarus, [c] expediet. Vale.

b *Vulgo*, arguet.

c *Al.* excipiet, *vt in lib. Pithœi.*

* *Symmachus Auſonio.* 23.

NIhil moror cæteros vulgus ignobile, qui philoſophiã faſtu & habitu metiuntur. Paucos (& in his præcipuè familiarem meum Barachum) noſtra ætas tulit, quorum germana ſapientia ad vetuſtatem vergeret. Túne, inquies, audeas de philoſophis iudicare? Licet alienas ſpectare virtutes. Nam & Phidiæ Olimpiũ Iouem, & Mironis buculam, & Policane forus rudes eius arte hominum pars magna mirata eſt. Intelligendi natura indulgentiùs patet. Alioqui præclara rerum paucis probarentur, ſi boni cuiuſque ſenſus etiam ad impares non veniret. Cõcede igitur mihi de Baracho teſtis officium, & amicitiam viri prudentis amplectere: cuius exploratio breui faciet vt mihi de omnibus quæ ſcio facilè credas, cùm videas me nec in his falſum eſſe quæ neſcio. Vale.

Vide notas.

* *Symmachus Auſonio.* 24.

EN tibi ruſticum vix vrbanis negociis abſolutum: cui volo pro noſtra amicitia morarum culpam remittas. Neque enim

laboris fuga indulſit quieti. Difficile eſt hinc abire cùm veneris: adeo ſi contemplari maieſtatem vrbis noſtræ velis, citò tibi ruſticus videbitur reuertiſſe. Sed de hoc non laboro, quando ita es ingenio placabili, inter reliqua virtutum vt boni Conſulas errata leuiora. Illud me orare impenſius conuenit, tanta vt animo tuo ſcribendi cura ſit, quanto me amore dignaris. Vale.

Symmachus Auſonio. 25.

MErum gaudium mihi eruditionis tuæ ſcripta tribuerũt, quę Capuæ locatus accepi. Erat quippe in his óblita Tulliano melle feſtiuitas; & ſermonis mei non tam vera quàm blãda laudatio. Quid igitur magis mirer, ſententiæ incertus à ddubito: ornamenta oris, an pectoris tui. Quippe ita facundia antiſtas ceteris, vt ſit formido reſcribere: ita benignè noſtra comprobas, vt libeat non tacere. Si plura de te prædicem, videbor mutuum ſcabere, & magis imitator tui eſſe alloquij quàm probator. Simul quod ipſe nihil oſtentandi cauſa facis, verendum eſt genuina in te bona tanquam affectata laudare. Veruntamen hoc à nobis indubitata veritate cognoſce, neminem eſſe mortalium quem præ te diligam. ſic vadatum me honorabili amore tenuiſti. Sed in eó mihi verecundus nimio plus videris, quòd libelli tui arguis proditórem. Nam facilius eſt árdentes fauillas ore cõprimere, quàm luculenti operis ſeruare ſecretum. Cùm ſemel à te carmen profectum eſt, ius omne[a] perdidiſti. Oratio[b] publicata res libera eſt. An vereris æmuli venena lectoris, ne libellus tuus admorſu duri dentis vratur? Tibi vni ad hoc locorum nihil gratia præſtitit, aut dempſit inuidia. Ingratus ſuo cuiq; probóq; laudabilis es. Proinde caſſas dehinc ſeclude formidines, & indulge ſtilo vt ſæpe prodaris. Certè aliquod didaſcalicum ſeu protrepticum noſtro quoque nomini carmen adiudica. Fac periculum ſilentij mei. Quod & ſi tibi exhibere opto, tamen ſpondere non audeo. Noui ego quæ ſit prurigo emittendi operis quod[c] probatur. Nam quodam pacto ſocietatem laudis affectat, qui aliena benè dicta primus enunciat. Eapropter in comœdiis ſummatem quidem gloriã ſcriptores tulerunt. Roſcio tamen atque[d] Ambiuio, ceteriſque actoribus fama non defuit. Ergo tali negocio expende ocium tuum, & nouis voluminibus ieiunia noſtra ſuſtenta. Quod ſi iactantiæ fugax garrulum[e] indicem pertimeſcis, præſta etiam tu ſilentium mihi, vt tutò ſimulem noſtra eſſe quæ ſcripſeris. Vale.

a v.c. poſuiſti.
b *Lib. Pith.* publica.
Vide notas.
c v.c. probaris.
d v.c. Ambio. *Liber Scotti,* Ambitio.
e *vulgo leg.* indicem, *vt etiã in v.c. Sed malè.*

Auſonius Symmacho. 26.

MOdò intelligo quàm mellea res ſit oratio, quàm delenifica, & quàm ſuada facundia. Perſuaſiſti mihi epiſtolæ meæ apud Capuā tibi redditæ concinnationē inhumanā non eſſe. Sed hoc nō diutius quàm dum epiſtolam tuā legi, quæ me blanditiis inhiantem tuis veluti ſucco nectaris delibuta [a] ducit. Vbi verò chartulā pono, & meipſum interrogo, tum abſinthium meū recipit, & circúmlita melle tuo pocula deprehendo. Si verò, id quod ſæpe facio, ad epiſtolam tuam redij, rurſus illicior, & rurſum ille ſuauiſſimus, ille [b] floridiſſimus tui ſermonis affatus, depoſita lectione [c] vaneſcit, & teſtimonij pondus prohibet ineſſe dulcedini. Hic me velut aërius bracteæ fucus, aut picta nebula non longius quàm dum videtur oblectat, chamæleontis beſtiolæ vice, quæ de ſubiectis ſumit colorem. Aliud ſentio ex epiſtola tua, aliud ex conſcientia mea. Et tu me audes facundiſſimorum hominum laude dignari? tu inquam mihi iſta, qui te vltra commendationē omnium protuliſti. An quiſquam ita nitet, vt comparatus tibi nō ſordeat? Quis ita ad Æſopi venuſtatem, quis ita ad ſophiſticas Iſocratis concluſiones, quis ita ad enthymemata Demoſthenis aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem noſtri Maronis accedat? Quis ita affectet ſingula, vt tu imples omnia? Quid enim aliud es, quàm ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio? Hæc, domine mi fili Symmache, non vereor ne in te blādius dicta videātur eſſe quàm verius. Et expertus es [d] fidem meæ mentis atque dictorum, cùm in comitatu [e] deguimus ambo æuo diſpari. Vbi tu veteris militię præmia tyro meruiſti, ego tyrociniū iam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui, nedum me peregrè exiſtimes compoſita fabulari. In comitatu inquam, qui frontes hominum aperit, mentes [f] tegit. Ibi me & parentem & amicum, & ſi quid vtroque charius eſt, chariorem fuiſſe ſenſiſti. Sed abeamus ab his, ne iſthæc cōmemoratio ad illam Soſiæ formidinem videatur accedere. Illud quoque quod pænè præterij, qua [g] affectione addidiſti, vt ad te didaſcalicum aliquod opuſculum, aut ſermonem protrepticum mitterem? Ego te docebo docendus adhuc, ſi eſſem id ætatis vt diſcerem? aut ego te vegetum & alacrem [h] commonebo? Eadem opera & muſas hortabor, vt canant, [i] & mare vt effluat, & auras vt vigeant, & ignes vt caleāt, admonebo: & ſi quid inuitis quoque nobis natura fit, ſuperfluus

[a] v. c. perducit.
[b] v. c. floridus.
[c] Libr. Pith. euaneſcit.
[d] Sic v. c. vulgo leg. fidē meā.
[e] v. c. degimus.
[f] aliàs. legit.
[g] v. c. affectatione.
[h] al. commonebo.
[i] aliàs leg. & maria vt effluant.

a v.c. agitator inſtigabo.

[a] inſtigator agitabo. Satis eſt vnius erroris, quòd aliquid meorũ me pœnitente vulgatum eſt, quòd bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam ſi contrà eueniſſet, nec tu mihi perſuaderes placere me poſſe. Hæc ad litteras tuas reſponſa ſint. Cetera quę noſcere habes [b] compendij faciam: ſic iam quoque longa eſt epiſtola. [c] Iulianum tuum familiarem domus noſtræ, ſi quid de nobis percontandum arbitraris, tibi allego: ſimul admoneo, vt cùm cauſam eius aduentus agnoueris, iuues ſtudium quod ex parte fouiſti. Vale.

b al. compendio.

c v. c. Iulianum tamen fam.

Symmachus Auſonio. 27.

AIunt cochleas, cùm ſitiunt aëris, atque illis de cælo nihil illiquitur, ſucco proprio victitare. Ea res mihi vſu venit qui deſertus eloquij tui paſtu, meo adhuc rore ſuſtentor. Diu ſcribendi operam [d] diſtuliſti: & vereor ne fortè in nos parentis [e] claudicet affectio. Si falſa me opinio habet, [f] fac vt ceteris negocijs tuis reſpondendi cura præuortat.

d v.c. protuliſti.

e v.c. claudat.

f v.c. facito.

Symmachus Auſonio. 28.

PLenum laboris negocium gero, qui compellare toties tacitũ perſeuero. Nam niſi [g] inſtare pergo, atque exculpere à te aliquid litterarum, gliſcet obliuio. Siue igitur hoc officium meum ſedulum iudices, ſiue moleſtum; ſtat ſententia honorem tuum celebrem præſtare colloquiis. Adeo mihi veteris in te amoris nulla diſceſſio eſt. Et meritò: nam amicitiæ operam nuſquam locaui æquè benè. Propterea ſilentium tuũ conqueror. Facit enim tenerior affectio, vt ſit querela procliuior. Mollis eſt animus diligentis, & ad omnem ſenſum doloris argutus. Si negligentiùs tractes, citò marcet vt roſa: ſi duriùs teneas, liuet vt lilia. Legiſſe me memini, vultu etiam ſæpe lædi pietatem. Quid ille tam [h] ſeuerus arbiter ſuper continuo ſilentio, ac diſſimulato ſcribendi munere cenſuiſſet? [i] Tecũ hæc penſiùs æſtimabis. Mihi relligio fuit tegere quæ dolebant. Nam vt in te animi vſque pendeo, ita opere maximo vſuram tuæ vnanimitatis expecto. Vale.

g v.c. inſtigare.

h v. c. ſerius.

i vulgo leg. Totũ hic penſius æſtima. Sed mihi rel. fuit hæc tegere.

Symmachus Auſonio. 29.

DIu in Campanię ſeceſſibus ociatus: [k] occaſio non patuit ſcriptionum. Ideo pauliſper ſermonis mei circa te munus intepuit. Sed vbi in patriam pedem retuli, antiqua mihi fuit inſtaurãdi officij diligentia. Ergo debito te honore ſalutationis impertio, vtrumque depoſcens: vt & ſilentio ſuperiori venia iuſta præſte-

k Sic puto leg. Nam v.c. habet, occaſionẽ patui ſcript.

tur,& præſenti obſequio viciſſitudo reſpondeat. Vale.

Symmachus Auſonio. 30.

INterpello occupationes tuas aſſiduitate colloquij. Nam & ipſe huiuſmodi paſcor officio,& peregrinationem tuam ſolatijs talibus credo recreari. Tuas autem litteras viciſſim expecto: non exigo. Iniurium quippe eſt magnoperè,flagitare quod ſperes, ne quod eſt voluntarium,videatur extortũ. Sanè [a] fratri meo Innocentio gratulor, amicitias tuas priuſquam ſcriberem contigiſſe: quia facilior mihi cœpit eſſe eius commendatio quem probaſti, quàm fuiſſet incogniti. Itaque hoc vnum beneficij loco [b] poſtulo: vt qui ſui commendatione iam nititur, teſtimonij noſtri gratia cumulatiùs diligatur. Vale.

a *Al.* fratrem meum Innocentium.
b *Al.* expoſtulo.

Symmachus Auſonio. 31.

NOn fruſtrà prædicant mentes hominum nitere liquido die, coacta nube [c] flacceſcere. Meus animus fidem fecit exẽplo. Nam quotiens tibi ſcribo, ex ſententia ſum. Verbis quorum aliàs ſuppellex mihi deſit, indulgeo. Quippe lætitia loquax res eſt, atque oſtentatrix ſui: adeo magnæ parti hominum nulla ab hoc morbo cautio eſt. Patere igitur quæ ad laudes tuas pertinent obloquentẽ, vir quantum eſt hominum in terris [d] exſpectatiſſime, qui & ſummis copijs vigilans pro meis rebus anniteris,& in amicitia ſtabili diligentia perſeueras. Si fides vera cuiquam fuit, tibi puto eſſe. Hanc plerique verbo oſtentant, opere deſerunt: quod genus nulli rei eſt niſi ad loquendum. Meritò proceſſus tuos in meo ære duco: quando iuxta magnæ curæ ſum tibi [e] atque cùm maximè fui. Supereſt tamẽ aliquid, quod huic ſtudio meo adijci velim. Nolo memineris, quòd aliquando animo tuo ſuccenſui. Amor fiduciam nutrit. Quid tam liberum quàm amicitia? Negocijs plerumque appoſita eſt expoſtulatio ſine labe concordiæ. Ita verum eſt quòd hodie tibi gratias ago, vt illud non potuerim diſſimulare quòd dolui. Caſſa fide ſunt qui iugiter blandiũtur. Sed quid diutius ea retexo, quorũ [f] te obliuiſci [g] cupio? Eſt, vt es, benigna ſemper in me voluntate: quod ego ſperandum magis à te ſentio quàm petendum. Vale.

c *v. c.* fateſcere, *lib. Pith.* palleſcere.
d *Al.* ſpectatiſſime.
e *Hæc ex v. c.* *addo.*
f *Liber Scotti,* ea reijcio, quorum.
g *v. c.* volo.

Symmachus Auſonio. 32.

FAlſò creditur, ne ſciam iudicij eſſe fortunam. Illa verò & præteritorum memor,& præſentium diligens, & prudens futuri, tibi rependit quicquid ceteris præſtitit. Non ergo [h] vaga, neque

h *Lib. Scotti,* Vana, neque, *vt & Pithoei.*

erratica eſt: à qua ſcimus alios donũ cœpiſſe, te præmium. Quis tibi honoris noſtri (inquies) fecit indicium? Celebritas famæ, cui iuſta narrãti ſtatim creditur. An opperirer ſuper hoc litteras tuas, quas verecundia differebat? Minimè. Nam difficilis eſt patientia gaudiorum. Fungor igitur, vt vides, partibus tuis: & quæ debui cognoſcere, malui quodammodo nunciare. Sed nolo iſta properatio litterarum mearum tuum munus impediat. Scire me quod nunc ſcribo diſſimula. Et tribue quaſi nouum nuncium, [a] quod ego gratulabor iteratum. Vale.

à v. c. quem ego.

Symmachus Auſonio. 33.

SCio quidem litteras meas tibi ſerò reddendas, vel propter occupationes quæ te in procinctu aliquantiſper tenebunt, vel quòd frater meus Gorgonius admirator virtutum tuarum diutinæ apud Picentes indulgebit quieti. Vt eſt tamen iſta conditio, ſuperſidendum officio non putaui. Fors fuat, an hæc maturè in manus tuas ſcripta ſint ventura. Ego tamen quantum per commeantes licebit, iſtius muneris operam non reparcam. Vale.

* *Symmachus Auſonio.* 34.

NOn nouum aut incognitum, ſed compertum iam fide & ſedulitate militiæ, ſanctum Victorem amicum meum promptus commendator inſinuo: quem ad hoc æui nulla actuum culpa fuſcauit, ſed fortunæ licentia (quæ interdũ optimos decolorat) ſpes eius pauliſper infregerat, quæ in integrũ ſęculi beatitudo reſtituet, ſi innocentiam ſupplicis ſecundo fauore reſpexeris. Vale.

* *Symmachus Auſonio.* 35.

FAcio rem cùm tuis moribus tum meo ſtudio congruentem, vt præſtantiſſimo viro amicitias optimi cuiuſque conciliem: velut nunc tibi à me traditus philoſophiæ candidatus, cuius pudorem vel prima facies, cetera bona longus vſus expediet. Hunc ego abs te nollem diligi, ni mereretur probari. Sed ſi benè æſtimo actutum merebitur, atque ideo diligetur. De hoc nihil amplius. Neque enim præiudicio meo debet aſtringi, cuius ego exſpecto iudicium. Illud te potius oratum volo, vt in noſtra diligentia perſeueres. Quod cùm efflagito, vereor ne me iniurium putes, qui à te poſtulem quod ſponte præſtatur. Vale.

* *Symmachus Auſonio.* 36.

COmpenſaſti longum ſilentium gemina ſcriptione. Pariter enim mihi binas litteras præbuiſti, vt deſiderium meum officio

ficio largiorē compleres. Ex quo aduerti non volūtatem tibi hactenus, ſed baiulum defuiſſe. Neque enim aliter potuiſſet accidere, vt me tamdiu ſermonis tui honore fraudares. Meritò apud nos in dies ſingulos tui cultus augeſcit, & iuſto cumulo creſcit affectio. Namque ita vſu comparatum videmus, vt amicitia benè locata experiundo cotidie [a] præbeatur. De iſta parte verbis ſuperſedendum eſt. Neque enim me oportet hæc dicere quæ te malo ſentire. Comperi ſanè ex litteris tuis quanto opere publici muneris abſolutionem requiras, & ſtupere me fateor tantū tibi adminiſtrationis eius eſſe faſtidium, cui fructus optabilis ex omnium amore reſpondet. An eſt aliquid tenacius gloria quæ laudem adiecit voluntatis? Et tamen cura non deerit vt patiaris. [b] Tu tamen peregrinationis ſolare iuſto amore prouinciæ. Vale.

[a] *Poteſt etiam legi*, probetur.

[b] *Poteſt legi*, Tu tædium peregrinationis.

Symmachus Auſonio. 37.

VEtus ſententia eſt, artes honore nutriri. Eam noſtræ ætatis cōfirmauit vſus. Nemo enim bellis notus aut domi clarus exſortem præmij ſenſit induſtriam. Ita quum dignis fructus tribuitur, eandem viam capeſcentibus ſpes paratur. Gliſco igitur gaudio, cùm propter alios quibus fortunam ſollers vita conciliat, tum maximè Iuliani fratris mei gratia, quem ſic à te diligi volo, vt probari poſſe confido. Scis nempe in illo forenſi puluere quàm rara cognitio ſit facundi oris, & boni pectoris: dum aut modeſtum ingenium verecundia contrahit, aut ſucceſſu eloquens inſoleſcit. Hæc in meo familiari ac neceſſario, [c] ea ſocietate viguerunt, vt neque obiectu pudoris areret, nec cum detrimēto frontis [d] afflueret. Nunquam in mercedem linguæ ornamenta corrupit. Merito ac fortunis tenuis opulētiam fide quæſtum laude mutauit. Hunc tibi in manum vel magis in animum libens trado. Nam mihi ſumma curatio eſt, vt amicitia tua boni inhuberent. Te quoque idem velle habeo compertum. Semper enim natura gaudet æqualibus, & familiare ſibi eſt omne quod ſimile eſt. Sed ne prolixo teſtimonio ſuſpicionem laudis incurram, quæſo de eo iudices examine penſiore. Ita quum illius inſtitutum probaueris, periculum iudicij mei feceris. Vale.

[c] *Sic v. c. rectius quàm, vt vulg.* ad ſatietā & v. v. n. o. p. tiaceret, nec c.

[d] *Lib. Scot.* effflueret.

Symmachus Agorio Prætextato. 38.

MEretur diligentia in me tua, vt ea quæ proximè laudi mihi fuerunt, clam te eſſe non patiar. Credo indicium feciſſe tibi

famam, quòd Parentem meum ruri atque in ſeceſſu amiſſæ domus iniuriam decoquentem frequentibus ſuffragiis, denique oratoribus miſſis, nouo honore Senatus acciuerit. Qua cauſa vbi primùm facultatem loquẽdi apud collegas attulit dies, egit pater Senatui [a] gratiam ea facundiæ grauitate qua notus eſt. Calendæ tunc erant quibus annus aperitur. Breui interuallo cùm familiaris mei Trigeti filio Prætorio candidato operam ſpondiſſem, animum relligio conuenit, vt occaſione deſtinati officij obirem munus adhuc à me patri debitum, ſed, vt dixi, ab illo Senatui iam ſolutum. Ergo ad quintum Idus Ianuarij verba feci in ampliſſimo ordine. quæ vbi in manus tuas venerint ex tuo animo coniicies iudicia ceterorum. Ego ſub incerto examinis tui, aliorum ſentẽtias occulendas putaui, ne te præiudicio tanti ordinis viderer vrgere.

[a] v. c. gratia mea. f.

Symmachus Agorio Prætextato. 39.

AVctus ſum gaudio, quòd valetudo tecum reuertitur in gratiam. Nã ſemper incolumitas tua voti mei ſumma eſt. Nũc ſi Deo volente reconciliatæ vires animi tui redintegrauerint vigorem, facito epiſtolæ tuæ [b] multis paginis augeantur. Odi parſimoniam verborum bonorum. Scribendi quippe breuitas, magis faſtidio quàm officio proxima eſt. Nolo litteras de ſummo ore ſtillantes. Illas peto quæ areſcere neſciunt, quæ ex intimo pectoris fonte promuntur. Memini breuitatem Spartanam laudi quõdam fuiſſe. Sed ego Romanis tecum legibus ago, &, ſi ita vis, Atticis: quibus tantum decus à facũdia fuit, vt mihi videantur Lacones metu collationis in diuerſum ſtudia deſtinaſſe. Vellem plura, [c] ſed tuo modo compungendus es. Simul cautio eſt mihi, ne te ſermo multus offendat. Inſtituto igitur meo calcem pono, dum [d] tuo pareo. Quã in re intelligis eo te inuidiæ & conditionis adductum, quaſi à me pauca ſcribi velis, niſi multa reſcripſeris. Vale.

[b] *Lib. Scot.* multiiugis paginis.

Vide hic notas.

[c] *v. c. vulgo,* ſed tu modò.

[d] *v. s.* tuo parco.

Symmachus Agorio Prætextato. 40.

[e] POtui facere ſcripta compendij, cùm tibi Germanus meus verbis ſuis vberius ſatisfacturus videretur, quàm ego meis litteris. Sed in maiore lucro officia honeſta, quàm ocia muta ponẽda ſunt. Ergo neq; tacito opus eſt, vt honor amicitię mihi feratur accepto, neque omnia mandanda ſunt litteris, vt illi aliquid ad narrandum relinquatur. Accipe tamen rerum capita & ſum-

[e] *vulgo leg.* Potui cõpendia ſcriptũ facere.

mas negociorum, quibus frater admonitus quæſita latiùs exſequatur. Conuenit inter publicos ſacerdotes, vt in cuſtodiam ciuium publico obſequio traheremus curam deorum. Benignitas enim ſuperioris, niſi cultu teneatur, amittitur. Ergo multo tantò ornatior quàm ſolebat cęleſtis factus eſt honor. Expectare mihi videris omnia quę ſuperſunt. Titianus meus fungetur indicium, cui indulgentius narrandi quod velis, opera legata eſt: Edictum Principum, niſi iam notum eſt, idem tibi aſſertor expediet. Statuas etiam recepiſtis iiſdē pænè populi acclamationibus, quibus amiſeratis. Rides? & libet vt rideas. Affuiſti. plura deſino,[a] ne qui ſtrictim meliora detexui, in minoribus videat immorari. Vale.

a *Vulgo*, Ne quæ ſtrictim meliora retexui, amore videar immorari.

Symmachus Agorio Prætextato. 41.

SIlentij noſtri ratio diuerſa eſt, ſed vnus effectus. Me impedit Pontificalis officij cura, te Baiani ocij tenuit negligentia. Neque enim minùs reſidem facit remiſſio animi quàm occupatio. Nec mirum ſi te illa oratorē ſibi vendicat, cùm ipſum Annibalem fides certa ſit bello inuictum manus dediſſe Campaniæ. Nō illius cæli aut ſoli illicebram retinax aduenarum lotos arbor æquauerit, & ſuada Circe pocula, & tricliniū ſemiuolucrū puellarum. Neque ego te pingues ferias agere contendo, aut virtutē puto[b] fregiſſe deliciis. Sed dum tibi leges ſcribis, & vrbanarum rerum feſſus, ingentem animum ſolitudine domas, amicitiarum munia nullus exſequeris. Quin arripis ſtilum, noſtræque in te affectioni honorem mutuum facis? Niſi mauis auctoritatem Pōtificis experiri. Multa nobis in collegio deliberanda ſunt. Quis tibi has inducias publici muneris dedit? Senties ius ſacerdotis, niſi impleueris ius amici. Vale.

Vide hic notas

b *v.c.* frigiſſe, *ex quo etiā ſequentia emēdata ſunt.*

* *Symmachus Agorio Prætextato.* 42.

DIj boni quàm nihil homini tutum atque exploratum eſt! Certè leuandi animi cauſa Baias conceſſeratis. Quis oculus faſcinauit deſtinatam quietem? Paulina ergo cura communis extremum ſalutis acceſſerat. An veſter pro illa tantus eſt metus, vt omne eius incommodum periculi inſtar habeatur? Quicquid horum eſt, ſpectari animo licet: quas ærumnas dierū, quas noctium vigilias duxeritis. Sic nati ſumus, vt ſæpius aduerſa fungamur. Fugiunt voluptates, & bonę cuiuſque rei tam breuis vſus quàm leuis ſenſus eſt. Verùm hæc philoſophorum diſputa-

tionibus relinquantur. Nunc habitum lætiorem mentibus ſuadeamus,quoniam Paulinæ veſtræ valetudinem rurſus locauit in ſolido pax Deorum. Vale.

* *Symmachus Agorio Prætextato.* 43.

Vide notas. QVæris vt ciuis ad bonum commune genitus,quid ſuper rebus anxiis vero proximum nuntietur. Certis indiciis ſecunda cognouimus. Dehinc multi ſilentij ſuſpicio ſollicitis rumoribus locum fecit. Sed mihi opinionum talium,quæ ſine auctoritate producunt,nulla curatio eſt. Impendiò angor animi,quòd ſacrificiis multiplicibus, & per ſingulas poteſtates ſæpe repetitis, necdum publico nomine Spoletinum piatur oſtentum. Nam & Iouem vix propitiauit octaua mactatio,& fortunæ publicæ multiiugis hoſtiis nequicquam vndecimus honor factus eſt. Quo loci ſimus intelligis. Nunc ſentẽtia eſt in cœtum vocare collegas. Curabo vt ſcias ſi quid remedia diuina promouerint. Vale.

* *Symmachus Agorio prætextato.* 44.

EQuidem ſecurus amicitiæ tuæ æqui boni facio ſi quid in me ab amante peccatur. Sed tuos mores quibus nihil deſit ad laudem dedecet officij negligentia. Queri me opinaris, quòd nihil ſcribas: & refellere mendaciũ paras, quia te aliquid ſcripſiſſe meminiſti. Ego verò minimum animi angerer,ſi taceres. Precor,quid hoc eſt quòd mihi & patri vnas atque eas oppidò breues litteras detuliſti? Ita tibi ambo digni ſingulis paginis non videmur? Tui,inquies,honoris interfuit,vt iungereris parenti. Alia ſunt quæ cum illo nobis vel communia opto, vel paria. amor mihi meo nomine deferatur. Abſtine igitur epiſtolis quæ ſunt inſtar edicti. Faceſſat omne ſtudium, ex quo naſcitur cura compendij. Sed longum de his loqui cautio eſt, ne tibi moleſtior ſit prolixitas querelæ noſtræ quàm mihi breuitas epiſtolæ tuæ. Quod ſupereſt Deos quæſo, vt nos plenus gaudij quamprimũ reuiſas. Facilè erit anguſtiam ſcriptorum tuorum multiloquio repenſare. Vale.

Coniunge epiſt. 27.7.lib.4. ad Pretad.

* *Symmachus Agorio prætextato.* 45.

STatueramus in externis adhuc morari,ſed labantis patriæ nũtius deſtinata mutauit; cùm mihi in communibus malis decolor videretur ſecuritas mea. Ad hoc ſacri Pontificalis adminiſtratio curam de me & officium ſtatim mẽtis exigit. Neq; enim fert animus in tanta ſacerdotum negligentia ſufficere collegã

Fuerit hæc olim ſimplex diuinæ rei delegatio. Nunc aris deeſſe Romanos gen⁹ eſt ambiendi. Vos Hetruria quouſque retinebit? Iam querimur eſſe aliquid quod tamdiu ciuibus præferatur. Sit licèt ruris ſtatus mitior, non poteſt benè defrui ocio, qui ſuis abſentibus timet. Vale.

* *Symmachus Agorio prætextato.* 46.

ORationem meam tibi eſſe cõplacitam nihilo ſecius gaudeo, quàm quòd eam ſecunda exiſtimatione pars melior humani generis Senatus audiuit. Adieciſti ſacramenti pondus, & in bona verba iuraſti: vt qui ſcires in ſuſpicionem gratiæ venire amantium iudicata. Nam vbi certa eſt amicitia, ibi fides incertior. Ergo ſecurus examinis tui nihil moror ſententias ceterorũ. Quid ſi affuiſſes tam bonæ voluntatis auditor? Nę ego digito, vt aiunt, ſupera conuexa tetigiſſem. Erit aliâs fortaſſe nobis optatior præſentiæ tuæ copia. Nunc teſtimonio epiſtolę tuę fruimur. Tũc adiumento fauoris vtemur. Vale. *Vide notas.*

* *Symmachus Agorio prætextato.* 47.

OCio & venatibus gloriare. Eſt hæc quidem iocunda iactatio, ſed ludo magis à te prolata quàm ſerio. Nam remiſſa tẽpora & ab negociis publicis feriata libris veterum ruminandis libenter expendis. Aliis igitur dabis verba, qui te congreſſu primo, re non nouerunt. Ego actus quos pernox & perdius tibi curæ habes, tum cotidiana ingenij tui pabula de litterarũ, quas mihi tribuis, ſapore coniecto: niſi fortè in ſyluis Apolline contionaris, vt ille paſtor Heſiodus, quem poëtica lauru camœnalis familia coronauit. Nam vnde eſt hæc in epiſtolis tuis ſenſuum nouitas, verborum vetuſtas; ſi tantùm nodoſa retia vel pinnarum formidines, & ſagaces canes, omnémque rem venaticam meliorum oblitus affectas? Quare cùm ſcribis, memento facundiæ tuæ modum ponere. Ruſtica ſint & inculta quæ loqueris, vt venator eſſe credaris. Vale. *Cõfer epiſt. 18. 7. libr. 4. ad Protad.*

* *Symmachus Agorio prætextato.* 48.

MÆſtitiæ meæ ſolatium grande tribuiſti. Nam vt dudũ tibi fama fecit indiciũ, fratris obitu vulneratus continuo animi dolore diſcrucior. Non mediocre tamen inter pręſentes curas leuamen accepi, quòd te cõperi ſecundũ cõmunia optata ſaluere. Supereſt vt tu iſtius modi officiis frequentem opęram digneris.

impendere, quæ perſpicis medicinam quandam mihi infortunij & mæroris afferre. Vale.

* *Symmachus Agorio Prætextato.* 49.

SCio germani amoris eſſe quod ſuades. Sed reconciliatio eum requirit auctorem, quem habuit iniuſta diſſentio: ne noxam meruiſſe videatur, qui abiuratas amicitias quaſi nihil paſſus affectat. Quare oblatam concordiam non refuto. Sequeſtrata conſideratione fortunæ redeat in gratiam, qui mouit offenſam. Tibi pro noſtra amicitia ſatis gratulor, cuius labor ſaluti publicæ commodabit: de quo interim parciùs loquar. Res enim quæ ad omnes pertinet, nunquam vno teſte contenta eſt: & mihi magnopere conuenit ita meminiſſe gloriæ tuæ, ne verecundiæ oblitus exiſtimer. Vale.

Symmachus Probo. 50.

ET tibi publicis negociis occupato breues litteræ demunt faſtidium lectionis; & mei officij aſſiduitas, quicquid ſcribendum videbatur, exhauſit. Meritò ſalutatione libata, [a] frugi epiſtolam neceſſario ſtringo cõpendio. Alia eſt enim proteſtatio amoris, alia linguæ oſtentatio: atque ideo antiquior mihi fuit obſequendi opera quàm loquendi. Copioſi videbimur, ſi abundè ſeduli iudicemur. Vale.

[a] *vulgo*, frugi epiſtolæ neceſſario ſtringor comp.

* *Symmachus Probo.* 51.

IN præſentia quantum ſatis viſum eſt amicitiæ munerandæ, cũ tuas occupationes, tum feſtinationem tabellarij contemplatus, exhibeo. Aliâs mihi & vſus veniæ, & cura non deërit epiſtolæ longioris. Dij modò optata fortunent, ſalutem Reip. in ſolido locent. Tum mihi voluptas promptior erit, & ad ſcribendum quæ tu libenter accipias, & ad legenda quæ tu animo vacante reſcripſeris. Vale.

* *Symmachus Probo.* 52.

SIt tibi animus æquus & patiens muneris imperati. Sæpe vſu venit vt in ſecundos labores virtus probata reparetur. Quid tu? libenter Atilio factum putas, quòd faſcibus aratra mutauit, & in medio ſementis opere anhelos boues ſtatuit ruſticus magiſtratus? Quiſque bonæ frugis eſt in publicum commodum vindicatur. Pone illas interim cogitationes felicis ocij tui. Quàm benè vrbana opera nouis faſtigiis excitabam, vbi ager noſter, vel ille autumno omnis copiæ ferax, vel ille hyeme apric⁹,

aut qui anni primus roſas humo exuit, aut qui ſub vua æſtiuo ſole de nemore & fonte frigeſcit? Sed quid à propoſito excidi? Dũ medicinam facio vulneribus tuis, vltrò deſiderãda ſuggeſſi. Eſto vt es curarum omnium tolerans, & debitam operam ſolue Principibus, qui rationem magis meriti tui quàm voluntatis habuerunt. Vale.

* *Symmachus Probo.* 53.

MOnes vt amicitiæ bonum ſcriptis frequentibus excolamus. Placet hortatio imitatrix relligionis. Et, vt verum fatear, decus mihi eſt hæc voluntas tua. Amor enim maximus plus requirit. Sed quod ais me potius qui ſim vacuus publicæ rei, iſtiuſmodi vigiliam debere ſortiri, æquum eſſe diſſentio. Iamprimum quòd homo licentis ocij ſerutari vices commeantium non laboro: tuus honor vecturam litteris niſi inuenit, facit. Dehinc quòd mihi iners deſuetudo oblimat ingenium. Tibi impigro iamdiu negocio leuatur vſus loquendi. Ergo quo tu ad ſcribendum maiore copia, hoc ego dignior venia raritatis. Satiſne videar his cauſis munitus in poſterum memineris. Volo quicquid antè ſermonis acceperis, obſequij eſſe non ocij.

Symmachus Probo. 54.

SCio te non fortunarum habere delectum, ſed meritorum. Romanus familiaris meus aulicis etiam nunc paret officijs, vt pote ſacri adminiſter ærarij. Sed inſtrumenta probitatis in quemuis vſu publici honoris excoluit. Quare dignitas illi eſt promiſſa cũ pluribus, honeſtas æqua cum paucis. Quod eo memorandum [a] putaui, vt à te quoque pro ratione vitæ, non pro gradu militiæ cenſeatur. Fac periculum maximis in negociis, fac in feriis remiſſisve muneribus. Repperies hominis tectã fidem, patentem relligionem, prudentiam liberam, verecundiam liberalem. Cui ego propterea fautum volo, vt mei teſtimonij fides clareat, & tibi amicus limatæ probitatis accedat. Vale.

a v.c. puto.

Symmachus Probo. 55.

AIs te multiiugis neceſſitatibus impediri, quo minùs [b] gnauiter amicorum chariſſimos alloquaris. Notæ rei ceſſet aſſertio. Nam & qui procul abſumus, curas ac vigilias tuas communis patriæ copiis & ſatietate ſentimus. Mutaſti igitur officium, non negaſti. Antiquior enim tibi fuit, vt eſſe debuit, ſalus ciuiũ quàm ſalutatio. Nunc ſanè & deſideramus & expoſcimus tuas litteras,

b v.c. grauiter.

largiter congeſta fruge in proximæ hyemis impendium: quan-
a *Al.* nuſquã. quam ſcio necdum tibi hanc partem nimis tutam videri.[a] Nunquam enim eſt ſecurus amor patriæ: & quamuis magna remedia
b v.c.tenuit. conquirat, ſemper illud putat imminere quod [b] timuit. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 56.

BOnæ ſpei plenus, poſtquam mihi aduentus veſtri feciſtis indicium, calcar quoddam ſuperpingo properantibus, & in eã rem tuũ munus imploro, vt parentum ſtudia hortator acceleres. Stabit apud me memoria beneficij tui, nec vnquam tacita erit, ſi fratrum delegata curaueris. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 57.

LOngum loquantur pro incognitis aut alienis verba facturi. Mihi hæc opera deſinenda eſt, cùm litteras noſtras Saturus frater communis accipiat, quas non cõmendationi eius præſtiti, ſed noſtro circa vos amore functus emiſi.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 58.

COmmendari antè epiſtolam fortè mireris. Cauſa iſtud mihi non ſecta perſuaſit. Nam Clemens boni viri functus officio Cæſaream, quæ illi patria eſt, cõciliata maximorum Principum pace tutatus eſt. Fando acceperas rebellione barbarica quot auri, quot argenti, priuati aut publici, ſacri & profani, Mauritaniæ fuit direptione hoſtium lancinatum. Euenit ea tempeſtate vt etiam fidei depoſitum belli iure raperetur: quod à ſummatibus ciuitatis, quos reliquos fuga fecerat, ius ærarij repoſcebat. Miſe-
Vide notas. ra & acerba conditio, niſi iuſtitiam tempore Clementis cura mouiſſet; & quem ego non minùs famæ ſæculi, quàm ciuium ſecuritati dixerim cõmodaſſe. Quid enim præter inuidiam referret ærarium, ſi opes ab inopi curia poſcerentur? Habes ordinem rei. Quod reſtat enitere, vt voti tui aſpiratio vela faciat impetratis. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 59.

SCire poſtulas quid de laceſſentibus ſentiamus. Nolo conſiliũ ſuccenſentis expectes, neque in eius noxam labores, quem vides abundare peccatis. Ipſe cauſas dabit, quas non videaris op-
c v.c. Anque metuitis ne vos. *Sed malè.* taſſe. Sed de illo ſatis habeo dictum. Veniam quò me ducit affectio. Immane quantũ à litteris deſidetis. [c] Anne metuitis ne vos talioне ſilentij mordeam? Quid hyems faciet quæ terra & mari morabitur commeatus? Cogite veſtri officij neceſſitatem, noſtræ

ſtræ ſollicitudinis vicem, meámque arripite diligentiam, quam de nobis mutuò flagitatis. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 60.

GElaſius, cui factum volo, imperialis domus curam recepit: quod negocium ei aliquid attulit dignitatis, etſi plus habet honoris in moribus. Medicinam cum primis noſtræ ætatis exercuit. Modò eſt illi via facta meritorum. Nam ſummates aulæ, quibus iuuandis iſte profuerat, teſtes potius habuit quàm patronos. Abſit vt tibi vſus veniat artis eius, cùm cetera honeſtamenta ſanctiſſimi viri poſſint pro illo ferre ſuffragium. Ergo ama Gelaſium, mihi iamdudum placitum, tibi me ſpondente placiturũ. Vale.

Symmachus Celſino Ticiano fratri. 61.

COmmendarem tibi [a] Anſium laudabilem virum, niſi in meã amicitiã te auctore veniſſet. Quãdo igitur nihil eſt quod illi meus ſermo conciliet, beneficij loco [b] habebo, ſi in eum ſancti animi tui gliſcat affectio. Nam vbi amoris rudimenta præuenta ſunt, ſecundæ [c] gratiæ locus eſt, vt augmenta poſcantur. Vale.

[a] *v.c.* Ayſium. *aliàs*, Auxiũ.
[b] *Vulgo*, habeo.
[c] *Sic v.c. vulgo.leg.* gloriæ.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 62.

RVfus pontificalis arcarius proſequitur apud te mandata collegij, cui præ ceteris retinendi Vaganenſis ſaltus cura legata eſt. Effice oro te, vt diuinitus videatur oblatum tui honoris auxiliũ, & vtriuſque te ſacerdotij antiſtitem recordare. Quicquid publicus vigor aut priuata poſcit induſtria oratus exequere. Multum in gratiam tuam publica vtilitas promouebit. Habes ſummã petitionum. Singula autem tibi vel commonitorij ſeries indicabit, vel Rufus expediet; cui maturum præſtabis effectum, vt ſequeſtratum pauliſper officium regreſſus arripiat.. Vale.

Vide notas.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 63.

POtuit frater meꝰ Acutianus ſuo nomine quod poſcit adipiſci, vt qui ſit non minùs tibi quàm mihi familiaris. Sed interfuit officij mei, vt ei voluntariam operam commodarem. Iuuat autem deſiderium illius iuſticia poſtulati. Nam germanos ſuos Nichaſium & Rogatianum negocium commune curantes, vel ad diſceptationem Numidici Conſularis remitti poſtulat, vel quod ei antiquius eſt, te potiſſimum cognitore mauult quàm primum

moleſtiam litis abſolui. Quare ſi & illius apud te grande momẽtum eſt, & à legibus cauſa non diſcrepat, & interuentus meus libram tui fauoris inclinat, anniti æquũ eſt, vt optimo viro ex ſententia procedat optatum. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 64.

FRatrum noſtrorum Magni atque Magnilli petitio eſt, quam proſequendam recepi; quibus impendiò curæ eſt, vt homines Euticiæ clariſſimæ fœminæ iudiciorum præſidio fulciãtur. Intelligis eas eſſe perſonas, quibus hæc gratia magis ex ſuo merito quàm ex meis litteris debeatur. Nec mireris ipſos ſuper ea reſtituere noluiſſe; cùm reuerentia mei fecerit, vt noſtro ſuffragio potius niterentur. Vale.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 65.

CÆcilianum virum honeſtum, Laurentium Lauinatium defenſorem ſuſceptum cõmendat officium. Cui ſi nihil conciliationis cetera vitæ honeſtamenta præſtarent, interuentus meus gratiam tuã deberet acquirere. Ama ergo hominẽ placitũ mihi, & relligioſæ ciuitatis cõmodis obſequentẽ. Amoris autẽ tui ſumme mus indiciũ, ſi eos quibus negociũ familiare mãdauit, adiuueris.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 66.

AMicorum deſideriis operam non negamus, dum iuſta credimus quæ petuntur: vt nunc mihi vſu venit, qui Baſſum optimis viris placitum non putaui ſuffragio deſerendum. Salua igitur mea exiſtimatione qui bonis credidi, meritum tibi hominis dies longior indicabit. Mihi ſatis eſt, ſi illi primus aditus ſpem tui dederit pleniorem.

* *Symmachus Celſino Ticiano fratri.* 67.

QVando eam Dij poteſtatem tibi dederunt, vt amicis ac neceſſariis meis vſui eſſe poſſis, confido Romano optimo viro, quocum mihi iamdiu familiaritas eſt, in tuo præſidio paratam bonæ ſpei copiã. Duabus enim commendationibus, quarum tibi antiqua cura eſt, adiuuatur, mei teſtimonij prærogatiua, & ſui meriti conſcientia. Nam ſedulò audeo iudicare dignum eſſe quem penſi habeas; & ne longum loquar, cuius amicitia non graueris. Spectata mihi eſt in eo quies animi, officij diligentia. Nemo in amicos fide vtitur prõptiore. Hæc ita eſſe, ſi quid mihi tribuis, velim credas. Si hæc hæret animus, hortor examines. Vale.

Symmachus Celſino Ticiano fratri. 68.

EST aliquid in querelis [a] Faſganię filiæ meę, quod mihi ex voto fateor accidiſſe. Nam niſi futuras [b] ſuo vſui litteras popoſciſſet, ad ſcribendum mihi defuiſſet occaſio. Prælibo igitur ſalutationem, quæ meum ſpectat officium. Reliqua pars paginæ, ad cauſam clariſſimæ [c] fœminæ pertinebit, quæ ſibi ab hominibus tuis neſcio quid agrorum deflet [d] ademptum. Id ego loci & meriti tui conſcius, ſeruili auſu clam te opinor admiſſum, atq; ideo filiæ meæ [e] correctionis facilitatem ſpopondi, ſi ad te [f] familiaris conqueſtio genus iniuriæ pertuliſſet. Quæſo igitur vt temeratæ poſſeſſionis ſtatum iubeas reformari. Si quid autem controuerſiæ eſt, in pignoris noſtri differatur præſentiam, quæ ſecura iuſtitiæ tuæ recuſat alios cognitores.

a *v. c.* Faſganiæ.
b *v. c.* ſibi vſui.
c *Lib. Sc.* dominæ.
d *v. c.* ereptū.
e *Lib. Sc.* correptionis.
f *Sic v. c.* vulgo *leg.* familiarius.

Symmachus Heſperio. 69.

QVotiens viris militiæ notis teſtimonia deferũtur, decet operam verborum facere compendij: quia nihil [g] negocij eſt rebus cognitis immorari. Pro Cęſario noſti omnia facere quæ probãtur. [h] Nunc vt pẽſi habeas, ſperare magis debeo quàm rogare. Si quid vltra expetis in alias litteras conferemus. Nunc mihi multiloquio temperandum eſt, cùm ſatisfactum eſſe videatur & illius voluntati, & tuo honori, & meo muneri. Vale.

g *v. c.* negocium.
h *Lib. Sc.* hũc vt p.

Symmachus Heſperio. 70.

NAtura rerum eſt, vt qui plus balbutiunt, plus loquantur: affectant enim copiam pudore defectus. Hoc exemplum me expetit, cui magna ſcribendi impatientia eſt, cùm deſit oratio. Duobus [i] igitur pariter commeantibus, non putaui officio conuenire, vt vnis litteris gemina expenderetur occaſio. Erit ſuper hoc iudicatio tua, garrulúſne iuſtiùs dicar, an ſedulus. Vale.

i *v. c.* enim.

Symmachus Heſperio. 71.

AMicorum orata curare bonæ frugis officium eſt, præcipuè ſi non refragetur æquitas [k] poſtulanti. Quorſum ſpectet hoc anteloquium, breuiter explicabo. Sabinianum clariſſimũ virũ ita [m] magni facio, vt quos maximè colo. Huic per impreſſionẽ nequaquam patior fratris ſui liberorum tutelæ munus imponi. Duobus enim priuilegiis amolitur iniuriam, maturitate æui,

k *v. c.* poſtulãtis.
l *Vulgo*, alloquium.
m *v. c.* magnifico.

& numero filiorum. Ea res publicis deſignata monumentis, necdum à propoſita obſtinatione deducit peruicacem petitionem. Nunc quia ſecundante fortuna in te huius negocij ſpes recumbit, quæſo vt ei virtute qua celſus es fautum velis; cui vel in meã gratiam præſtandus eſt fauor, vel ad tuam gloriam iuris prærogatiua ſeruanda eſt. Vale.

* *Symmachus Heſperio.* 72.

VNus adhuc mihi ſuperes ex omnibus litterarum viris, cui probari orationem meam laudis auarus optarem. Res cecidit ex voto, vt horter te quo volui. Iam mihi Comici adoleſcentis voce clamandum eſt; Quis me eſt hodie fortunatior, venuſtatiſque adeo plenior? Niſi fortè amor mei ſtilum tuum coëgit in gratiam. Fit enim ſæpe vt iudicis ſeueritatem frangat affectio, & amicorum facta dictáque ea indulgentia cēſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligimus. Sed hæc meritò dicerētur, ni tecum faceret exiſtimatio omnium quibus ſermo noſter auditus eſt: non quo ſententiæ tuæ ex aliorum conſenſu quæratur auctoritas; ſed quia non patet ſuſpicionibus iudicatum, à quo nemo diſſentit. Videro tamen vtrum fides tua an amor illas litteras ſcripſerit. Mihi in alterutra conditione æquè ſummus eſt honor: ſiue ita magnificè de me iudicas, vt gratificatus eſſe videaris: ſiue ita es mei diligens, vt ſecus iudicare non poſſis. Vale.

Symmachus Heſperio. 73.

a *Al.* quanti.

PRæſumptum aut compertum tenes, [a] quanta ſit mihi tuæ laudis antiquitas. Eapropter nihil fieri patior, quod actuum tuorũ gratiam deuenuſtet. Priſcianus frater meus cum primis philoſophorum litteratura & honeſtate cenſendus, Senatu auctore ſalarij emolumenta conſequitur. Super eius annonis dicitur orta dubitatio. Cui ſi nihil talis compendij optimatium voluntas antè tribuiſſet, eruditio [b] ſua fructum ferre debuiſſet. Scis enim bonas artes honore nutriri, atque hoc ſpecimen eſſe florētis Reipublicæ, vt diſciplinarum profeſſoribus præmia opulenta pendantur. Quæſo igitur, ne hac inquietudine aut illius minuatur vtilitas, aut ampliſſimo ordini cenſendi auctoritas derogetur. Intereſt famæ & gloriæ [c] tuæ, vt confirmandi magis quàm negandi commodi cauſa, de philoſophi ſalario dubitare videaris. Vale.

b v.c. tua, & liber Sc. & Pith.

c Li. Sc. meæ, vt.

Symmachus Heſperio. 74.

EN tibi ſecundas litteras meas,& adhuc viciſſitudo prioribus meis debetur, Dicis viandi negocio impeditam diu operam [a] ſcribendi,& alia forſan multa cauſabere. Ego [b] pro tui amore hanc veniam dare non grauabor. Sed eodem amore poſtulo,vt cùm erit ocium, mora neceſſarij ſilentij officio voluntario ſuppleatur. Vale.

a *v.c.* ſcriptionis.
b *v.c.* præ tui a.h.v. nõ gra.

* *Symmachus Heſperio.* 75.

VItalianum clariſſimum virum mei potius officij gratia quàm in adiumentum ſuum credo litteras popoſciſſe. Nam cùm ipſi ad promerendum tuum amorem nihil vltrà poſſit accedere, id tantùm videtur egiſſe,vt mihi ex hoc munere conciliatio tui vberior proueniret.Cape igitur delibatam curſim ſalutationem, cui ſi facundia largiore reſponderis, in exemplum copiæ ingenij mei maciem prouocabis.

Symmachus Heſperio. 76.

SVm quidem ſilentij tui vehementer impatiens, quod genus querelæ amantibus familiare eſt. Sed proximis litteris tibi deſiderium meum expletum eſſe [c] confiteor.Itaque habeo gratiam,multóque opere te obſecro,vt ſcriptioni frequenter indulgeas,Hæc enim ſola officia nullum faciunt de aſſiduitate faſtidium. Vale.

c *Lib.Se.* certificor.

Symmachus Heſperio. 77.

REligionis indicium eſt,quòd me taciturnitatis [d] incuſas.Sed velim credas infortunij fuiſſe non voluntatis,quòd diu [e] prouocatus officio ſcriptionis abſtinui.Nec puto ignorare te [f] quantùm in nos fortuna ſæuierit,quæ me amantiſſimo atque optimo fratre priuauit.Proinde ſi dies longior ſenſum tanti doloris exemerit,familiaribus litteris ſolemnis cura præſtabitur. Vale.

d *v.c.* inceſſis. & *lib. Pith.*
e *Sic lego* Nã *in v. c. erat*, prouocabis.
f *v.c.* quatenus.

Symmachus Heſperio. 78.

QVotiens tua ſumo colloquia, quædam mihi ante oculos præſentiæ tuæ imago verſatur: atque ideo vberiorem capio voluptatem,quòd & tui officij,& mei meriti ſentio vigere [g] augmentum. Sed vt promptior circa me huius muneris diligentia perſeueret,etiam ipſe curam deferendi ſermonis arripui,frequẽter expertus [h] dilectum relligioſi animi incentiuo viciſſitudinis promoueri.

g *v.c.* monumentum.
h *v.c.* delectũ r.a.i.v. prouocari.

Symmachus Heſperio. 79.

TAndem bonæ valetudinis compos, quæ à me hucuſque diſſenſerat, nunc te ſocietate meæ commoditatis impertio, quē præteritæ ſollicitudinis participem habere vitaui: & ſi ſcio ne illo quidem tempore quo officium meum morbus inhærebat, ab huiuſmodi munere temperaturum. Reſtat vt obſeruantiam viciſſitudine munereris. Ea nanque res & tuam curam probabit, & refectioni meæ adiumenta ſufficiet.

Symmachus Heſperio. 80.

VTrum Mediolani etiam nunc tibi poſito pagina iſta reddenda ſit, in ambiguo colloco. Peccari tamen [a] in amicitiæ fidē credidi, ſi litteris referre mutuum honorem deſtitiſſem. Nihil ergo cunctatus commiſi euentui ſolemnem hanc & ſimplicē dictionem ſalutis. Quæ ſi in manus venerit, fac oro, vt perueniſſe litteras meas ſermonis tui recurſus oſtendat. Vale.

a *Sic v.c. vulgò leg.* in amicitiam.

Symmachus Heſperio. 81.

SI facultas mihi ad ſcribendum ſæpe ſuppeteret, voluntas nunquam deeſſet officio. Huius rei euidens certúmque documētum, eſt quòd vbi primum amici communis fida affulſit occaſio, libens ſcribendi munus arripui. Intellexi enim iocundiores fore litteras meas, ſi has tibi familiarior tabellarius tradidiſſet, qui non ſolùm epiſtolam, ſed inſinuationem quoque actuum meorum tibi fideliter exhibebit.

Symmachus Heſperio. 82.

NVnquam in me parcam, quin tuo animo obſequar. Noui quàm ſis ſermonis mei exoptans. Propterea decreui cū animo nihil ſuperſedere litteris porrigendis, nec expectare viciſſitudinem, ne [b] ſcribendo tardior fiam. Sed vt ipſe metui, ne mihi foret flagitio ſi tacerem: [c] ita tu quoque caueas culpam diſſimulatæ familiaritatis accedere. Quod te curaturum liquidò habeo compertum, [d] quando non minùs ingenium tuū quàm meritū meum cogitans, nequeo tui amoris eſſe diffidens. Vale.

b *v. c.* ſcribēdi.
c *v. c.* ſic velim tu.
d *v. c.* quia non.

Symmachus Antonio. 83.

NOn incognito quidem nobis eloquij ſplendore nituiſti, ſed magnis rebus accōmoda & maieſtatis ſcriptis, [e] ad totam gloriam quam magiſterio antè quęſiſti, recens auxit oratio. Nam pręter loquendi faleras quibus te natura ditauit, ſenile quiddam planéque conueniens auribus Patrum, grauitate ſenſuum, ver-

e *fortè leg.* adhuc totam.

borum proprietate ſonuiſti. Denique etiam hi, quorum Minerua [a] rancidior eſt, non negant facundiam tuam Curiæ magis quàm caueæ conuenire. At illi quos coturnus altior vehit, & ſtructurarum pigmenta delectant neque triſtem ſoliditatem, neque laſciuum leporem conſona laude celebrarunt. Hæc ſunt enim condimenta oris tui & pectoris, quod nec grauitate horres, nec venuſtate luxurias, ſed ratione fixus ac ſtabilis germanos colores reb' obducis. Nolo igitur expectes iudicium meum, vt amore delinquam. Quid varia ingenia ſenſerint, intimaui. Fuit enim in illa oratione quod vnuſquiſque diligeret, & pro ingenij ſui qualitate laudaret. Quare ſequere cœpta fœlicia, & te in omnibus æmulare. Nobis ad teſtimonium relligionis ſatis eſt non ſiluiſſe ſentẽtiam ceterorum. Vale.

a *Al.* raucidior. *Vide notas.*

Symmachus Antonio. 84.

ETſi amore conuenior ne ſim circa te [b] auarus officij, nunc tamen libentiùs quàm ſæpe [c] aliâs circa ſcribendi munus inſiſto. Primò, quòd abitio fratris noſtri Marij quodam viatico carere non debuit. Dehinc, quòd litteras meas putaui pluſculum commendationis habituras, ſi tibi per eum quem ſanctè atque efflictè diligis redderentur. Fit enim plerumque vt leuia rerum portitor feſtiuus exornet. Alia quoque de cauſa, ſtudij mei ardor incanduit, quod tecum ſuper talis viri laude putaui gratulandũ, qui è prouincia ſuburbana tantum reportat publici deſiderij, quantum reliquit exempli. Non dicam dolo vtpotè ſuppalpandi neſcius. Viget in eo vena fraterna. Eóque magis factum eſt vt diſceſſum eius impatienter feramus, qui in vno frui videbamur ambobus. Vereor protelare teſtimonium meum, ne magis laudi eius obſecutus iudicer, quàm pudori. Nam quorum mens honeſta eſt, eorum imbecilla frons eſt. Tu conijce plura de paucis, quę nunc inſinuare non decuit, ſed per alium ſcribere non pigebit. Vale.

b *Sic v.c. vulgo leg.* rarus officij.
c *Lib. Pith.* aliâs ſcribendi muneri inſiſto.

Symmachus Antonio. 85.

DVdum te mi frater ſilentio indulgere mirabar. Ea res impendiò augebat dolorẽ, quòd ipſe minimè ſcribendi obſeruantiã negligebã. Simul atque accepi litteras tuas animũ meum ſubiit lætitia, querela deſeruit. Amicitia enim citò [d] ſanatur officio. Tu quoque [e] ita paginam melle erudítiſſimi oris obleueras,

d *Sic v.c. vulg.* ſanabitur.
e *Sic v.c. vulg.* iſtam paginã.

vt quælibet offenſa tanquam lethæo poculo mergeretur. Verſo igitur ſtilo gratiam fateor, qui expoſtulare meditabar, adijciens [a] poſtulatum, ne vnquam ſuperſedere litteris perſeueres. Quòd ſi ſcribenda defuerint, mihi ſatis erit, vt tibi gratuler ſoſpitatis. Vale.

a *Ita in v. c. vulgo leg.* poſtulatũ meũ, quo inſiſtere litteris p.

Symmachus Antonio. 86.

DVlce certamen eſt familiaris officij: & ideo iure ambo cauimus, ne alternis epiſtolis vinceremur. Gratulor [b] enim pares nos eſſe, non ſolùm affectione mentium, ſed etiam viciſſitudine litterarum. Curabo tamen poſthac vt obſequij mei trutina [c] & libra præponderet, ne videatur inertiæ quoddam eſſe colludium ſemper æqua lance cenſeri. Itaque ſcribam [d] ſæpius, modò facultas commeantium non deſit auenti. Ita fiet vt & ipſe laudẽ ſedulitatis affectem, & te curis publicis occupatum, ad repẽdenda colloquia aſſiduitate ſollicitem. Vale.

b *v. c.* igitur.

c *hoc ex v. c. addo, & libr. Pith.*

d *v. c.* ſæpius multo, fac. n. deſit optãti.

Symmachus Antonio. 87.

SAnctum Zenonem commendare non debeo, quem ſcio ad clientelam tuã & amicitias pertinere. Sed in eo tanta morum probitas eſt, vt laudes eius ſilere non poſſim. Itaque virum bonis omnibus merito ſuæ ſedulitatis acceptum quæſo etiam me [e] petente propenſius fouere digneris, præſtaturus & tuæ famæ quæ debet omnium ore celebrari, & interuentui meo, vt has litteras ſibi intelligat profuiſſe. Vale.

e *v. c.* precante.

* *Symmachus Syagrio.* 88.

LAudentur incogniti, vt eorum merita in occulto ſita teſtimonij ſplendor irradiet. Mihi impræſentiarum ſuperſedendum eſt huiuſmodi ſcriptione, ne incœpti fruſtter, ſi fratrẽ meũ Palladium ſpectatum bonis omnibus facundiæ atque eruditionis aſtipuler. Dehinc cauto opus eſt, ne impar tanto viro prędicatio neque eum cui defertur æquiparet, & meã operam deuenuſtet. Quieſco igitur has partes, & hoc vnum tibi perſuaſum volo, mereri facundiam Palladij, vt doleamus quod verbi meatus eſt: * mereri amabilitatem eius, vt quòd accitus eſt gaudeamus.

* *Symmachus Syagrio.* 89.

QVòd nullas ſumpſi litteras tuas, cùm mihi à Principib' æternis legenda in concilio Patrum delegaretur oratio, ſcio non fuiſſe faſtidij tui. Nam bonæ & exploratæ amicitiæ, vel [f] ſi ceſſet officium, ſatis tutæ æſtimationes ſunt. Propterea talionem referre vitaui,

f *in v. c. leg.* ſic eſſet, *ſed leui errore.*

vitaui, vetitus ne quod tu inuitus feceras, ego offenſus crederer reddidiſſe. Longè enim diuerſa conditio eſt fortuiti quàm affectati ſilentij. Res quidem vna negligitur. Plurimum tamẽ refert, quis eam quaſi iratus omiſerit. Sed de hoc ſatis habeo dictum. Nunc ſi me amas, vel quia me amas (nam referri mihi confido quod defero) conteſtare apud inuictos Principes gaudium meũ, qui humanæ voci diuinas litteras crediderunt, quorum victorias ex mei oris[a] promptario Senatus audiuit. Fac veniat in mẽtem quis ille mihi illuxerit dies, quo ego quaſi ex media profectus acie auribus & animis omnium ſalutare nuncium primus infudi. Olim cùm res Romana adoreæ militaris potita eſt, Polluces gemini apud Viturnæ lacum prælij ſecũda vulgarunt. Eos quippe priſcorum voluminum fides tradidit anhelis equis plenos ſudoris & pulueris fama belli[b] præ tergum relicta indicium affectaſſe victoriæ. Idem nunc mihi ſacro iudicio factus eſt honor. Ita quantum gratiæ Caſtores adepti ſunt, tantum principes præſtiterunt. Hæc præ me copioſius & ornatius, quantum es lingua melior, apud auctorem beneficij proſequeris. Habes ſummã voluntatis meæ; cui ſi quid commendationis inſpiraueris, ceteris ornamentis animi tui adiicietur decus præſentis officij.

a promptuario.

b Forte leg. poſt tergum. *Vide notas ad epiſt. 34 lib. 2.*

Symmachus Syagrio. 90.

STudium quod ſcribendis orationibus[c] exhibeam, præmio laudis auxiſti. Vetus quippe ſententia eſt, artes honore nutriri. Quis autem tam cumulatus eſt honor quàm palma dicendi? Ergo etſi intelligo noſtro quòd amore fallaris, titulum tamen præclari teſtimonij albo calculo veterum more ſignabo. Non enim mihi ex ore ieiuno tributa eſt laudatio, ſed de facundiæ[d] penũ boni iudicij fructus arriſit. Vereor indulgere verbis præconij tui, ne gratificandi operam mutuam credamur[e] eniti. Vale, & vt es noſtri diligens, relligioſam obſeruantiam perſeuera.

c *Sic v.c. vulgo* leg. exhibebam.

Plinius lib. 7. c. 40.

d *al.* penore.

e *v.c.* adniti.

Symmachus Syagrio. 91.

MEæ litteræ, quoniam acceptæ ſunt tibi, crebrius commeabunt. Nam vt reſpondeas non laboro. Siquidem videtur iniurium flagitare officia quæ ſponte relligioſus animus pollicetur. Vale.

Symmachus Syagrio. 92.

DVdum mihi nullus litteris tuis honor factus eſt. Quererer de ſilentio tuo, ſi de relligione dubitarem. Sed quia amicitia

vſu credita & expenſa documentis à periculo ſuſpicionis aliena eſt:intelligo quidem per occupationes publicas inhibitam diligentiam ſcriptionum tuarum. Verùm quæſo vt intermiſſum munus inſtaures. Stabat [a] apud me ...... tributi officij quaſi nulla legati culpa præceſſerit. Vale.

a *Videtur leg.* apud me gratia tributi of. q. n. negati culpa. p.

Symmachus Syagrio. 93.

SI quando mihi apud amicum teſtimonij dictio eſt, colubeo operam plus loquẽdi. Nam quid relligio agit, vbi deſideratur oratio? Fero igitur ad te nudum de familiari meo [b] Põticano, ſed fidele, iudicium: quem niſi amore noſtro dignum probaſſem, minimè tibi traderem. Mens eius in aperto eſt, vita ſpectat ad laudem. Scis certè nunquam me faciliorem fauoris eſſe quàm veri. Horum omnium fidem cõfirmabis, cùm in illo plura [c] repperies. Vale.

b v. c. Ponticano.

c v. c. repperieris.

Symmachus Syagrio. 94.

INſtaurant dolorem ſera ſolatia, & ideo mutuum ſilentium calamitatibus noſtris præſtare debemus, ne fortunæ vulnera quæ cicatricem proceſſu temporis ducunt, intempeſtiuæ [d] contrectata crudeſcant. In alia potius ſermo vertendus eſt, quæ te ad curam ſanitatis hortentur. Omnis quippe internus dolor corporis, hyemali creſcit iniuria: ac niſi iter apricis diebus & auris [e] ſalubribus egeris, malè metuo ne vitium cõtemptus exaggeret. Nunc ea quæ remedio [f] accommoda credidi, vel quæ nobis cõmẽdauit vtendi exploratio, ad te miſi, inter votorum ſumma cõſtituẽs, vt remediorum talium neceſſitatem ſpontanea incolumitate præuenias: aut ſi quæ morbi fuerint relliquiæ, vt his curationibus tergeantur. Satis autem muneris communi amicitiæ dabis, ſi eam ſollicitudinem, quæ mihi ex ægritudine tua oborta eſt, proſperiore nuncio nihil moratus exemeris. Vale.

d *Al.* contrectata.

e v. c. ſalubrius.

f *Ita in v. c.* vulgo leg. accommodare credidiſti.

Symmachus Syagrio. 95.

VIdeo Conſul ampliſſime quantum mihi amor tuus honoris imponat. Iubes vt te adeam, & corã defruar magiſtratus tui gaudio. Quo pacto iſtud poſſim negare, niſi ea relligione ignoueris qua vocaſti? Nam quid agam fortunæ dubius, cùm hinc inueterato obſequio honoris tui, hinc luctu amiſſi fratris impediar? Duæ mihi ſimul diſpares perſonæ offeruntur. Qui fieri poteſt vt os vnum cõtrariis affectionibus induatur? Proinde animi coquus

Coniunge 3. epiſt. 21 lib. 3. ad Gregor. & lib. 9. epiſt. 103.

huius operis facito mihi gratiam. Fortunati ſellam tuam læto agmine proſequantur. Auſpiciis tuis quiuis fati integer amicus interſit. Me finito interim tempore aut ratione [a] decoquere amiſſi fratris crudum dolorem. Quid quod etiam parentes mihi in communi mærore ſolandi ſunt? quorum ærumna geminabitur, ſi illis tam immaturæ peregrinationis meæ cura ingeritur. Eſto igitur promptus ad veniam. Certè ſi putas eſſe arguendum quod deſumus, fortunæ meæ potius iraſcere. Illa iniecit manum, illa inuitum retraxit. Ita tibi non perſuadeat, & eſt eadem impotens me noluiſſe proficiſci. Vale.

[a] *Sic lego. nam in v. c. eſt* dequotere.

* *Symmachus Syagrio.* 96.

MEdiolani te agere ante litteras tuas fama pertulerat, quæ nihil ignorari de conſpicuis viris patitur. [b] Siquidem iuuat deſiderantes, quòd peruectus in proxima nobis negaris? Æquius ferebam longinquam tui rationem. Sæpius enim prouinciæ tuæ magno interuallo negatat ceſſabat. Nunc expectationem noſtrã vicinæ facilitate ſollicitas. Nec te excuſare collegiis interuentus Alpium poteſt, eò quòd iuſtior nobis ad querelam facta eſt via, qua tibi ad veniam cauſa deterior. Sed dolori meo faciendus eſt modus. Saltem præ hac epiſtolæ tuæ Romam frequẽtent, Hyblæ aut Hymetti fauis iucũdiores, quarum me in maximo fœnore perceptio iuuat, ſolutio defatigat. Vale. *

[b] *Lego*, Sed quid iuuat.

* *Symmachus Syagrio.* 97.

QVicquid in præſenti muneris contuliſti, officio eorum videtur eſſe delatum. Nos qui conſulatui tuo varia occupatione defuimus, amicitię honore affecti ſumus, non mercede pręſentię. Ago igitur oblatione conſulari gratias vberes, ſed pro bona mẽte maiores. Et niſi verecundia tua verbis meis poneret modum, latius euagerer. Atque ideo erit de hoc ſermo interim parcus, memoria verò prolixior. Vale.

* *Symmachus Syagrio.* 98.

TVæ quidem virtutis eſt, omnes qui palatinis ſtipendiis eniteſcunt iuuare pręſidio. Sed ſpecialis à me viro optimo Romano cura debetur amicitię gratia, quę inter nos longa adoleuit ętate. Quare ſi quid teſtimonio meo tribuis, nolo dubites dignũ eſſe quem diligas, & quem maximis officiis munereris. Certè ſi examen de eo habere digneris, pronunciabis meis litteris defuiſ-

ſe, quę in illius meritis inuenies redundare. Vale.

Symmachus Syagrio. 99.

NE me ocioſum penitus arbitreris, committo eruditioni tuę vigiliarum mearum teſtem libellum, quē nuper ſuſtulerūt in Senatu ciuium ſecunda ſuffragia. Vides quo pręiudicio anteuertam grauiſſimi examinis tui ſeueritatem. Non ſtili mei meritum pręttendo, ſed ordinis iudicatum. Communis mei & auditoribus meis cauſa eſt. Scient omnes aut conſenſum tuę de nobis ſententię, aut contumeliæ ſuæ. Vale.

Symmachus Syagrio. 100.

a Leg. poſſum.

[a] POſſem aliquid de veſtris amicitiis æſtimare. Hinc ſpes oritur amicorum meorum, quæ Theophilo clariſſimo viro tuam opem de meo ſermone promittit. Quid igitur eius commodo velimus in aperto eſt. Effice, oro te, vt eum fiducia mei non videatur eſſe fruſtrata. Vale.

Symmachus Syagrio. 101.

b *Sic v.c. vulgo leg.* putat per te honori L.i.p. Quare.

ALexander vir ornatiſſimus, ſortitus prouinciam Præſidialē, [b] putat honori ſuo incrementa præſtari, ſi tuo amore potiatur. Quare deſiderij ſui me aſciuit interpretem, ſciens apud te tantùm loci eſſe litteris meis, vt hæc commendatio maximi teſtimonij inſtar habeatur. Vale.

Q. AVRELII SYMMACHI V. C. LIB. I. EXPLICIT.

INCIPIT EIVSDEM LIB. II. ad Flauianum.

Symmachus Flauiano fratri, Salutem. 1.

HIC ille eſt Paralius, cui accuſato pater quantum diſcriminis mouit, tantum abſoluto laudis parauit. Multis enim quæſtionib⁹, &, quod eſt potiſſimum, Principis ore purgatus Senator, arguere non poteſt parentis impiam volũtatem, quæ illi præſtitit innocentiam clariorẽ. Hunc ſi amare poſtulas, imperatoris noſtri teſtimonium lege, vt aduertas fœliciter factum reum, quem ſic videas abſolutum. Vale..

Symmachus Flauiano fratri. 2.

TAceat prodiga laudis vetuſtas, quæ appellant & q . . . . . im-bellorum ſimiles, vt quemque ætas tulit, voluminum honore dignata eſt. Mihi ergo Lucilli prædicatione ſermo [a] parcior, fides maior eſt. Quid enim iuuat indulgere verbis, cùm rem liceat experiri? Sit igitur de hoc exiſtimatio, qui bonarum artium ſpectator ſemper fuiſti. Ego Lucillum modeſtiæ meæ atque honeſtatis adſtipulor. Videtúrne tibi dignus eſſe quem diligas, cuius grauitas ſponſore me enititur, ars & eruditio te ipſum iudicem veretur? Vale.

[a] patior, ſed malè.

Symmachus Flauiano fratri. 3:

FRatrum negocia velle cognoſcere, pia & honeſta [b] curatio eſt. Lubens igitur reſpondebo quæſitis. Capuam multo imbre peruenimus. Hic triduum commorati, ad leuandum laborem, Terracinam prius, & poſtridie Formias continuato [c] petemus excurſu. Fors fuat, an poſſit [d] biduotenus eiuſdem nos prædij annona retinere. Vos interea peracto quod Romæ agere deſtinaſtis, Appiam Diis auſpicibus inchoate, ea dimenſione vt iter noſtrum proximis veſtigiis vrgeatis. Vale.

[b] v. c. cognitio eſt.
[c] v. c. petiuimus.
[d] v. c. dubiotenus.
[e] v. c. deſtinatis.

Symmachus Flauiano fratri. 4.

VOlo quieſcas & curarum vacuus ocieris. Nam mihi vir honeſtus Antonius fecit indicium legationis Africanæ conſilium torpuiſſe. Acceſſit ad fidem nuncij quòd nihil ad me ſuper hoc negocio recentes amicorum litteræ pertulerunt. Num eſt aliud quod ſcire poſtules? Imò verò vt [a] mea fiet opinio, vel primùm hoc tibi debuit indicari. Vbi è Cumano nauem ſoluimus, pæne albente cælo maiore ope remigum quàm ventorũ fauore, Formianũ littus acceſſi. Iam Sol meridiem fregerat: amicorum, quos minor nauis accepit, tardior nauigatio fuit, incertum vento obſtante, an per negligentiam miniſtrorum. Hæc interim ratio ſcribenda ſuggeſſit. Curabo vt frequentibus litteris merear de te ſimilis officij diligentiam.

a *fortè*, vt mea fert opinio.

Symmachus Flauiano fratri. 5.

DElati Formias poſt multam partem diei, cùm vos eius rei ſollicitos crederemus, percunctationem veſtram ſcriptionẽ [b] præuertim'. Nec vos magis de nauigatione fuiſtis anxij, quàm nos trepidabamus ne diu eſſetis incerti. Quod igitur reſponderi poſſet litteris noſtris prior ſermo conſumpſit. Nunc æſtimate quanto noſtra de vobis melior fuerit iudicatio, quàm veſtra de nobis. Contemplati enim ſumus magnitudinem ſollicitudinis veſtræ, priuſquam litteras mitteretis: cùm vos eas ideo miſeritis, quia ſcripturos nos niſi admonitos non putaſtis. Vale.

b *erat in v.c.* peruertimus.

Symmachus Flauiano fratri. 6.

EMenſi hæc quoque littora, quæ poſt Formias [c] in Anxurim porriguntur, [d] nauem ac remiges non moramur. Sed Diis opus eſt, vt hic reditus noſter nihil inueniat pænitendũ. Frequẽs enim ſermo eſt, tenui victu in turbas plebem moueri. Nec vlla ſpes datur, præſentibus anguſtiis copiam poſſe ſuccedere. Annus vbique ad famẽ proximus. Claſſis in alios conuerſa curſus. Æſtas propè deceſſit autumno. [e] Diis mehercule, vti præfatus ſum, delegandà eſt huius incerti adminiſtratio. Hominum autem remedia, diu diſſimulata, iam ſera ſunt. Vos valete, & litteras ſperate meliores, ſi fortuna vrbis noſtræ ſecundis amara mutauerit. Vale.

c *v.c. in* Cyrim.
d *Sic v.c. vulgo leg.* naues remiges non morentur.
e *vulgo,* Diis certè.

Symmachus Flauiano fratri. 7.

FOrtunatum te cumprimis hoc in tempore iudicarem, quòd exemptus patriæ incommodis ociaris: niſi ſcirem bonos ciues

& tui ſimiles grauius aduerſa ferre quæ non vident. Ea quippe rerum natura eſt, vt quicquid ab altero cognoſcitur, aſperius & maius habeatur. Adde quòd integer animus putat innocentiã ſuam minui, ſi periculoſis deſit ſuorum. Hæc ego, non vt celerem reditum tibi ſuadeam, ſed vt noueris in communibus malis nihil eſſe quod præferas. Quid enim iuuares eſſe. p. quamquam omnium prudentiſſimus, ſi redires? Iamprimum conſilio locus nullus eſt. Tum in deliberando perſona cenſentium pondus ſententiis facit. Quando reſiſtitur potiori, quando ceditur pari? Dehinc præſens ſtatus non ſapientiam, ſed fortunam requirit. Defectum timemus annonæ, pulſis omnibus quos exerto & pleno vbere Roma ſuſceperat. Fac vt vt his remediis conualeſcam? Quanto nobis odio Prouinciatum conſtat illa ſecuritas. Dij patrij facite gratiam neglectorum ſacrorum. Miſeram famem pellite. Quamprimum reuocentur noſtri, quos inuita dimiſit. Plura tecum loqui quàm neceſſe eſt de aduerſis communibus non libet. Cura vt valeas, & quicquid humana ope maius Diis permitte curandum. Vale. *Vide notat.*

Symmachus Flauiano fratri. 8.

REdditæ mihi ſunt primæ litteræ tuæ tam breues, tam feſtinatæ, vt iter tuum viderentur imitari. Sed ſi mihi credis, nòn eſt in illis deſiderata prolixitas. Omnia enim quæ de amplitudinis tuæ proſperis noſſe cupiebam, ſuccincta enumeratione complexus es; quanta valetudine vigeas, qua celeritate peruectus ſis, quid in æterno Principe ſerenitatis inueneris. Auſim dicere, vberiorem rebus quàm verbis fuiſſe illius epiſtolæ paginam. Nã multa erant quæ gaudere deberem, cùm eſſent pauca quæ legerem. Tu tamen poſthac memento, etiam familiares chartas rigare facundiæ tuæ copiis. Neque enim te exhauſerit, quòd adeuntium preces indefeſſo abſoluis affatu. Quid venerandi Principis mentem loqueris? Oracula ſint iſta prima, nec tamen ſola. Tantùm namque publico vſui à te patior impendi, vt nihil ſolatiis meis [a] detrahas. Vale. *vide hic notat.*

[a] v.c. detrahat.

Symmachus Flauiano fratri. 9.

ET tui cultus & mei officij gratia quælibet ad ſcribendum amplectenda eſſet occaſio, tantùm abeſt vt eam præteriri debuerim, quam ciuis ingeſſit. Agnoſcis enim [b] deſeptæ mẽtis virũ, & domi cognitũ bonitate generis, & foris ætate militiæ: pro quo

[b] *forte leg.* defecatæ mẽtis.

mihi apud te loqui longum non eſt neceſſe. Commẽdatio enim præſtari debet incognitis. Huic verò ad conciliationem gratiæ tuæ ſufficit, quòd & Romanus & amicus eſt.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 10.

IVſtitia quidem ſuffragium non requirit, ſed amicitiarum plerumq; reſpectu, cauſarum celeritas adiuuatur. Quorſum iſtud inquies? Vt nouerit eximia dignatio tua, ſperare quidem virum laudabilem, cariſſimum ex comitibus, de negocij qualitate quòd optatum exitum poſſit adipiſci. Sed intelligere ceſſurum ſibi aliquid ad promerendum ſtudium cognitoris, ſi meis litteris fulciatur. Quæſo igitur vt eius, quem fraterna affectione complector, orata promoueas. Quæ ideo commendanda ſuſcepi, quia maiora ſpe petentes expendens æqua eſſe præſumpſi.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 11.

AD Idus Nouembres Romam regreſſus (nam te quoque idẽ putaui eſſe facturum) aduẽtum tuum impatienter opperior. Et ſanè ſcio litteras meas tibi haud longè ab vrbe reddendas. Nã ſanctus Patricius, quem Præſulem itineris tui eſſe voluiſti, breui te affore nunciauit. Dij vertant benè. Pro tempore pauca libauimus, ſed fabulis plura ſeruamus.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 12.

SPatiari in foro vrbis noſtræ poſt acceptas à me litteras pleroſq; cognoui, etſi minùs vereor ne quid in nos fraudis admiſerit ſimulata antè properatio. Meritò apografa epiſtolarum mearum, ſimúlque hominum nomina vel legenda tibi vel relegenda ſubieci. Tu viciſſim mihi de ſingulis aut impleti officij fidem nuncia, aut violati prode perfidiam. Non minore ſanè cura cupio cognoſcere, an omnes obſignatas epiſtolas meas ſumpſeris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi quàm legi promptũ eſt. Nihil autem fuiſſe quod metuam publicari, decurſis exemplaribus iudicabis, nec eſt vlla inter nos cauſa ſecreti. Aperto pectore officia pura miſcemus. Nihil in conſcientia latet, quod ſcriptorũ cuniculis occulatur. Sed æquum eſt vt ſimplicitati noſtræ non ſinamus illudi. Neque enim diligentia mea debet admittere proditorem, quia cautio præſtitit ne timerem. Vale.

Vide notas.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 13.

CVm ciuiles & bellicas laudes domini noſtri Theodoſij ſtili honore percurrerem (magis enim cõtigiſſe me omnia, quàm

ſatisfeciſſe

ſatisfeciſſe ſingulis fateor) etiam leges eius bonis pacis admiſcui, quas vt noueram priſcis ademiſſe admirationem, ita [a] reſeruaſſe nobis parem gloriam non putabam. Verùm hæc recens [b] ſanctio de fideicommiſſis & codicillorum commodis ab optimo Principe in æternum repudiatis, tantùm claritudine egreditur lucem ſuperiorum, quantùm anguſtius eſt regendis quàm ſubditis modum ponere. Atque vtinam priuata auaritia mentem latoris intelligat, & mores de legibus trahat. Neque enim latet quid ſponte ceteros velit facere, qui ſuſpecta compendia primus exhorruit. Ego certè vereor ne improborum ſitis ad ſe exiſtimet [c] pertinere quæſtum caducum, fiatque innocentium cauſa deterior, ſi ad eos tātùm falſi redeat occaſio, qui neque lege, neque pudore cohibentur. Ergo quia dominorum conditio [d] reſtricta eſt, priuatis cupiditatibus medicina iuris occurrat. Frigent iamdiu apud homines criminoſos vetera decreta, quorum vigor cū latoribus ſuis occidit. Tantùm denuò legibus ſeueritatis addendum eſt, quantùm flagitia creuerunt. Alioquin ſi maioris partis deſeritur emendatio, fruſtrà ſe aſperis ſanctionibus ſolus Imperator adſtrinxit, qui ſemper bonus & integer moribus fuit. Vale.

a *Al.* ſeruaſſe.

b *Al.* cautio.

c *Al.* peruenire.

d *Al.* reſtrictior eſt.

Vide notas.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 14.

AVrelianum filium meum, qui nunc cohortes vrbanas gubernat, in amicitiam te iubente ſuſcepi. Vnde factum eſt, vt ei commendationem quam prius de te meruit non negarem. Neque enim tibi videtur oneri fore quod ipſe feciſti. Petitio autem prudētiſſimi iuuenis de infortunio ſoceri ſui nata eſt, cuius iſte factū non tuetur, ſed lapſum deſiderat ſubleuari. Facito quod ſoles rogantis intuitu: & ſi quid negocio iuſtitiæ deeſt, remitte pietati. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 15.

MOdeſtiſſimis & tuis amantibus viris Marcello & Romano, magis ex vſu amicitiæ quàm in effectum commendationis litteras dedi. [e] Nam quid apud te adiicerem iam probatis? noſti hominum verecundiam. Diligens ſtudia de officiorum veritate non dubitas. Quis ergo locus teſtimonio meo ſupereſt? cùm tuo de illis iudicio nihil poſſit accedere? Et tamen ſi cumulum ſibi addi plenum patiuntur, quæſo intelligant meis precibus auctam circa ſe tuam gratiam. Ita fiet vt mihi quoque acceptum referāt,

e *v.c. habebat,* Nā qui apud te adiicere.

quod ipſi à te ſine adſtipulatore meruiſſent.

Symmachus Flauiano fratri. 16.

SI needum filij mei Nicaſij laudabiles mores & honeſtum inſtitutum didiciſti, accipe pro eo locupletiſſimum vadimonium meum, promotum virtute & humanitate conſpicuum: cui iamdiu Prænatalis familiaritate ſociatur, & bona optimi iuuenis de illius expende iudicio. Iuſta enim coniectura eſt quæ de amicorum pondere & æſtimatione colligitur. Nam meæ adſtipulationis [a] minor cauſa eſt, cùm ſuperioris perſona præponderet. Cuius honori tribuendum eſt à te, non vt nouus ſubdendus examini, ſed vt iam probatus habeatur. Vale.

a *Sic lego. ex v. c.*

Symmachus Flauiano fratri. 17.

SOlet generalem ſalutationem familiaris ſermo præmittere. Hanc ego impenſius tibi voto optare ſtudeo quàm ſtilo dicere. Ergo ad vicem verborum ſolemnium ſcitu digna complectar. Filij noſtri in ſinu auiæ etiam nunc morantur. Da veniam ſi annis grauis, & interim ſolatio tuo carens fœmina tenaciter retinet ſecundum leuamen æui ac ſolitudinis ſuæ. Nos tamen alteri eorum viç inſtrumenta, alteri in ſocietatem conſilij comitem præparamus. Tibi peregrinationem ſenio eſſe inuitus audiui, vel quod eſt dictu diguius parum credidi, cùm patriæ bona & pignerum gaudia in optimi Principis dignatione poſſideat. Quare abiice Baianas cogitationes, & virtuti infructuoſam quietem. Om . . . . labor hic tuus lætior eſt. Amplectamur moneo ſub amante militiam. Vale.

Symmachus Flauiano fratri. 18.

ITa votis in te meis fœlix euentus arrideat, vt ego grauiter fero fratrem [b] affectiorem per te mihi cognitum, per ſe probatum, neſcio quid amaritudinis incidiſſe. Et quia virtutum tuarum contemplatio facit, vt illius fortunæ applicem quod apud te minore momento eſt, ad preces verſus vt tibi reſpondeas famámque cogites, rogo. Præſta hoc contubernio, præſta iudicio tuo, vt tibi non deſit patientia, ſi vlli modus defuit. Nolo videaris deſpectu amici ſatisfacere cuidam nuper Romam regreſſo, cuius apud nos querela auxit gloriam tuam. Certè Euſebius medicorũ potiſſimus obſequio tuo à me traditus, & ad leniẽdas opportunis offenſas iam poterit amara condire. de cuius facetiis duo ſpõ-

b *v. c. habet, effectionẽ per te.*

deo,nec [a] effectioni temporamentum,nec tibi defuturum eſſe ſolatium. Vale. a affectioni.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 19.

EN tibi filium noſtrum quem ſolatio decerpſimus noſtro, dũ deſiderio tuo cedimus. Tandem fultus caro leuamine redi in gratiam prioris lætitiæ.Sed ſi accedis ſententiæ meæ, vbi primùm animum paternum viſu pignoris faueris, vtilia antepone iucundis,iuuenémque noſtrum ad ciuiles faſces contende dimittere.Quo tibi in caſtris coram duobus?Hæc tibi cõſilij mei forma eſt.Facies ipſe quod prudentia maiore delegeris. Plura enim videt qui coram de rerum conditionibus iudicat. Ego quod loquor votum eſt.tu de adpoſitis adſume iudicium. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 20.

SVccurre fidei quæ officiis amicorum debitorem me diutius eſſe non patitur.Fratres mei Romanus atque Magnillus clariſſimi viri iamdudum me relligionis meritis nexuerunt.Et quãuis præmia non repoſcant,quæ ſolet minor expectare fortuna acrius:tamen animum meum ſæpius honeſtate conueniunt.Mẽtiar ſi mihi ad præſtandum deeſſe tempus allegem. quia potentia mea de tui honoris viribus æſtimatur. Fac oro vt effectu honoris ſui ſentiant pro concordia quæ mihi tecum eſt,quicquid defertur vni ab vtroque deberi. *Vide notas.*

* *Symmachus Flauiano fratri.* 21.

OFficij mei ratio ſuaſit vt ſcriberem, quando ea eſt perſona litteras redditura, vt plus de iudicio tuo quàm de meo ſperet auxilio. Itaque omnia quæ mos litteris explicare, ipſi potius narranda delego:à quo amplitudo tua,& quæ de me cognitu digna crediderit,& quæ ipſius fortuna poſcit,accipiet.

Symmachus Flauiano. 22.

SPeraſſem iamdiu corpuſculi mei valetudinem, ſi frui agrorum [b] ſalubritatem potuiſſem.Sed nunc [c] intuta eſt latrociniis ſuburbanitas:atque ideo præſtat macerari [d] odio ciuitatis, quàm pericula ruris incidere. Tuis tamen litteris proficere ſanitatem meam ſentio,quibus beneficia domini noſtri Theodoſij frequẽter enumeras, & vrgeri merita tua magnis præmiis aſſeueras. Et illi quidem ad agendas gratias lingua tua ſufficiet. Ego pro mediocritate ingenij mei viro excellentiſſimo noſtríque in Flauianum voti ſocio, vicem laudis exſolui. Sed iam tempus eſt vt

b *Ita v.c. alij*, ſalubritate.
c *Sic v.c. vulgo leg.* vix tuta.
d *Sic v.c. vulgo*, ocio.

ipſum illum reddire patiaris pro quo obligati ſumus. Quouſque magiſtratum longinquæ prouinciæ ſolatio tuo [a] vindices? Nulla de vxoris vtero cauſatio eſt, cuius expectationem maturus partus abſoluit.

a Vindicas.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 23.

PVtabam tot monitis atque exhortationibus meis aliquid animo tuo acceſſiſſe tolerantiæ. enimuero [b] tu etiam reuerendas neceſſitudines noſtras peregrinationis conqueſtione ſollicitas. Sed quid promouet iſta confeſſio? Non ferunt impatientiam tuam, quibus reditus in voto eſt. [c] Dolent enim ſub quibuſdam ęmulis ciuibus exceſſum celerem nihil laudis habiturum. Quin aſſume conſtantiam, & quid deceat magis quàm quid libeat expende: præcipuè cùm ipſe fatearis in amore domini noſtri Theodoſij venerabilis principis omnium te cariſſimorum pignerum gratiam repperiſſe.

b *Erat in v.c.* vt etiam.

c *v.c.* Valent enim, *ſed malè.*

* *Symmachus Flauiano.* 24.

SImplicium agentem in rebus pæne in portam Flaminiæ retẽtaui, vt ad te pauca & non omittenda dictarem. Filius noſter Flauianus Romã pridie Kalendas Martias venit: & breui tunc in Aſiã ſecũdis auſpiciis ordietur. quod ideo par fuit indicari, vt ſollicitudinem, quam de mora eius hucuſq; tolerasti, ſpes promiſſa detergeat. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 25.

HAbundas quidem conſiliis in omnẽ rem quæſitis, & ſapiẽtiæ cultus artibus monitore non indiges. Sed fas eſt vt ad meas quoque vigilias aliquid priuatis negociis cõferri patiaris. Quare ſi quid prẹmeditatum vtrique noſtrum ſtilus fraternus ingeſſerit, cõſtãtius exſequere tanquã duobus probatum. Si quid ibi adhuc nouum legeris, à te inuentum puta, quod ab amante ſuggeritur. Subieci capita rerũ, quia cõplecti litteris faſtidij fuga nolui. Tuũ erit inſinuata trutinare. Ita enim meo officio functus ſum, vt tibi iudicium reſeruarem. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 26.

BAiarum ſolitudine vehementer offenſus, Puteolis malui cõmorari. Iuuat enim nos iſtius loci ſalubris habitatio. Dehinc ſi adiutu Dei optata proceſſerint, Capuam paramus excurrere, tótumque hunc mẽſem Nouẽbrẽ diuerſis Cãpaniæ locis atq; vrbibus deputam⁹. Hæc eſt enim ſumma propoſiti. Sed vt anim⁹ ala-

crior deſtinata promoueat, veſtris alloquiis erigēdus eſt: quādoquidem ſanitatis veſtræ & fœlicitatis indicio nihil antiquius æſtimemus. Verùm hoc pro inſigni relligione ſponte facietis. Atque ideo non eſt neceſſe voluntariis officiis aculeos exhortationis adhibere. Interea quod te mi frater affore polliceris, vehementer amplector. Atque vtinam te domus tota comitetur, vt & nobis lætitiam pleniorem tribuat aduentus omnium, & tibi cauſa non ſit citius in patriam recurrendi, deſiderio & amore remanentium. Vale.

Symmachus Flauiano fratri. 27.

QVamuis litteras meas fama præuenerit, quæ exoneratum te publicis neceſſitatibus nunciauit: tamen quo fidelior eſſet aſſertio, ſcriptis confirmo rumorem. Sed licèt publicæ rei abſolutione læteris, volo te aduerſum incerta muniri: videlicet vt ſub actorum confectione, vel tuorum, ſi adhuc retines poteſtatem, vel vicariæ Præfecturæ, quæ tibi poſcenti æqua non deerit, diligentiæ tuæ ratio digeratur: quæ poſſit oſtendere [a] quo numero animalia collocaris, & quo apparatu inſtruxeris manſiones, & quantum in titulis fiſcalibus [b] colligendis tua cura promouerit. Hoc enim teſtimonio aduerſum omnes vel fortuitas querelas vel affectatas inſidias protegeris. Vale.

a *v.c.* quot.

b *v.c.* exigendis. *Lib. Pith.* promouēdis.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 28.

ARgue vt vis rerum conſilia poſt exitum, & mihi vitio verte quòd contemptum ſui Præfectura conqueſta eſt. Facilè accuſatur deſertus auxilio. Atque ideo in me recipere malo erroris confeſſionem, ne aut amicos negligentiæ, aut aduerſarios aſperitatis inceſſam. Fuerit fortunæ non conſcientiæ meæ vt victus viderer, qui needum cœperam litigare. Atenim ſcribis cauſis ſimilibus abſtinendum. Vides quantum liceat euentui. Oblitus es morum meorum. Ego [c] verò ſolitæ verecundiæ ignauum quoque iungam timorē, & litteris tuis agam gratias, quæ me depoſita iuris & amicorū fiducia ad omniū iniuriarū ſilentiū cohortantur.

Vide notas.

c quoque

Symmachus Flauiano fratri. 29.

PRo optimis viris quiſquis interuenit, non magis illorum videtur iuuare commodum quàm ſuum commendare iudicium. quare in eo quod fratris mei maximi deſideria litteris proſequor, [d] non tam illi vſui quàm mihi laudi eſt. Eſt enim vita & eruditione liberalium diſciplinarum pariter inſignis, neque vlli præ-

d *Sic v.c.* vulgò *leg.* nō tam illius quàm meæ laudis eſt.

a *Sic v.c. vulgò*, cũ admiſſus abſ. *malè. ita* 7. *epiſt.* 58. in hoc miſſus. *& lib.* 9. *epiſt.* 61. in ea miſſus. *& ep.* 18. *& lib.* 7. *epiſt.* 105.

ſtantium philoſophorum ſecũdus, ac propterea tua familiaritate digniſſimus. Cuius tibi negocia [a] cùm in rem miſſus abſoluerit, quæſo vt humanitate qua clarus es, iuſtas petitiones ingrauato auxilio proſequaris. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 30.

b *fortè.* En quo.

Vide notas.

QVo animo acceperim Sicilienſe negocium vulneratum, facilè coniectas, qui me noueris in alienis quoque iudicatorũ iniquitate morderi. Quin etiam conſilij à te imprudentis accuſor ob admiſſam. Rectè agis. Cur enim ſperaui contumeliam ſacri auditoris vindicandã? Cur de amicis legitima & iuſta præſumpſi? [b] Et quo redacti ſumus? Iuſtitiam perdidi, dum expecto vindictam. Iam illud quo pacto diluam quòd Probus mitior iudicatur, qui in præiudicium vel inuidiam poſſeſſionis meæ parui agelluli retentione receſſit, cùm illi tota mulierculæ præmitteretur hæreditas? Nam referendi hæc ſola Præfecto vrbis ratio fuit; non vt receptarum appellationum pœnam Siciliæ rector exſolueret; ſed vt iniuriam ſuam ſacri auditoris cognitor vindicaret. Nũc reſcriberetur in cauſam poſt victoriam meam contra ſententiam Præfecturæ, cui pars aduerſa conſentit? Si relatio ad fortunam negocij pertineret, & ſupplementa vel reputatorios iurgantes dediſſent, rogo, de quibus actionibus iudicabitur, quas in Sicilia poſt appellationem meam pars vna deprompſit, quibus tyrannicorum temporum geſta ſociata ſunt? Tanti eſt inuidia mei, & grata eſt aliquibus noſtra reprehenſio. Cede aduerſantium voluntati, & domino noſtro inuictiſſimo Principi Theodoſio ſemper Auguſto dignare ſuggerere, non pluris apud me diuitias valere quàm famam. Bonum de me iudiciũ parentis publici, conſeruatoris mei, cuiuis antepono patrimonio. Si placet vt homines mei hæreditaria poſſeſſione decedant, lex mihi erit quicquid omniũ dominus placata auctoritate cenſuerit.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 31.

c *fortè*, conditionem. *& ita poſtea ſcriptum vidi in ſchedis Pithœi.*

SCio te amicum iuſtitiæ & amantem mei. Et vereor vt ſuſcipias vllum pro abſentis exiſtimatione certamen, atque in te aliqua odia detorqueas. Peto igitur vt quieſcas. Erit fortaſſe copia mihi aſſerendæ quandoque apud æternum Principem dominum noſtrum Theodoſium veritatis, cuius erga me fauor fecit, vt aliquid interim moliretur inuidia. Non puto eam cauſæ meæ bonis temporibus [c] eruditionem futuram, quæ ſub tyrãno

fuit, cuius litteris ad Marcellini ſuggeſtionem datis homines meos ſcis eſſe multatos. Quod in Panegyrici defenſione non tacui.

Symmachus Flauiano fratri. 32.

REddet tibi litteras meas, qui tuas mihi debuit exhibere. Neque enim eadem nobis ſilentij excuſatio, quæ tibi ſuppetit. Te multiplex actuum publicorum cura circumſonat. Ego ab omnibus negociis feriatus triſte ocium tero. Et quod tui honoris gratia antè faciebam, nunc meo aſſumo ſolatio. Leuatur quippe ægritudine animus, quoties in officia amica dirigitur. Me verò ad gloriam meam loqui, ſeceſſio mea teſtis eſt. Nam cùm dolore ſaucius æſtuarem, ſedem dominæ meæ communis Parētis, quaſi fanum aliquod Dei ſalutaris acceſſi. Nunc ex eius conſilio vulnus meum in cicatricem conuenit. Illius acquieſco monitis,[a] illius ope reſpiro. Aſſunt etiam ceteræ venerabiles neceſſitudines tuæ, & quod me præ ceteris iuuat, tui quotidie blandam commemorationem ſermo noſter exercet. Qua de re inter Campaniæ terminos maior mihi pars ætatis [b] agitabitur, quando & pręſentia illius placet, & ea conditio eſt Patriæ, vt qui excludi per improbos poſſumus, abeſſe interim velut ex noſtro arbitrio debeamus. Vale.

a v.c. ex illi*.

b *Al.* agitatur.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 33.

REIatio viri ſpectabilis fratris noſtri vicarij indignitatem deprehenſi ſceleris eloquetur. Atque ideo non eſt neceſſe vt dictu & auditu nefaria noſter ſermo [c] percenſeat. Vnum eſt quod & mea petitio, & ceterorum vota deſiderant, vt pro iuſtitia tua inultum eſſe non ſinas, quod exemplo grauiſſimum erit, niſi auſus aliorum vehemens pœna compreſſerit. Fama eſt quendam [d] Pelium, & quoſdam alios de Sardinia, vt aſſeritur, Senatores in crimen adductos. Forum competens obſeruare præceperis. Hos nunc audio ad aliud iudicium eſſe tranſlatos. Quare ſi ipſe ita à te reminiſceris iudicatum, æquum eſſe arbitror vt ſtatutis tuis adeſſe digneris.

c recenſeat.

d *fortè*, Ampelium. *in lib. Pith. eſt*, fama eſt quod Ampelium, &c.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 34.

ADornare te reditum, quòd ſacra Deæ matris appeterent, arbitrabar. Tu inde vnus iter promoues, nóſque & patriam poſt tergum relinquis. Illude vt vis amicorum [e] fœlicitati, quos ſi hæc morderet iniuria, in vicem malæ gratiæ ſaltem litteris

e *Lib. Pith.* facilitati, quos.

a *Al.* abeũtem.

abſtinerent. Nunc verò officiis mulcemus [a] adeuntem, & blanda animo tuo fomenta ſuggerimus, cùm in omnibus curam rei familiaris anteferas. Nam recordaris hoc te præfamine epiſtolã texuiſſe. Nihil hac ætate tractandum penſius domeſticis rebus. Quod ego, dum contemplor venam motum tuorum, ſcio ludo eſſe conceptum. Quando enim ſublimitas ingenij tui curis vilioribus flecteretur? Cenſeo igitur aliis dare verba mediteris, qui ſanctum [b] penetral animi tui neſciunt. Mihi vno genere ſatisfacias, ſi remotis epiſtolarum defenſionibus ipſe remeaueris.

b penetrale, in *libr. Pith.*

Symmachus Flauiano fratri. 35.

EGo quoque in ſcribendo formam vetuſtatis amplector, nimiſque miror quòd mihi librarij error obrepſerit, qui ſolitus epiſtolis meis nomina ſola præponere, vſum ſimplicem nouella adiectione [c] mutarit. Sed id potius caſu quàm conſulto factum liquebit, ſi recorderis ſuperiores nunquã litteras meas iſtiuſmodi titulo ſorduiſſe. Attamen vtcunque res iſta accidit, gratulor noui aliquid oblatum quod me [d] ab ſolito reſpondendi genere vindicaret. Quouſque enim dandæ ac reddendæ ſalutationis verba blatterabimus, cùm [e] alia ſtilo materia non ſuppetat? At olim Parentes etiam patriæ negocia, quæ nunc anguſta vel nulla ſunt, in familiares paginas conferebant. Id quia verſis ad ocium rebus omiſimus, captanda ſunt nobis plerumque intentata ſcribendi ſemina, quæ faſtidium tergeant generalium litterarum. Iuuat igitur me culpa quam [f] dilui, &, ſi non fallor, tibi quoque viam dedit inuſitata referendi.

c *v.c.* mutauit.

d *Sic v.c. vulgo,* abſoluto.

e alio.

f *v.c.* delui.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 36.

ERgo adeo complacitum eſt communi parenti, vt te longiùs quàm vellem neceſſe ſit detineri? An tibi vrbanarum tanta vitatio eſt, vt expectationem meam pia cauſatione fruſtreris? Et reuera nihil hîc agitur aut dicitur quod bonus animus & ſincera natura poſſit amplecti. Sed vtcumque iſta ſunt, ſi Romæ ageres adiutu inter nos mutuo fortaſſe miteſcerent. Nunc grauiores rerum omnium offenſiones vtpote ſolus experior. Exempli cauſa vnum accipe, de quo reliqua coniectes. Prætextato noſtro monumentum ſtatuę dicare deſtinant virgines ſacri Veſtalis antiſtites. Conſulti Pontifices, priuſquam reuerentiam ſublimis ſacerdotij aut longæ ætatis vſum vel conditionem temporis præſentis expenderent, abſque paucis qui me ſecuti ſunt, vt eius officium

ſtatuerent,

ſtatuerent, adnuerunt. Ego qui aduerterem neque honeſtati Virginum talia in viros obſequia conuenire, neque more fieri quod Numa auctor, Metellus cõſeruator relligionum, omnéſque Pontifices maximi numquam antè meruerunt: hæc quidem ſilui, ne ſacrorum æmulis enunciata noxam crearēt. Inuſitatum cenſentibus, exemplum modò vitandum eſſe reſcripſi, ne res iuſto orta principio breui ad indignos per ambitum perueniret. Ne longũ loquar, ipſa verba ad te miſi bonis probata, ſed numero fortaſſe vincenda; [a] licet decretis Pontificum non ſit eadem forma quæ Curiæ eſt. Sed hoc quoque parui faciet inſciẽtia. Quòd ſi tu adeſſes, multum duorum ſanitas promoueret. Quare vbi primum ex incerto morbi parens communis emerſerit, redde te mihi, vt nobis æquiorem vitæ curſum faciant participata ſolatia. — a *Al.* licet in.

Symmachus Flauiano fratri. 37.

NEqueo diffinire, quę potiſſimum mihi reſcribendi [b] ratio cõueniat. Ea quippe iamdiu intemperantia vexor [c] rumorum: vt de his neque decipere falſis, neque ſollicitare veris amantiſſimos mei debeam. Spes tamen, quæ rerum ſemper aduerſarum patientiam ſuadet, in tuto eſt. Et ſi aliquid commoditatis attulerit, nequaquam morabor index eſſe meliorum. Vale. — b *v.c.* forma con. c *Sic v.c. vulgo*, vexor meorum.

Symmachus Flauiano fratri. 38.

FIlij mei Parthenij aduentus nullus commendationis lenociniis poſtulat adiuuari. Sed acceſſurum gratiæ eius exiſtimo, quòd præſentiæ eius etiam meus ſermo coniungitur. Ex ipſo Romæ geſta noſcetis, licèt ſcriptũ fama preuenerit. Neque enim res magnæ & inſperatæ in ſecreto ſe eſſe patiuntur. In bonam partẽ plebs noſtra mutata eſt, adeo vt iugiter ſedicioſorũ pœna poſcatur, & iam terga dederunt inſolentes. Multis non opus eſt. Neque enim quicquam narrandis debeo derogare, qui rerũ plenitudinem venturo ad vos indici reſeruaui. Vale.

Symmachus Flauiano fratri. 39.

[d] ERus Philoſophus, vita atque eruditione præcipuus, iamdiu mihi charus & amicus eſt, & inter prima numerat dona fortunæ, ſi optimis quibuſque iungatur. Studens igitur ad effectum deſiderium eius adducere, quæſo te vt & meriti ipſius gratia, & in honorem commendationis meæ, inter [e] familiarium tuorum præcipuos atque honorabiles cenſeatur. — d *v.c.* Orus. e *Sic v.c. vulgo leg.* famulos tuos præcipuus atque honorabilis c.

Symmachus Flauiano fratri. 40.

IGnacio meo gratulor, quòd noſtra in eum diligentia tuo amore vincatur. Factum eſt quod volebam: nam parciorem de illo teſtimonij cautionem promiſeram quàm ſentire cœpiſtis. Nunc apud te ſi qua actuum meorum ſcire poſtulas explicabit. Tāta illi eſt vtriuſque noſtrûm ex familiaritate fiducia, vt & de me nihil poſſit ignorare, & apud te nihil poſſit occulere.

Symmachus Flauiano fratri. 41.

VOluntaria beneficia tua petitione præuenio, vt quæ tu ſponte tribuis, ego videar impetrare, vt bonum naturæ tuæ in gratiam meam tranſeat.[a] Neagoram clariſſimum virum, Siciliæ faſcibus functum, ſub cuſtodia adeſſe iuſſiſti. Hunc tibi & ſuę vitæ integritas, & merita fraterna commēdant. Accedit illi ad prærogatiuam[b] prædicatio mea. Qui & ſpero probitati eius reſponſuram beneficentiam tuam, ſedulò tamen poſtulo vt ſanctiſſimo iuueni in bonum[c] vertatur exhibitionis occaſio.

a v.c. Nicagoram.

b v.c. precatio.

c v.c. vertat.

Symmachus Flauiano fratri. 42.

COmmendaueram tibi dudum Macedonij viri clariſſimi filium, quum foro tuo nomen dediſſet. Credo eam rem pro ſtudio meo iuueni[d] commodaſſe. Sed quia parentibus nihil ſatis eſt, & efficacior quibuſdam videtur petitionis iteratio: rogatus denuo poſtulatum retexo, non vt nouam cauſidico beneuolentiam præſtes, ſed vt iam tributam digneris augere. Meo autem nomine quæſo te, ne ſic deſiderium repetitum eſſe coniicias, tāquam me prius impetraſſe diffidam.

d *vulgo* commendaſſe.

Symmachus Flauiano fratri. 43.

MErita Sexionis, qui antehac Calabriam redit, multi in bonā partem loquuntur; eáque propter vt ſuffragio tuo à me cōmitterentur orarunt. Eſt humanitatis & conſuetudinis tuæ aliis quoque placitura more dignari. Ergo ſi nihil eſt quod reſiſtat precantium voluntati, effice oro te, vt Sexioni apud te proſint & mea verba & vota multorum. Vale.

Symmachus Flauiano fratri. 44.

PAlatinos iniuriæ reos, quos de Brutiis celſitudo tua præcepit exciri, miles de Prætorio miſſus exhibuit. Sed cum ſacro auditorio eadem cauſa competeret, dominus meus parens, noſter præfectus Vrbi auctoritate iuris, & fiducia[e] tui, perſonas ſibi ad negocium vindicauit. Quod eo ſcribo, vt noueris ap-

e *Al.* ſui.

paritori iuſtam ſubeſſe rationem, qui & parenti tuo ceſſit & legibus.

Symmachus Flauiano fratri. 45.

QVi domini beneficio potiuntur optatis, venerari ipſos corã dominos bonorum gratiæ inſtar exiſtimãt, vt nunc frater meus Peoneus vadatus optimo teſtimonij tui munere, adire properauit parti honoris auctorem. Commendatem tibi optimum ciuem, ſi poſſis parui facere, quem dudum altiùs protuliſti. Superſedendum eſt igitur his verbis, quæ ſuffragari proficiſcentibus ſolent. Neque enim vana ſpes eſt validiora fore apud te merita præſentis, cùm abſentem fauore reſpexeris. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 46.

FErunt Socratem ſi quando excidit cupitis ant deſtinatis, id ſibi vtile quod euenerat æſtimaſſe. Nam meriti ſui ſecutus interpres, ea conieɛtabat eſſe meliora quæ caſus dabat quàm quæ animus adpetebat. Sequor ſapientis exemplum, & in bonam partem traho quod Saxonum numerus morte contractus, intra ſummam decretam populi[a] voluntatibus ſtetit, ne noſtræ editioni ſi quid redundaſſet accederet. Nam quando prohibuiſſet priuata cuſtodia deſperatæ gentis impias manus, cùm viginti & nouem Saxonum fractas ſine laqueo fauces primus ludi gladiatorij dies viderit? Nihil igitur maior familia Sparticon equiorem, velim quæſita facile factum eſt hanc munificentiam Principis Lybicarum largitioni mutari. Nam gladiaturæ idoneos communis cura proſpiciet; quæ pars in apparatu quæſtorio prior eſt, vt auctoramento lectus longos vſus inſtituat. Noſtros, quibus vrſorum lectio & comparatio iampridem credita eſt, peruectos ad te temporis æſtimatione non ambigo. Sed ſi curſualium præpoſitorum auaritia retardantur, erit beneficentiæ tuæ moris quibusquibus tenentur. Vale.

[a] *Leg. voluptatibus.*

Vide notas.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 47.

OPe deûm ſecunda nauigatione & facili itinere ad deſtinata peruenimus. Appetebat commodùm tempeſtiua hora con-

uiuij. Vbi curare corpora cibo cœpimus, adcurrit qui mihi amabiles litteras tuas, ſimúlque tuæ captas è mari copias exhiberet: quæ nobis eſui mox fuere. Nam libuit indulgere genio, poſtquã paruulum noſtrum periculo exemptum ſpes optata reſpexit. Habes omnem rem: cura vt valeas, & patriam tui amantem quàmprimum reuiſas, bona parentis vt ſpero venia, cui mox peracta luſtrali ſolemnitate redderis.

Symmachus Flauiano fratri. 48.

AD tertium nonas Octobres primo lucis reſpondi litteris tuis, quas pro interiectu itineris [a] quo nunc diſtamus, à me meridie ſumere debuiſti. Sed vt ſcripta ad veſperam mihi reddita prodiderunt, meum officium meámque curam tabellarij lentitudo ſuſpendit. [b] Ego tamen huic moræ ſuccenſere non poſſum. Defuiſſet enim tibi cauſa ſermonis iterandi, ſi maturè reſponſa noſtra legiſſes, quæ vt confido iam tradita ſunt: niſi fortè denuo aliquis ex vrbanis diuitibus inſeſſor viarum ſcripta noſtra [c] furetur. Dij illos mentibus ſuis puniant. Nos ad incepta redeamus. Humor qui paruuli noſtri pectus obſederat, atque importunam tuſſim ciebat, magna parte tenuatus eſt, [d] ita quòd ſpiramẽta fauciũ libera nihil iam ſtridulum ſonant. Deûm benignitas velit [e] proceſſum ſanitatis eius in ſolido collocare. Nos vt à metu præſentium reſpirauimus, ita voto futura munimus. Vale.

a *v.c.* quo nũc detinemur à te, mer. ſ. d.
b *v.c.* Ago tamẽ huic morem. Succenſere.
c *v.c.* furauerit. D. i. m. ſ. p. Nũc ad quæſita red.
d *v.c.* itaque.
e *v.c.* præceſſ.

Symmachus Flauiano fratri. 49.

SCribere hucuſque non libuit obſtrepentibus imbecillitatum querelis, quas indicare vitamus. Hinc factum eſt vt officium noſtrum tua [f] alloquia præuenirent. [g] Poſtquam dono diuino ſanitate frui cœpimus, cura rediit ſermonis. Sume igitur litteras, ſeras quidem, ſed voto tuo & propoſito congruentes: quæ vt diu dilatæ ſunt, ita deſiderium ſui indicio meliore penſabunt. Vale.

f *Lib. Sc.* colloquia.
g *v.c.* Poſtq. diuina ope ſanitatis bono frui cœpimus, redit cura ſer.

Symmachus Flauiano fratri. 50.

ITer in patriam diis auſpicibus ordiemur, quod tibi & antè cõpertum eſt. Sed religio monuit vt diei quoque certior redderis. Cras igitur viam nobis diſce relegendam. Et quia promiſſi ſeruantiſſimus es, fac memineris ad publicum ſolemne contendere.

Symmachus Flauiano fratri. 51.

EMiſeram prior ſcriptum quod in manus tuas dudum præſumo veniſſe. Haud multum proceſſit horæ, cùm aderat qui à te mihi litteras exhiberet. Decurſa oculis pagina requiri à me comperi diem cœptando itineri deſtinatum. Sed ego hanc curam ſpontaneo ſermone præueneram. Ergo reſpondenda conſumpſimus. Quid ſupereſt, niſi vt [a] graculeris nobis animos eſſe cognatos. Nam quæ te ſcire velle præſumpſi, priuſquam quæreres indicaui. Vale.

a v.c. gratuler.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 52.

REditus ac recurſus in patriam, qui ſemper omnibus gratus eſt, feſtinationi noſtræ nequaquam pro expectatione reſpōdit. Cauſas ſi deſideratis accipite. Iamprimum vt communia domeſticis præferamus, rem frumentariam noſtrę vrbis nulla auget inuectio. Spes ipſa, quæ in aduerſis alere animos ſolet, recuſat effugium polliceri, cùm ſterilis annus ne ſemina quidem terris cōmiſſa reddiderit. Dehinc vt apud vos familiarem curam loquamur, vrget Oſtienſe prædiū noſtrum militaris impreſſio. [b] Nos legum inane nomen vocamus. Dij viderint exitum cauſæ. Interim mordemur non metu damni, ſed æquitatis iniuria. Collegarum tractatus, qui me exciuerat, æternis Principibus legendorū in Africam virorum reddidit optionem. Ceſſat ergo patrum deliberatio. Non vocemur.

b *Ita hunc locum repoſui. Vide notas.*

* *Symmachus Flauiano.* 53.

FVngeris boni fratris officio. Sed define memorem commouere. Notæ nobis ſunt cerimoniæ deorum, & feſta diuinitatis imperata. Niſi fortè me ſolùm exſequi vicē tuam poſtulas, & vt adſolet res diuina mandari, mihi tuum munus iniungis. Fruere deliciis copioſis. Nos mandata curabimus. Sed memento exactis feriis participes facere luxuriæ tuæ, quos tantopere laboraſti conſortes habere ieiunij.

* *Symmachus Flauiano.* 54.

GRatioſa eſt expoſtulatio quæ requirit officium. Sed cùm in ſcribendo numquam reſidem geſſerim voluntatem, fruſtrà neglectæ familiaritatis accuſor. Vtor in ea re teſtimonio hominū tuorum, qui dudum ſibi epiſtolam traditam tabellarij vitio diſtulerunt. Volo igitur apud te ſeruatæ amicitiæ mihi conſtare ra-

tionem. Nam vehementer iniuriũ eſt ex alieno peccato næuum violatę relligionis adtrahere.

* *Symmachus Flauiano.* 55.

SPe bona valetudinis mari vicina delegimus. Sed necdum auras ſalubres ventis obluctantibus experimur. Hinc pigrior eſt matronæ ad ſanitatem recurſus: cui ſi quid refectionis dies melior adiecerit, optatum de ea indicium non morabor. Vrbanis negociis vt inſinuare dignatus es, inquies monitor ſecurus illudit. Alieno enim periculo inefficax & copiæ nocitura tentatur, vt cùm vilitatis metus in anguſtias coëgerit ciuitatem, tunc opum validis quęſtum augeat auara venditio. Hoſcine homines arbitreris, qui plus amicis conſilio nocent, quàm inimicis odio abeſſe potuiſſent? Sed nos publico dudùm opere perfuncti aliena ſileamus. Dij meliora procurent. Neque enim gaudere dignum eſt, ſi qua mihi laus ex alterius errore proueniat. Vale.

Symmachus Flauiano. 56.

IN maximis quidem rebus, quid mihi ſtudij atque amoris impendas, frequenter aduerti. Sed hæc quoque crebri ſermonis officia, vt potè ex intimo affectu deprompta, complector: quorũ aſſiduitas cultum [a] circa te meum pari lance compenſat. Iucunditas verò tanta eſt, vt fatear me alloquio tuo potius incitari ad deſiderium quàm repleri. Ea quippe rerum omnium ratio atque natura eſt, vt cuncta quæ humanis ſenſibus blandiũtur, nequeāt afferre faſtidium. Itaque cùm ſoluendis atque agendis gratiis par eſſe non poſſim, facio quod ſolent improbi debitores, qui adhuc alieno ære depreſſi, cupiũt ſecundo nexu fœnoris obligari. Quare etſi numeroſæ ſint litteræ tuæ, non vt ingratus, ſed vt muneris tui cupidus, poſtulo crebriores. Facilè autem cõijci poteſt, quam vicem [b] colloquij ocioſus ipſe pollicear, cùm ab occupato huiuſmodi officium impatienter [c] expoſcam.

[a] *Al.* circa me tuum.

[b] *Sic v. c. vulgò leg.* alloquij ij. pollicetur.

[c] *vulg.* expoſcat.

* *Symmachus Flauiano.* 57.

DIu domo abeſſe decreueram, iocundúmque ocium cum familiaribus noſtris in ſuburbano, cui Ærabianę nomẽ eſt, exigebat. Sed quia fors verſat humana, nec ſemper ex voto deſtinata ſuccedunt: Præfecti litteræ ruperunt ocium meum, quæ bonæ ſpei ſollicita miſcebant. Speciatim præſentiam meā per ambiguā popoſcerunt. Non differo expectationem tuam coactum tractu Senatum commoueri, ſed & oblationem faciendam ſcriptis ſe-

cretioribus indicauit. Nihil publicatum, nihil lectum eſt. Quantitas poſtulatæ rei exceſſit opulentiam recognitam. Vaſtum ſilêtium cunctis ſtupor ſubitus imperauit. Quo longiùs prodeunte, placuit in tempus aliud deliberanda produci, ne omitterentur abſentes: quamuis ipſe dixerim Romæ aut in proximis poſitos vel euocati debere vel conſuli, quorum non debet ob eam cautionem futuram vt ſtatutis ordinis polliceantur adſenſum. * Habes omnem rem de qua quid etiam ſatis noſti. Tibi etiamſi cauſa communis eſt, procul tamen abeſſe ad ſolatium proficit.

Symmachus Flauiano. 57.

PAulo antè litteras dedi Nunc reddo reſponſa, quia illis neceſſaria continentur. His ſalutatio ſola præſtringitur. Valemus vt verum eſt. Si & tibi omnia a proſperè ſuccedunt, ſcriptionis fide mecum commune bonum participa.

a *v.c.* proſp. fiuunt. *fortè,* fluunt.

* *Symmachus Flauiano.* 58.

SVburbanum prædium quod viæ Appiæ adiacet incolebam, cùm mihi litteras tuas in hoc miſſus exhibuit. Noſti rura quæ loquimur, vbi magnas ædes in anguſtis finibus collocaui. Hîc dulce ocium ſi quis atque tu dulcis es pauliſper exegimus. Nunc Veſtalis feſti gratia domum repeto. Incertus manéns necum ciuibus, an rurſus in vicinia concedam. Tu quid agere decernas? Nam certè iuſto diutiùs affuiſti, debeo cognoſcere. Vocat enim te in Curiam noſtrã diis auctoribus quàmprimùm candidati mei deſignatio, cui ſupra omnes ornamento eris, qui nos vel affinitatis vel amicitiæ officiis proſequentur. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 59.

IAcui apud Neapolim ſoli quod mihi ex tuo adiacet, vt ædes nouas molirer, optaueram & tu mecum operam Luculuma partires. Et ne verecundia refutet oblatum, negas tui iuris videri, quod ego meũ fateor non fuiſſe. Patere vt ſaltem gratiam tibi debeam. Neque enim fas eſt mala fide me recuperare quod poſſum bona ſumere. Adijcis præterea lenocinia quibus morbum fabricatoris irrites. Geminam porticum ſolido & incorrupto opere curuatam multis in longitudinem partibus explicari; vicina eſſe quæ conſtruo, & paruo ædificationis negocio quod interuenit poſſe miſceri. Quid laboras aduerſus

verecundiam meam? Ego quoque facio quod recuſas. Gratus ſum muneri tuo: ſed vereor ne accedente ſumptu, dum vetera nouis nitimur æmulari, intelligam te maiora velle concedere quàm me poſſe reparare. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 60.

ET habitus & crinis indicio eſt. Serapamnon litterarum peritiam pollicetur: cuius ſi ſe meminiſſet exſortem, numquam philoſophis congruentem ſumpſiſſet ornatum. Sed de hoc veſtrá exiſtimatio ſit, qui talium rerum profitemini notionem. Mihi relligio fuit non negare verba poſcenti. Facies itaque rem morũ tuorum, ſi ope atque humanitate fortunam peregrinantis adiúueris. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 61.

a F. apparitori. POſtquam Gaudentio [a] apparatori tuo inuicem peracti à me itineris epiſtolam dedi, agens in rébus mihi apportauit ſacras litteras ſpei & deſiderio congruentes, quibus cognoſcerem claré in aures publicas deſignationem Conſulatus mei debere proferri. Quid igitur eximio animo tuo lætitiæ plenus exoptem, niſi vt
b F. fruaris. ſimilis mox [b] fruamur etiam lætitiæ gaudio? Quod ſpero dominum noſtrum Theodoſium venerabilem cunctis & præcipuè bonis ſolita in amicos dignatione facturum. Siquidem dignũ eſt vt auguſtiſſimus honorum noſtrorum patronus æquet dignitatibus, quos ſcit mentibus conuenire. Vale.

Symmachus Flauiano fratri. 62.

c v.c. tuum. CReſconio amico meo amorem [c] meum multa conciliant. Primò quòd ſacras litteras, quibus Conſulatus mei deſignatio tenetur, exhibuit. Dehinc quòd eum patria Africa non minùs tibi quàm mihi chara commendat. Cuius mores cùm primo loco cenſere debuerim, malui tuo examini reſeruare. Suſcipe
d v.c. credidit. igitur oro te notum militiæ virum, qui ſe apicem fœlicitatis [d] credit habiturum, ſi eũ patrocinij tui ſplendor illuminet.

Symmachus Flauiano fratri. 63.

EXercet me quidem votiuis ac fœlicibus negociis præparatio Conſulatus. Sed vt litteræ tuæ frequenter indicio ſunt, tua pro me cura præponderat. Hortaris, mones, cogis, vt quicquid
e Lib. Pith. nihilominus omnia ſollic. potiſſimi magiſtratus functio quærit accelerem, & cùm ſis meæ exactor induſtriæ, [e] nihil minùs ſollicitudini tuæ vendicas. Ertne tempus optatum, quo iſtam mentem paribus pro te officiis

diſtrictus

diſtrictus æquiparem? Spero actutū florente Repub. & propagato [a] in æuum domini noſtri Theodoſij principatu, virtutes tuas faſcibus munerandas. Tunc epiſtolarum ſtimulos nō requiram, nec expectabo monitorem. A te enim didici ſponte ſuſcipere quicquid pro fratre curandum eſt. Vale. a Al. in æternum.

* *Symmachus Flauiano.* 64.

AStipulationem præclara merita non requirunt. Siquidem virtus ſua luce conſpicua, auerſatur auxilium commendationis alienæ. Ergo cùm dominum & fratrem meum Licinium celebrem fecerit ad normam veteris diſciplinæ gubernata reſp. quid poteſt ei dignitatis adiicere priuata laudatio? Hac igitur præmiſſa parte, optimæ in amicos fidei ac diligentiæ virum præcelſo animo tuo opta ſociare: non quòd iudicium tuum ſerum atque difficile ſit ad colligenda ingenia, & explorandas voluntates bonorum: ſed ne breuis inter vos vſus & feſtinata diſceſſio neget iuſtum tempus examini. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 65.

SI amicitiæ ſemper ratio depoſcit, vt mutua negocia alternis iuuemus officiis, quanto impenſior vtilitatibus propinquorū cura debetur, quorum nobis bona & aduerſa communia ſunt? Quid quod ſæpe bonitas cauſę cohortatur, vt quod debemus, tribuamus prompti æquitati? Quæ me non minùs pro illo quàm neceſſitudo commouit, vt ipſe etiam comperto ex relatione Victoris ſpectabilis viri negocio iudicabis. Nam quo res notior fieret, publicæ epiſtolæ malui exempla ſociare: ne quid fiducia dicere per gratiam iudicarer. Nunc ſi tibi voluntas [b] cordis eſt, b F. cordi. præſta huic quæſtioni maturam ſecuritatem, quam pro iuſtitia etiam me ſilente deferres.

* *Symmachus Flauiano.* 66.

PArua eſt commendatio ſcriptorum meorum, ſi Leontium familiarem meum innocens vita bonis quibuſque conciliat. Suo igitur præditus merito, commendationis adminicula non requirit, & tamen abſtinere non debeo tali genere litterarūm, vt magis amicitiæ ſatisfaciam, quàm vt ei aliquid opis cōferam. Tu tamen pro dignatione qua clarus es, facito nouerit gratiam ſui meo quoque nomine eſſe geminatam. Vale.

H

Symmachus Flauiano. 67.

BReuem neceſſe eſt eſſe ſermonem, qui properanti repentè committitur. Quare & officio ſatis eſt, & breuitati temporis congruit, vt circa te ſalutationis honore perfungar. Viciſſitudinem verò efflagitare non debeo, quam mihi arbitror à viro amicitiæ ſeruantiſſimo etiam ſine [a] admonitore referendam. Vale.

a admonitione.

* *Symmachus Flauiano.* 68.

VT ſilere non poſſum quotiens ſtilum inuitat occaſio : ita ſi deſit cauſa longioris adloquij ..... paginæ [b] ſtringo compendio.loquax enim copia eſt, quæ in re vſitata atque ſolēni verborum redundat eluuie.Hanc igitur dico,& viciſſim peto:vt me proſperorum tuorum indicio munereris.

b *Sic loquitur lib. 1.epiſt.* 50.

Symmachus Flauiano fratri. 69.

HVmanitatis intereſt commendationem deferre poſcentibus. In Zenobio autem talis officij cauſa propenſior eſt, cùm ſit familiaris meus,atque ideo illi debeatur potius quā præſtetur affectio.huic patrocinium tui cupio prouenire. Nam primum eſt,vt meo ſuffragio diligatur.Secundum erit,vt ſua honeſtate complaceat. Vale.

Symmachus Flauiano. 70.

COnſiderans quid mihi amoris digneris impendere, arbitror Cyriaco domeſtico meo has litteras profuturas, quibus quæſo vt commoditatem eius prompto fauore reſpicias. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 71.

VIr clariſſimus Honoratus cumprimis mihi vitæ honeſtatiſque complacitus eſt. Credo iudicium meum tibi aſpernabile non videri.Id ſi ita eſt,neque me opinio fruſtrà habet,futurū reor,vt ex prærogatiua iſtius teſtimonij ad familiaritatem præclaræ vnanimitatis tuæ,quaſi tibi etiam ſedulò ſpectatus,accedat. Vale.

Symmachus Flauiano. 72.

DElectat eos frequenter affari, quorum animum mei amantem documentis habeo comprobatum.. Cape igitur litteras meas:quas ideo libenter emitto,quia religionis tuæ viciſſim [c] paſcor alloquiis.Quę res acuere nos debet ad officia promptiora, [d] vt tibi in commoda fœnoris largior vſura reſpondeat. Vale.

c v.c.poſcor.
d v.c.cū tibi in cōmodo.

* *Symmachus Flauiano.* 73.

VAlentinianus, protector dudum patrocinio culminis tui per me traditus atque commiſſus, domeſticis occupationibus attinetur: atque ideo magnopere popoſcit obeundũ ſibi aliquod negocium per ſuburbanas prouincias impetrari. Quare decus noſtrum familiari meo deſideratum munus excude, aut impetra commeatum, quo poſſit à militari nota ſub hac impetratione defendi. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 74.

CVm in iudicio Præfecturæ famoſa cauſa pẽderet, Diſcolius, qui furti detulerat actionem, multóſque noſtri ordinis varia criminatione perſtrinxerat, occultè cum reis inita pactione non ſine [a] diſceptatoris inuidia eluſit examen. Ad huius inueſtigationem miſſus apparitor, ſi Prætorianorum adminiculum ſortiatur, procliuior ei facultas retrahẽdi accuſatoris eueniet. Intereſt igitur publicæ diſciplinæ, ſimúlq; ad famã pertinet cognitoris, vt eũ ſummo ſtudio conquiſitum reduci in iudicium ſub cuſtode præcipias, ne innocentiam ſenatorum obnoxia rumoribus ſuſpicio decoloret.

Vide notas.

a Sic leg. non deceptatoris, *vt in v.c.*

* *Symmachus Flauiano.* 75.

AMor tuus in Domitum notus & validus ademit mihi commendandi eius laborem: pro quo hoc tantum dixiſſe ſuffecerit, mihi quoque eundem priſca familiaritate cõiungi. Quę res illi incrementum patrocinij tui, vt ſpero, præſtabit. Probabiliorẽ quippe eum tibi faciet communis ſimilitudo iudicij. Interea nos vrſis ſæpe promiſſis & diu ſperatis ſub ipſo articulo muneris indigemus. Vix enim paucos catulos maceratos inedia & labore ſuſcepimus. Et de leonibus fama conticuit: quorum aduentus poſſet efficere, vt vrſorum defectũ cõgreſſio Lybica repenſaret. Vnciam panis malitioſè & temerè reſtitutam ſpontanea voluntas populi redegit in copia conditorum. Tuta igitur omnia atque ſecura ſunt, quæ animum tuum iure mordebant. Atque vtinam ſollicitudines quæſtorias par ſucceſſuum fœlicitas mitigaſſet. Vale.

* *Symmachus Flauiano fratri.* 76.

EDitioni muneris noſtri & vſitata à te & inſolita conferuntur: ita omnia ad conciliandam Quæſtori noſtro plebis fauorem, & ſolemnium rerum largus, & nouarum repertor

excogitas: vt nunc ſeptem Scoticorum canum probauit oblatio, quos prælusionis die ita Roma mirata eſt, vt ferreis caueis putaret aduectos. Ergo & huius rei cauſa, & præterea munerum ceterorum, quantas poſſum maximas gratias ago: licèt in his quæ ſtudioſè fratribus pro magnitudine animi tui tribuis, beneficium te non putes præſtare, ſed ſumere. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 77.

a Fortè, ali.

PArs hominum [a] alij cõpendiis & quęſtibus gaudet, me votiua delectat expenſio. Itaque auidus ciuicæ gratiæ Quæſtoris filij mei ſumptibus ſtudeo aliud genus largitatis adiicere: vt curulibus ſtabulis vrbis æternæ etiam quina mancipia largiamur. Et quoniã ſeruorum per limitem facilis inuentio, & precium ſolet eſſe tolerabile, quàm maximè te deprecor, vt per homines ſtrenuos viginti iuuenes prædicto negocio congruentes iubeas comparari. In quam rem ſolidos ad te miſi libita æſtimatione hominum, quorum non forma ſed ætas & ſanitas eligenda eſt.

Symmachus Flauiano. 78.

b *v.c.* Qua exſpectatus.
c *v.c.* demereri.
d *v.c.* maximè.
e *v.c.* plerumque.

FRatri noſtro Andromacho omnes bonę artes familiares ſunt, ſed præ ceteris fides. [b] Qui ſpectatus mihi, tuum quoque iudicium optat [c] mereri. Itaque dum te expetit, iter imbecillis graue gracilitatis ſuæ oblitus intrauit: hæc illi [d] maxima cauſa fuit, pro viribus, vt ſolet [e] plæraque animus, ſpe & gaudio morbum leuare. Aduertis igitur quàm prompto & patulo amicitiæ ſinu receptandus ſit, qui tui deſiderium ſuæ valetudini prætulit. Quid plura? appetendus tibi foret, niſi te ſponte ſequeretur. Ergo accurrenti relligioſam manum porrige, vt qui te nouit virtutibus ſuperiorem, [f] comitate parem ſentiat. Vale.

f *v.c.* cõmunitate.

Symmachus Flauiano. 79.

g *v.c.* munerari.

COmmendatum mihi à fratre meo Hilario virum deuotiſſimum Ticianum quo alio poſſum beneficio [g] munerare, quàm vt eum ſancto pectori tuo non aſpernãdus precator inſinuem? Etiam ſpero petitioni meæ ceſſuram facilitatem, quando eo ſtudio atque propoſito es, vt inſtar gratiæ habeas, ſi tibi probabilis amicus accedat. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 80.

Vide notas.

FIlius noſter Symmachus peracto munere candidato, offert tibi dona quæſtoria, & ceteras neceſſitates noſtras pari honore participat. Quæſo igitur vt eius nomine dyptica & apopho-

reta ſuſcipere dignemini, qui apparatui ei' plura & præclara tribuiſtis. [a] Præterea domino & Principi noſtro ad referendam largitatis eius ſedulam magis quàm parem gratiam auro circundatum dypticum miſi. Ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus & caniſtellis argenteis honoraui. Tuæ igitur poteſtati tuóque arbitrio committo, vt opportunè ſingulis quæ miſſa ſunt offerantur.

a v. c. Propterea.

* *Symmachus Flauiano.* 81.

MVlti à me conciliationem litterariam popoſcerũt, ſed quorundam meritis, aliorũ precibus parem gratiam dedi: nec tamen vereor, ne tibi ciuium ignota diſtinctio ſit indicium de his cõmune recolenti. Dabis igitur in quibuſdam verecundiæ meæ veniam, quæ ceſſit orantibus. Sequeris autem quod ſcis de ſingulis vtrumque ſentire. Puto ex his verbis, quo in numero filium noſtrum Attalum ſpectabilem virum cenſeam facilè dinoſci. Namque iſta libera & apetta diſcretio ei tuto credita eſt, qui non fuit in parte cogentum. Quare tuo ac meo nomine amicitias accurrentis amplectere: vt huic in fructu ſit cultus bonorum, prauis dolori, quòd ſimiliter diliguntur.

* *Symmachus Flauiano.* 82.

IAmpridem domino & fratri meo Alipio comitatum ſacrum viſere atque adire cupienti ſera quidem occaſio, ſed læta ſucceſſit: vt eum Conſul acciperes. & ideo in conſpectum tuum alacer occurrit, vt beneficiis votiua reddat officia, & ſancti animi tui fretu nubem inuidiæ ſuperioris abſtergeat. Quod illi arbitror ex voto eſſe ceſſurum. Neque enim famæ eius deeſſe aliquid patieris, qui ſecuritati cuncta tribuiſti. Vale.

Vide notas.

* *Symmachus Flauiano.* 83.

REctè & probabiliter iudicaſti fratrem noſtrum Tacianũ ſpectabilem virũ Conſulatui tuo intereſſe debere. Siquidem æquitas poſtulabat, vt voti ſui voluptate frueretur. Nulli vnquam noſtrum tui amore ceſſit, quinimmo ſemper primas ſibi erga te partes obſeruantiæ vindicauit. Itaque teſtem alium non requirit. Scit enim ſibi plus eſſe loci apud tuum animum quàm poſſet meo ſermone conquirere. Relinquo igitur eum fiduciæ ſuæ, quia nihil poteſt eſſe cumulatiùs. Hoc tantùm ſubijcere contentus, me quoque tibi eius nomine, ſi quid gratiæ cœperit, obligandum.

* *Symmachus Flauiano.* 84.

FAcilè patrem noſtrum Elpidium ad proficiſcendum traxiſſet affectio, niſi eum vnici cura retineret. Tantùm quippe eſt in eo ſynceritatis atque dulcedinis, vt illi ſoli neceſſitudines præferantur. Hunc ita ſpectatum mihi atque coniunctum iuſſis tuis negare non potui: quia in talibus cauſis maior apud me cedendi voluptas eſt, quàm fruendi. Suſcipe igitur amantiſſimum noſtri eo animo quo rogaſti: & æſtima de gaudio aduentantiam negari à te non oportere reſidentibus, quod præſtatur accitis. Vale.

* *Symmachus Flauiano.* 85.

PEregrinari mihi tecum videor, ſi quando curſus atque recurſus tuos luculentus narrator inſinuas. Ita cogitationes noſtras relligione allicis, & nitore ſermonis illuminas; vt quicquid explicat affatus tuus, id noſter quodammodo viſat affect⁹. Pro qua re firmam valetudinem tuam tenemus, reditúmque fœlicem votis iugiter comprecamur. Nam qui amorem in nos tuū æquiparare non poſſumus, ſoluimus votis quod nequimus officiis. Salue igitur mi domine inimitabilis, nóſque & generaliter cùm ceteris, vt nunc facis, & ſpeciatim cum le . . . . vt ſolebas, his muneribus oris ac pectoris tui benignus illuſtra.

Symmachus Flauiano. 86.

L.3. Cod. de reſc. vend.

VOx iuris ac legum eſt, bonæ fidei contractum non poſſe reſcindi. Huius ſententiæ exſecutionem frater noſter Elpidius optat adipiſci, cui poſt venditionem Hiſpanienſis prędij ſui, partem precij emptor abiurat, cùm ad ſoliditatem tranſcriptæ in nouum [a] dominium poſſeſſionis, cuncta ex more celebrata ſint. Hæc ſumma eſt poſtulati, quæ meis quidet. verbis [b] & illius meritis adiuuetur quæſo: vt æquitate, qua clarus es, aut pudorem refragantis priuata obiurgatione confundas, aut contumaciam frāgas publici auctoritate iudicij. Vale.

a v. c. dominum.
b v. c. ſed illius.

Symmachus Flauiano. 87.

[c] ET honore tuo, quo nunc auctus es, & continuo in me amore delector. Volo igitur vt communia pignorum curæ mihi eſſe non dubites, quæ magis merita tua quàm ſcripta commendant. Supererat vt aſſiduum ſtili tui munus expoſcerem. Sed redundantis eſt operæ, bona ſpontanea poſtulare: ne meus ſtilus extorquere videatur, quod tui animi ſpondet humanitas.

c v. c. Et honoris tui, quo.

Symmachus Flauiano. 88.

PAulo antè litteras dederam, ſed debitam tibi ſalutationem geminare non piguit. Namque amor officiorum modum nõ tenet. Præterea [a] negocia commeantium poſtulauerunt, vt cõmendationi eorum pagina [b] dicta proficiat. Reſponſa non poſtulo, ſecurus præclari animi tui, qui mihi ſine admonitione ſermonem voluntarium [c] polliceris.

a *v.c.* noticia com. poſtulauit, vt.
b *v.c.* adiecta.
c *v.c.* polliceatur.

Symmachus Flauiano. 89.

SEmper mihi auctor es ingentium gaudiorum. At nunc ſupra vota proceſſit, quod me expetendi planè & [d] exambiendi viri familiaritate decoraſti. Neque hoc ſuſpicione coniecto. Nam Patricij ſermo fecit indicium, diligentiam in me ſuam te præſule prouocatam. [e] Rectè ceteris benefactis tuis etiam hic titulus accedet in numerum, qui ſolus quamlibet voti auaritiam poſſit explere.

d *Sic v.c. vulgò leg.* ambiendi.
e *v.c.* qua rectè. c. b. t. e. hic t. procedit in. *fortè leg.* quare rectè, &c.

Symmachus Flauiano. 90.

QVotiens parentum beneficiis obligamur, neceſſe eſt ad heredes nexum debiti pertinere. Ad filium meum Senatorem, præclarum atque ornatiſſimum virum, præfata pertinet generalitas: cuius pater illuſtris, & omnibus rebus mihi eximia veneratione recolendus, plurimũ domui meæ honorificẽtiæ & relligionis exhibuit. Cuius ego deuinctus officiis, filio opto perſoluere quod de parente contraxi. Sola autem poteſt me magnificentia tua contractu [f] gratiæ liberare, ſi poſteritatem eius adiuuerit, præcipuè in iis rebus quæ iuſtitiæ patrocinio fulciuntur. Siquidẽ queritur agros ſuos contra iudicatũ veſtrũ magna parte mutilari. Graue hoc & [g] impatibile poſſet videri, niſi etiã conſenſus partiũ fruſtrationibus luderetur. Minus eſt enim alienam ſententiam ſpernere, quàm à propria diſcrepare. Eſt igitur in manu tua, in tam abſoluto atque probabili petitionis genere, ſeruatis legibus & æquitatis intuitu, aliquid etiam meæ deferre perſonæ: cuius interuentum faſtidio longæ litis, non diffidentia negocij, poſtulauit. Vale.

f *v.c.* genere lib.
g *v.c.* habet impetibile. *vt etiam j. lib. 9. epiſt. 103. & ſic Scotti liber.*

Q. AVRELII SYMMACHI V.C. CONSVLIS ORDINARII EPISTOL. LIB. II. EXPLICIT, editus poſt eius obitum à Q. Fabiano Memmio Symmacho V.C. filio. Incipit III. fœliciter.

Symmachus Iuliano. 1.

a v.c. obuerſatus.

RVRI hucuſque [a] conuerſatus, poſtquam me ad vrbanam ſedem recepi, repperi optabilem litterarum tuarum ſalutem. Quæ poſt diuturnum ſilētium, tam multum apud nos gratiæ & honoris habuerunt, vt in his ſola breuitas diſpliceret. Nam ieiunas aures meas & præclari eloquij tui ſatis ſuperque ſitientes, affatus largior debuit vberare. Et mihi quoque curæ fuit arctare paginam limite parciore, vt te mi frater ſcribendi talione morderem. Quamuis ita mihi conſcius ſim arentis infantiæ, vt quantum doloris accipio cùm breues epiſtolas ſumo, tantum tribuam beneficij cùm pauca reſpondeo. Vale.

Symmachus Iuliano. 2.

RVri poſitus vectigal tibi ſolemne dependo. Nullum enim tempus eſſe patior ab hoc munere feriatum, neque locorum intercedēte diuortio in obliuionē familiaritatis adducor. Quod ſi me viciſſitudinis ſtimulo faceres promptiorem, numquam profectò linguam deſidem continerem. Et tamen enixè meum [b] fungar officium, ne ceſſationis traducar exemplo. Atqui hoc ſilentium tuum difficultatibus publicæ occupationis adſcribo: quia ſatis eſt mihi ad amicitiæ fiduciā, quòd me credo redamari. Vale.

b v.c. fungor. o. nec ceſſationis trāſducor ex.

Symmachus Iuliano. 3.

HVnc ſcribendi morem ſuperſtitio vetuſta conſtituit, vt ad peregrina digreſſi priorem ſibi locum vendicent cum abſentibus

ſentibus [a] loquendi. Sed affectus moræ impatiens ſcribendi vices relligione mutauit. Itaque rupta lege reticendi, ſermonem tuum feſtinatione præuenio, adiiciens ſedulæ ſalutationis officiis commendationem viri inter optimos quoſque numerandi. Quē dudum à parentibus clarum, & aulicæ dignitatis ſplendor excoluit, & ampliſſima Curia nō accepit vt nouum, ſed recepit vt debitum. Quæ tamen in fratre noſtro Philippo ſecundo loco & honore cenſenda ſunt: quia plus habet laudis in moribus magiſque probitate conſpicuus eſt, quàm fortunæ muneribus [b] glorietur. Plura diceremus ſi aut pudor eius ſineret, aut prolixa laudatio epiſtolæ conueniret. Certè illud ſpondeo, multa eximietatem tuam coram in eo reperire poſſe quæ tacui, nulla ex iis deſſe quæ ſcripſi.

a v.c. colloquendi.
b v.c. gloriatur.

Symmachus Iuliano. 4.

Decet vt litteras meas frequenter efflagites, nec tamen conuenit vt de ſilentio graue quippiam ſuſpiceris. Oblitum me tui, quòd in hanc diem ſilueram, cenſuiſti. [c] An ita vel mei animi fides inclara eſt, vel tui meriti anguſta [d] monumenta ſunt, vt huic de me opinioni locus eſſe debuerit? Quare amicitia communis plus accepit iniuriæ ex tua ſuſpicione, quàm ex meo ſilentio. Minus eſt enim neceſſitate officium deſerere, quàm [e] volūtate propria iudicare. Putas me ſolemni genere defenſionis leuare peccatum? Diu [f] abſui, longa ocia in ſeceſſu ruris exegi, & tabellarij defuerunt. [g] Hæc etſi vera plerumque ſunt, tamen aſſiduitate detrita in inuidiam mendacij reciderunt. Meæ occupationes ab vſu remotæ, nihil mediocre [h] prætendunt, cuius rem familiarem noua inceſſit adfinitas contra rationem legum, fœlicitatem temporum, conſenſum parentum, pacta maiorum. Sed reprimam me, neque [i] iſtis querelis amplius immorabor: quas tabellarius ſi veritati amicus eſt, explicabit. Ita fiet, vt & tibi cognitio geſtorum plena proueniat, & ego excuſationem meam potius indicaſſe videar quàm dolorem.

c v.c. haud ita v.m.a.f. clara eſt.
d v.c. momēta.
e v.c. vol. properè iudic.
f v.c. affui.
g v.c. hæc ſi v.
h v.c. protendunt.
i v.c. his querelis vlterius im.

Symmachus Iuliano. 5.

Aiunt qui callent rhetoricam diſciplinam, nihil eſſe controuerſiæ vbi eadem partium iura ſunt. Imaginem propoſitæ rei poſtulas? Mitto decantatas iudicialium meditationum fictiones, & inania ſimulacra cauſarum. vel hęc ſilentij noſtri diuturnitas materiæ talis exemplum eſt. Obiicies mihi diſſimulati officij

Vide notas.

negligentiam:inter hæc [a] refertur oratio. Ergo quia pares ſumus, dulce colludium eſt vt cum altero neuter [b] expoſtulet. Veniam quum dederis,impetraſti. Sed cur æquis tecum conditionibus ago? [c] Mea melior cauſa eſt,qui prior emendo vtriuſque delictũ. Videro quæ tua futura ſit in referendo ſermone curatio. Ego in inuidiam reduxi amicitiæ noſtræ fortuitum ſtuporem, neque ex ea re affecto mihi gratiam. Satis mihi laudis eſt, inuidiam ſilentij diluiſſe. Vale.

a *Al.* referetur.
b *Lib. Pith.* expoſcat. Talem veniam.
c *v.c.* Iam melior.

Symmachus Iuliano. 6.

SOlet quidem ægritudines animi ratio mitigare, ſed fortunæ [d] meæ tantum vulnus eſt, vt ei ne tua quidem delenifica & ſuada facundia cicatricem poſſit obducere. Fors fuat, [e] vt dies longa quandoque hebetet laxatum dolorem. Siquidem malis omnibus finis de tempore venit. [f] Interim frigent verba ſolantium, neque aures applicat conſiliis bonis ſurdus ex [g] iniuria animus. Tertius hic mihi de optimis fratribus luctus eſt. Poſt tot miſerias quis non putet me [h] didiciſſe patientiam? At ego quanto imbecilliores nos ipſe caſus inuenerit,magis doleo. Nunc & illa crudeſcunt,quibus ſtuporem diuturnitas fecerat. [i] Luctus enim nouiſſimus etiam veteres plagas dolore reſcindit. Nec ignoro multa inuicti animi exempla poſſe referri. Pericles amiſſis recẽs liberis venit in Curiam:ſed [k] patriæ cauſa cogebat. Anaxagoram Phyſicum grauis de filio nuncius à diſputationibus non retraxit: ſed philoſophiæ deferebat calamitatis ſuæ negligentiam. M. Horatius morte pignoris cognita cadauer fieri iuſſit: ſed hac conſtantia eſſe debuit,qui Capitolium [l] dedicauit. Vides qui mihi ſit animus:& tamen vita ducenda eſt. Amor enim lucis à natura datus fulcit infirmitatem doloris. Pænè præterij quod fuerat inter prima collocandũ. Cumulatiſſimas gratias ago,quòd [m] Profectũ familiarem tuum auulſum contubernio tuo meo ſolatio deputaſti. Ex hoc intelligo quanta neceſſitas fecerit ne venires. Ego tamen qui teipſum videre non potui,vidi animum tuum, cui ſatis non fuit medicinam fortunæ noſtræ per epiſtolam facere. Addidiſti enim quandam legationem, quæ ſui aſſiduitate vim mali frangeret, quia noueras ſolatia litterarum cum lectione finiri. Progreſſi laudes tuas vidimus,cùm ipſe relligionem magis ad cõſcientiam quàm ad gloriam referas. Ergo habeat modum ſermo, quem nunquam circa te habebit affectio. Vale.

d *v.c.* noſtræ.
e *v.c.* an dies l. q. habeat lax.
f *Al.* interea.
g *Sic v.c.* vulgo, incuria.
h *v.c.* edidiciſſe.
i *v.c.* Ictus enim. *& ſic etiam lib. Pith.*
k *v.c.* patria.
l *v.c.* dedicabat.
m *v.c.* Proiectum f. noſtrũ auulſo.

Symmachus Iuliano. 7.

ARbitrum te aſſumo [a] litterarum mearum. Cape, ſi quid ab Repub. vacas, oratiunculam noſtram, cuius edendæ fiduciã mihi fauor ciuium dedit. Nam ſpes alitur exemplis, & placiturũ eſſe præſumimus, quod aliis iam placuiſſe gaudemus. Nunc tuarum partium erit reſpondere quum legeris, an debuerit me Senatus animare. Certè mihi [b] duci vitio nõ poteſt, quòd tam benè de tuis auribus ſperaui, [c] quod ſimpliciter prioribus ſuffragiis credidi. Vale.

[a] *v.c.* epiſtolarum, *vt & lib. Scotti.*

[b] *v.c.* dici.

[c] *v.c.* quam ſ. *lib. Pit. habet,* priorum.

Symmachus Iuliano. 8.

NVncium tibi reditus mei, cumprimum fida [d] potuit occaſio exhibere non differo. Scio enim re proſpera quæque de nobis velle cognoſcere. Mihi quoque par cura eſt de ſalute atque actibus tuis lęta & optata noſcendi. Atq; ideo dignaberis quoties [e] ſors dederit facultatem, officia circa nos mutuæ affectionis implere.

[d] *Sic rectè v.c. vulgo leg.* potuerit o. e. n. differam.

[e] *v.c.* fors, *vt etiã lib. Scotti.*

Symmachus Iuliano. 9.

TAnta animi voluptate ſumpſi litteras tuas, quas mihi poſt longum detuliſti ſilentium, vt me fatear querelæ prioris oblitum: quia memoriam prætetitæ intermiſſionis antiquauit gratia recentis officij. Deinceps ſi tibi cordi ſum, frequenter operam ſcriptionis admitte, viciſſitudine remunerandus & ſermonis & amoris.

Symmachus Iuliano. 10.

EXpectas à me litteras largiores: delector iudicio tuo. [f] Honos enim es ingenij, cùm deſideratur vbertas. Sed velim tibi verborum copiam diſplicere. Nam quid agat, quo ſe vertat, vbi immoretur caſſa rebus oratio? Odi in paruo corpore longa velamina. Illa veſtis decenter induitur, quæ non trahit puluerem, nec in humum demiſſa calcatur. Scribe ergo aliquid, quod reſcribendo producam: quanquam relligione [g] deſipiam, qui tibi vberes epiſtolas audeo polliceri. Videro quid ſit futurus euentus ſententiæ tuæ. Tu memento non electionem me tibi ſpopondiſſe, ſed copiam. Vale.

[f] *v.c.* laus eſt enim, *vt & lib. Scotti. & Pithœi.*

[g] *v.c.* decipior, *li. Scotti,* decipiar.

Symmachus Iuliano. 11.

SVmpſi pariter [h] geminatas litteras, Neſtorea, vt ita dicã, manu ſcriptas, quarum ſequi grauitatem laboro. Trahit enim nos vſus temporis in argutias plauſibilis ſermonis. quare æquus ad-

[h] *v.c.* geminas l. n. v. ita dixerim.

mitte linguam ſæculi noſtri,& deeſſe huic epiſtolæ Atticam ſanitatem boni conſule. Dignum eſt,vt hæc ipſa apud te culpæ confeſſio proſit mihi ad veniæ facilitatẽ.Quod ſi nouitatis impatiens es,ſume de foro arbitros, mihi an tibi ſtili [a] venia poſcenda ſit. Sed crede calculos plures merebor, non ex æquo & bono: ſed quia plures vitiis communibus fauent. Itaque vt ipſe nonnumquam prædicas, ſpectatorum tibi veteris monetæ ſolus ſuperſum, ceteros [b] delinimenta aurium capiunt. Stet igitur inter nos iſta pactio: vt me quidem iuuet vetuſtatis exemplar de autographo tuo ſumere,te autem nõ pœniteat ſcriptorum meorum ferre nouitatem. Non ſilebo alterum munus opuſculi tui, quo priſcam [c] Remp. ciuitatis huius ex libro Græco in Latinum trãſtuliſti. Arma ab Samnitibus,inſignia à Thuſcis,leges de lare Lycurgi & Solonis ſumpſeramus. Tuus nobis poſthæc addidit labor peregrina monumenta [d] quę iam ſeneſcunt. Nunc verè ciuitas noſtra populorum omnium parens facta eſt, docere poteſt ſingulas antiquitates ſuorum. Ipſa verò pars materiæ digna laudari, quanto verborum ſtillat auro? Neſcias cultu an rebus magis, voluminis honor gaudeat. De mea ægritudine nequaquam te rumor fefellit. Sed iam mihi modò venia dicti ſit, cõualeſcentiæ portus aperitur. Carminum tuorum codicem reportandum puero tradidi. & quia æglogarum confuſus ordo eſt, quem de eo ſcripſimus ſimul [e] miſimus: vt & correctio vtrique à te præſtetur, & aliorum quæ nunc pangis adiectio.

a v.c. veniam poſcendo. Sed.

b Delinimina, in lib. Pub.

c v.c. Remp. cuiuſque huius ex l. g. in Latium t.

d v.c. quæ iã ſui neſciunt. Nunc.

Vide notas.

e v.c. miſi.

* *Symmachus Iuliano.* 12.

SI tibi hęc vna, vt ais, frequentandi ſtili cauſa eſt, vt à me vicem ſermonis excludas, magnum ſilentij noſtri in litteris tuis precium eſt. Vide igitur ne me validus à ſcribendo reuocet fructus tacendi? quia ſi ſępe reſpondeam, fortaſſis plura remittes vt iam victor optati. Mane ergo in propoſito aſſiduę ſcriptionis etiam poſt epiſtolam meam: quamuis malim reditum tuum quàm paginas impetrare. Sunt quidem illę Tulliano ſegmentatæ auro: ſed de præſentibus amicis bona plura ſumũtur. Ipſa etiam verba melius ex oris fontibus fluũt, quàm mandantur textis papyri. Quin ergo, eluctatus longi ocij cariem, cælum noſtrum ſeuis aſſa temporis Spoletium dato bonæ vrbi & optimorum ciuium matri: intelligenti tamen quod noſtræ Curiæ viros vſucapere non poſſit.

Symmachus Iuliano. 13.

BInas ad me litteras pediſſequus tu⁹ detulit. Fraudis arguerer, niſi totidem reddidiſſem. Vtriſque te rediturum Romam, ſi per annos liceat ſpopondiſti. Sępe idem ſcripſeras. Nihil iam moror ſyngraphas tuas. Iterare promiſſum fallaciæ meditatio eſt. Scio lentos ad capeſſendũ [a] labores ſenes fieri. Sed quia creſcũt vitia cum tempore, [b] ingratis mihi attrahendus es, priuſquam iuſtiorem veniam faciat longior dies. Nullam certè Neſtor [c] tertiæ ætatis ſuæ ſęculo militiæ vacationem popoſcit, nec Achilli excuſauit ætatis ſuæ [d] frigus Phœnix monitor. Et certè haud multum itineris interiacet. Spoletium ſuburbanitas noſtra eſt. Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata componis, fallitur doctis cogitationibus ſenſus [e] laboris.

a *v. c.* laborẽ

b *al.* ingrat⁹.

c *v. c.* tertio æui ſui ſæculo.

d *v. c.* frigus ſenex monitor. *& lib. Sco.*

e *Lib. Scotti,* doloris. *& ſic Pith. lib.*

Symmachus Iuliano. 14.

IN ære meo duco, quòd te adornare optatum reditum nunciaſti. Sed malè metuo ne hoc ſtudium [f] cui negatio habitationis impediat. Quam peto vt in bonam partem voti erga te mei certus accipias. Deos enim facies teſtes has domus, quarum alteram poſtulaſti, iamdudum à me hoſpitibus eſſe decretas. Quæſo igitur vt ſacramento commodes fidem, qui vel animo tantùm meo credere debuiſſes, & in ædes tuas feſtinus recurras. Siquidẽ domus, quæ tibi priùs ambitioſa per ætatem viuenti & habitanti cum liberis ſatisfecit, ſenilem moderationem diſtributis in alias domus filiis non debet offendere. Vale.

f *leg.* tui neg.

Symmachus Iuliano. 15.

PEtis vt reſpondeam litteris tuis. Hæc denunciatio certaminis eſt. Sed vnde mihi [g] tanquam procedenti in annos graues ſenile illud & comicum? Quin tu veteres æmularis? Nec tamen defraudet voluntatem tuam ſtili mei deſperatio. Quis enim pudor eſt vinci poſt confeſſionem? Illud quoque me ad reſcribendũ coëgit, quòd timui ceſſationis exemplo [h] aliquam tibi ſilentij formulam dare: plúſque in me rediturum fraudis áduerti, ſi tua offenſio imitaretur tacẽtem, quàm ſi auſus meus [i] ſuperior eſſet. Æſtimabis ipſe, quanto hoc tui amore aduerſus verecundiam meam fecerim. Interea quod vales dulce eſt: quamuis adieceris, cauto eſſe opus, ne fortè [k] reditum noſtrum æui tui ſubita præuortant. Nolo annos ad calculum voces. Fiducia ſalutis in viribus eſt. [l] Quas cùm vitet expendere tutela morum tuorũ, ſpera

g *leg ex v. c.* mihi quamquam procedenti.

h *v. c.* quandam tibi.

i *v. c.* ſuperiorem. Æſti.

k *v. c.* creditum.

l *v. c.* quos.

confecturos Deos, vt maneas vitæ integer in metas quas veterũ definitio [a] dedit ſęculo.

a v.c. dederit.

* *Symmachus Naucello.* 16.

FOrtaſſe arguas diuturnum ſilentium meum. Nolo applices hanc moram negligentiæ. Continuatio enim longi itineris ſtilo obſtitit. Tãdem Formianum littus acceſſimus, quod mihi eſſet acceptius ſi vna locis tuis voluptate frueremur. Sed quia hoc per annos & valetudinem tuam non licet, edoceri ſaltem mutuis litteris peto, quantum corpuſculo vigoris adieceris. Ineſſe enim tibi temperantiam, ceteráque tuendæ ſenectutis pręſidia, non ambigo. Vale.

Symmachus Gregorio. 17.

HAbeo expoſtulandi tecum probabiles cauſas, quandoquidẽ pontificio [b] iterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudij præſtitiſti. Sed nolo primas litteras meas felle obiurgationis imbuere, ne animum tuum contrahant amara ſermonum. Quare decedo querimoniis, & tecum hanc veniam ſic paciſcor, vt in reliquum penſi habeas amicitiæ diligentiam. Sit inter nos frequens [c] honor officij, ſint aſſiduæ ſcriptorum familiarium vices. Quippe tacita concordia inſtar odiorum eſt. Ideo litteras adfabra rerum vel natura vel induſtria peperit, vt numquam muta eſſet affectio: etſi quando abſumus, vt linguæ opera fungerẽtur ſigna verborum. Hæc in præſentia ſatis dicta ſunt. Opto deinceps materiam mihi ad reſpondendũ dari gratia muneris tui, non dolore faſtidij. Vale.

b v.c. litterati.

c v.c. honeſtas.

Symmachus Gregorio. 18.

HAbundas quidem naturæ bonis & ingenij facultatibus, ſed continui ſilentij culpam tibi quoque purgare difficile eſt. Quid enim vel ex [d] vero, vel ex falſo, vel ex commento dici poteſt? Itinera me, inquies, longa tenuerunt. Sed ſæpe ceſſatum, & aliquando peruentum eſt. Vigilem operam [e] publicis negociis impendo, ſed vicibus ocij omne negocium diſtinguitur. Reſtat, quod minimè volo, vt fatearis amicitiæ negligentiam. Nam officia, ſi plerumque deſeras, occupatio eſt. [f] Si ſemper, obliuionis crimen putes. Hoc ſi fieri poſſet tacerem. Illudis ergo patiẽtiæ [g] meæ. Atqui intelliges æquum animum maiore precio remunerandum. Indignus læditur, quem religio non permittit offendi. Et certè interfuit ſollicitudinis tuæ exercere aliquid

d v.c. vero, vel ex cõmẽtato dici p.

e v.c. pub. rebus imp.

f v.c. Si ſemper obliuio. Trans, crimẽ putas. Hoc.

g v.c. meæ, vt qui intelligas animum maiore precio munerandum.

verborum familiarium, quum mihi de ſcriniis tuis profecta delegaretur oratio: de qua te interim te ſuſpenſum tenebo, tum demum tibi iudicij publici facturus indicium, cùm exoraueris, cùm merueris, & quia tanti litteras tuas duco, cùm ſcripſeris. Vale.

* *Symmachus Gregorio.* 19.

Diuturnitatem ſilentij aliquando rupiſti. Sed mehercule frequentibus impulſus officiis. Ego tamen non minore afficior gratulatione, quàm ſi litteras ſponte tribuiſſes. Germani mei vice gaudeo, tanquam mihi decus honoris acceſſerit. Veſtro quoque in eum fauore delector, tanquam aliquid ipſe præſtiterit: cum quo illuſtrem virum Syagrium fides certa eſt operam bonæ frugis adniſum. Quod eo antè ſcribendum putaui, vt gratiam noſtram aſſertor ſedulus exſequaris.

* *Symmachus Gregorio.* 20.

Elegiſti materiam proniorem. Accommodatior eſt enim querelæ oratio humana quàm gratiæ. Qua cauſa factum puto vt me taciturnitatis inceſſeris, cùm perpetere curam dandæ & reddendę ſalutis adnitar. Quod quidem me libente feciſti. Nam qui alteri culpæ ducit officij negligentiam, pollicetur de ſe operam promptiorem. Expoſtulatio igitur tua inſtar eſt ſponſionis. Non meditabor noua verba, non excogitabo ſententias. Si peccatum ſilendo contraxeris, tuis tantùm litteris argueris. Vale.

Symmachus Gregorio. 21.

Vellem te legato vti apud optimum Conſulem, purgandæ atque excuſandæ abſentiæ meæ, ſi ſcirem quod tu mihi in ea re primus ignoſceres. Nam cùm amorem veſtrum cogito, vereor [a] ne vt me æquè ambo diligitis, ita ſimiliter arguatis. Quis igitur huius cauſæ defenſor adhibendus eſt? Fortuna ſcilicet mea: cuius vt miſera, ita iuſta purgatio eſt. Neque enim [b] fas fuit, læta officia obire lugentes, fortaſſe etiam veſtram hilaritatẽ mea triſtitudo contraheret. Quod ſiquidem ſemper fieri amat, habitum mentis de amicorum ore ducimus. Quare ignoſce quòd deſiuimus, & apud egregium virum Conſulem faue abſentiæ meæ: cuius honore gloriari noſtrum eſt, auſpiciis intereſſe fœlicium. Vale.

Cōfer epi. 94. 5. libr. 1.

[a] *Sic v. c. vulgò leg.* ne me quem ambo dilig.

[b] v. c. fas ſinit.

Symmachus Gregorio. 22.

a *v.c.* vber.
b *Sic v.c. vulgò leg.* vel inuentione caruit.
c *v.c.* innitere.

TAntum tibi ſuppetit [a] vberis eloquij, vt prioris ſilentij veniã cum præſentis facundiæ laude merearis. Quæ enim pars litterarum tuarum [b] vel inuentionũ prudentia caruit, vel nouitate ſenſuum, vel antiquitate verborum? Cùm igitur tibi ſupellex larga nõ deſit, [c] annitere quæſo te, vt non minùs relligione quàm oratione probatus habearis: vt ſicuti oratione mirabilis es, ita relligione lauderis. Faciet hoc crebritas epiſtolarum tuarum, quæ non ſolùm tibi parabit gratiam, verumetiam me faciet promptiorem. Vale.

Symmachus Mariniano. 23.

Vide notas.
d *v.c.* perrepunt.
e *v.c.* Sed & hæc.
f *v.c.* vt ad d. p. reuertaris.

NOs hîc in ocio ruſticamur, & multimodis autumnitate defruimur. Nam poſtquam doliis noua vina commiſimus, quæ calce & prælo ſubacta fluxerunt, trapetis teritur bacca Sycionia, vt præcox olea in vſum oliui viridis mulceatur. Interea loci ferarum domos indago ſollicitat, vt incertus agricola in officia diuerſa diſcurrat. Alij ſcalis ad arborum ſumma [d] prorepũt. Plerique condita muſta defecant. Nonnulli aprum veſtigia odora canum ſagacitate diſquirunt. [e] Sed hæc omnia ſi nobiſcum ageres, plus placerent. Tenet te eruditio Sceuolarum, dum forenſes rabulas peruigil doctor inſtituis. Quare accurre perniciter, vt feriarum reliquiæ laboris faſtidium tergeant. Denique ſi tibi ergaſtuli iſtius amor tantus eſt, adeſto impiger. [f] Ad dicendũ promptior reuerteris. Vale.

Symmachus Mariniano. 24.

g *al.* qui.
Addidi ex v.c. incluſa, quæ in libris omnibus deerant.
h *v.c.* deſtinamur.
i *Sic v.c. vulgò leg.* filiolæ recenſuiſti, & nupt *lib. Pub.* recens edidiſti & nupt.

QVòd fortunæ tuæ pollucibiliter floruerunt, meum duco cõpendium: [g] quando ita animatus ſum, vt amicorum proſpera meis commoditatibus externa non arbitrer. [Et reuera quotusquiſque homini dies lætus eſt, ſua tantùm ſecunda numerãti? Latiùs gaudet qui & alterius bonis paſcitur.] Qua me igitur gratulatione affectum putas, cùm tibi comperi iugales Deos matremfamilias copulaſſe, atque ex ea filiolam tempeſtiuo dediſſe prouentu? Nam vt ſcis, interuallo maris atque terrarum quo [h] diſtituimur, non priùs coniugem tibi quàm ſobolem acceſſiſſe cognoui. Quippe vnis litteris & nuncium [i] filiolæ recens editæ, & nuptialem ſportulam detuliſti. Quæ quidẽ bona tibi tẽporibus

diſpertita

diſpertita accidetant,ſed meum pectus pariter ingreſſa ſunt. Cedant gaudia diuiſa coniunctis. Vberiorem mihi fructum præſtitit mora. Iam non queror quòd epiſtolæ tuæ ſeræ ſunt. Iucunda dilatio eſt,quæ ſimul bona plurima reſtituit. Vale.

Symmachus Mariniano. 25.

PLenæ atque inueteratæ inter nos amicitiæ nihil adijci poſſe credideram. Inueniſti tamen quo perfectam diligentiam tui in faſtigium tolleremus. Amabili enim fiducia [a] Auſoni tuæ prębenda mandaſti,que peregrinatio hyberna poſcebat. Tu verò abundas omnibus: ſed ſtudio dandi beneficij excogitaſti cauſam petendi. Sed dediſſe te ex hoc gratiam ſatis conſtat. quia plus [b] accipit,de quo ſibi aliquid alterius amor vindicat. Vno tantùm lapſu (fas ſit dicere) amica vindicatio claudicauit,quod remunerandum me de Galatia polliceris, vbi ad patrium larem veneris: Nollem conſtantiam boni facti in hæc trepidæ verecundiæ verba deſcendere. Sed prætereo laudatæ epiſtolæ [c] leue faſcinum. Neque enim me tantæ gratiæ obligatio ſermonum eſſe interpretem ſinit. Cur autem multa loquimur,parua miſſuri? deſcriptio tradendarum tibi veſtium paginam ſecundam tenet. Quid de mediocritate ſentias, ipſe videris: [d] vſui enim magis quàm cultui apta indumenta voluiſti. Vale.

a *Sic v.c. vulgo*, Auſoni.
b v.c. accepit.
c v.c. leuem.
d v.c. qui enim magis viſui, quàm cultui.

Symmachus Mariniano. 26.

SEcurus vt video ſcribendi ad me vices negligis. Scis enim tibi iſtiuſmodi culpam ſine talione ceſſuram. Quoties tibi minatus ſum [e] par ſilentium,ſi à litteris temperaſſes? Vincor tamen affectione, & delector tali mendacio, ex quo intelligere potes quàm conſtanter te diligam, qui tam inconſtanter iraſcor. Vale.

e *Sic repono ex v.c. nã vulgo*, quoties t.m.ſ. ſi alternis tem. Concordi tamen.

* *Symmachus Mariniano.* 27.

DEſideraras mihi litteras ſerò hominis mei aduetus exhibuit, quæ nobis gratum admodum ſalutis tuæ indicium præſtiterunt. Atque vtinam facilitas commeatus copiam daret frequentioris officij. Vale.

* *Symmachus Mariniano.* 28.

EXpectatæ mihi tuæ litteræ contigerunt, quibus promptior ad viciſſitudinem reddar officij. Nec mireris quòd tibi ſerno noſter ſerò tradetur, cùm aliquid ſibi occupationes vendicet, nonnunquam deſit facultas, tabellariorum quoque negligentia

ſuſceptam operam plerumque fruſtretur. Deſine igitur animum noſtrum epiſtolarum ſeueritate mereri, cum rebus potius quàm verbis ſpectetur affectio. Vale.

Symmachus Mariniano. 29.

FActum nuncias,[a] quod ſpe & opinione antè percepi, vt tibi amicitiam bonorum primus congreſſus aperiret. Namque hoc nobis & tui[b] amoris & illorum indicia promiſerunt. Facilè enim probitas delata ad virtutum arbitros placet. Verũ iſta pars [c] gaudenda mihi potius quàm producenda eſt. Illud mallem latiùs prædicare, ſi æquaret oratio rei magnitudinem, quòd veſtimenta de nobis vſui tuo vindicas. Nihil hoc amore ſincerius. Scias fiduciam de ſimplici affectione ſurgentem, genus eſſe virtutis. Sed quid ego[d] hac puritate dignum rependam? Stetimus officiis relligionis hactenus pares. Nunc tibi ſine cunctatione cedimus. Puto tibi ſufficere ad vicem tantæ gratiæ victi confeſſionem. Vale.

a *Vulgo leg.* quod ſæpe & op.
b *v.c.* moris.
c *Vulgo leg.* claudenda.
d *v.c.* huic puritati d. repẽdo.

Symmachus Ambroſio. 30.

[e] SAlluſtio amico meo multa ſpõte tribuiſti. Nunc adiice quæ ſuperſunt, vt ego quoque partem beneficij adeptus exiſtimer. Supplementa autem deſiderij eius à tabellario epiſtolæ ſuggerẽtur, quę ſtilo proſequi ſuperuacaneum duxi. Aptius eſt enim negociis intimandis viuæ vocis indicium.

e *v.c.* Saluſtino.

Symmachus Ambroſio. 31.

ITero poſtulatũ pro Salluſtio amico meo, & vt ipſe aſſeuerasti, à te quoque in Curiam dudum recepto: non quo metuam ne tutelam fortè eius obliuione deſtituas, cùm familiare ſit conſtantiæ tuæ fideliter [f] perſequi recepta mandata. Sed quia diligẽtiam meam fortuna amici ſæpe ſollicitat, & laborantibus commendatio vna non ſufficit; licèt tenaciter memorem, rurſus admoneo. Præſtabit beneficij tui celeritas, ne ſit mihi neceſſe idem ſæpius facere. Vale.

f *v.c.* exſequi: *alias*, proſequi.

* *Symmachus Ambroſio.* 32.

FRatres mei Derotheus & Septimius laudabiles viri vnam tuã epiſtolam pertulerunt. Sed mihi relligio fuit iſtiuſmodi captare compendium: vt & tibi geminata reſponderet officij vſura, & ſingulis honor debiti teſtimonij proueniret. Nam etſi tibi Dorotheus frater noſter probatus eſt, cupio tamẽ vt eum in maiorem modum iudicij mei prærogatiua conciliet. quod futurum eſſe

non ambigo,cùm affectatio boni animi capax ſit augmenti quotiens meritis prouocatur.

* *Symmachus Ambroſio.* 33.

LIcet arbitrer ſuperiores litteras meas, quibus vt fratrem meũ Marcianum ab iniuriis vindices poſtulaui,in manus tuas eſſe delatas:abſtinere tamen etiam ſecunda petitione non debui, vt neceſſitatem viri optimi, ſed inuidia tyrannici temporis inuoluti,precatio geminata teſtetur.Quare turſus te ad amici defenſionem exhortor,cuius tenuitas orta ex integritate,non patitur vt amicorum precia poſſit exſoluere,quæ iam multis eiuſdem temporis Iudicibus Imperialis clementia relaxauit. Erit igitur tibi facilior ad impetrandum via,cùm meritorum tuorum opitulatio aliorum iuuetur exemplis. Vale.

* *Symmachus Ambroſio.* 34.

NÆui inſtar eſt,vt frater meus Magnillus vicaria poteſtate per Africam functus,teſtimonio omniũ publicè priuatímque conſpicuus, vicariis in eam prouinciam retardetur obſtaculis.Noſti optimi viri maturitatem,ceteráſque artes bonas,quibus etiam tuum amorem,cùm Liguriã gubernaret, attraxit.Et ideo apud te redundantis eſt operæ laudare compertum. Quare impendio peto, vt cùm à baiulo litterarum cauſas morarum eius acceperis,relligioſum pro eius reditu interuentum digneris adhibere,quo tandem patriæ reſtitutus longæ peregrinationis iniuriã deſiderata quiete commutet.

Ambroſio. 35.

EX vſu venit vt opem deſiderantes ad ſuffragia probata confugiant:[a] quorum vnus Euſebius eſt, qui adoleſcentiæ prolapſus errore, notatúſque iudicio, exploratiſſimum remedium veniæ Imperialis implorat. Sed vt ei celeriter [b] arrideat effectus optati,deferri in curam tuam ſpem petitionis optauit.Cuius hæc ſumma eſt: vt iudicati remiſſione, famæ ſuæ vulnus [c] excludatur.

a v.c. horum.

b Vulgo leg. arrideant e.o. defero in curiam ſpẽ pet. Cuius.

c v.c. excludat.

Symmachus Ambroſio. 36.

FIlius meus Cæcilianus vir clariſſimus, qui nunc communis patriæ gubernat annonam, certo cognouit indicio,aduerſariũ ſuum [d] Pyratam nomine,vel eius procuratorem,ſpem tui fauoris hauſiſſe. Negaui ſolere te recipere in tuam curam pecuniariam [e] ſanctionem.Ille tamen,vt eſt hominum plerumque ſuper-

d v.c. Paratũ.

e v.c. ſanctionis.

uacua trepidatio, conſentaneas ſanctis moribus tuis de me litteras poſtulauit. Non abnui operam meam facilia & iuſta [a] poſcẽti. Summa eſt igitur impoſiti mihi muneris. contra abſentem ciuem, ſimúlque deſtrictum publicis curis non ſinas [b] cuiquam de iuſtitia tua ſperare præſidium. Sunt leges, ſunt tribunalia, ſunt magiſtratus, quibus litigator vtatur ſalua conſcientia tua. Vale.

a *Lib. Sc.* petenti.

b *v.c.* quicquã de i.t.t. præſidij.

Symmachus Ambroſio. 37.

[c] DIſanus clariſſimus vir, qui inter profeſſores medendi ſummatem iure obtinet locũ, affinem ſuum [d] eodem cognomine tradi patrocinio tuo meo optauit oratu. Libens amiciſſimi viri deſiderio ſatisfeci, vt vna via [e] te excolerem ſalute dicenda, & illius vſui commodarem. Fac igitur oro, vt commendatum tuearis auxilio, me ſermone vicario [f] remuneres. Vale.

c *Lib. Sc.* Liſanus.

d *v.c.* eundẽque cognominem.

e *v.c.* & te exc. ſalutem dicendo.

f *v.c.* muneremeris.

* *Symmachus Hilario.* 38.

CVm has ad te litteras darem, lectulo æger tenebar iam quidem à periculo vindicatus, ſed adhuc inops virium, quæ ſubinde incertis febribus detrahuntur. Inter hæc tamen mala valetudinis meæ amicis negotium dedi, vt pignus commune conſultu patrum viris Conſularibus iungeretur. Habita eſt ratio meritorum tuorum. Nihil enim gratiæ meę dico delatum. Acta ampliſſimi ordinis Diciano honeſto viro tradidi: quæ vbi in manus tuas venerint, amicitiæ meæ ſatisfeciſſe pronuncia. Nihil enim malo quàm honeſti officij diligens iudicari. Vale.

* *Symmachus Hilario.* 39.

VAletudinis meæ vigor cœpit aſſurgere. Fas eſt vt iam de me ſcribendi aſſiduitas exigatur. Maneat tantùm ſanitatis fides, quam plerumque ſollicitat hyemis iniuria. Nimis enim tenera atque imbecillis ratio eſt conualeſcendi, & ante medicas manus opem cæli clementioris expectat ſanitas, ne tibi videar medendi arte morbo diuturnitatem dediſſe. Volo enim vt memoriam malorum ioci venuſtate frangamus. Sed iam etiam aliquid de repẽtino optimo iuuene dicẽdũ eſt, cuiꝰ ego aſſiduitatẽ deſideraui: quam mihi, vt arbitror, verecundia eius negauit, cùm fiducia exterum ita præſtare debuerit. Erit tamen copia melior quàm intelligat non ſe debuiſſe deſerere, quem frequenti teſtimonio tuo de ſe nouerat crediſiſſe.

Symmachus Hilario. 40.

REctè valeo. Hoc enim ſcribēdi debet eſſe principium, quod maximè [a] appetunt vota lecturi. Æquè tibi oblatum vigorem nimis gaudeo: nam me indicio tali nuper hilaraſti. Illud quoque in [b] ſummam pono lætitiæ, quòd te memorem mei, honorificentia proximæ ſcriptionis oſtendit. Cuius rei gratiam ſilere non debeo: vt hoc [c] incitamento ad perſeuerantiam litterarij muneris prouoceris. Vale.

a *v.c.* expetunt.
b *vulgò leg.* in ſummum potior lxt. quod *emendaui ex v.c.*
c *v.c.* inuitamento.

* *Symmachus Hilario.* 41.

MEntis tuæ eſt pia & iuſta mandare. Quod ideo proloquor, vt & impleſſe me noueris quæ pro filio Habemani viri clariſſimi iuſſeras, & probaſſe. Superuacua igitur fuit poſtulatio litterarum tuarum. Moneri enim me de hoc oportuit, non rogari. Quid quod etiam mihi cum illo ſumma familiaritas fuit? Vnde factum eſt, vt æqualitati petitionis fauor amicitiæ iungeretur. Vt quid multa? Venient in manus tuas commenta Curiæ noſtræ ſuper eius abſolutione confecta, quæ indicent tuæ voluntati & Bebiani reuerentiæ delatam cupitorum celeritatem. At huius operæ peto litteras crebriores, quarum tibi pro facundiæ tuæ opibus facilis liberalitas erit: mihi pro cultu mutuo precioſa perceptio.

Symmachus Hilario. 42.

DEnuo obligo fœnore litterarum bonæ fidei debitorem. Recepta enim ſalutationis vice, quam mihi proximè reddidiſti, nexu iſtius muneris te vacare non patior. Hoc autem mihi ſolum præſtabit iſte contractus: vt indicia proſperorum quæ de me accipis, tuorum bonorum voluptate compenſes.

Vide notas.

Symmachus Siburio. 43.

FOrtunæ tuæ gaudia in meo ære duco, atque huius ſententiæ te nobis iudicem capio, qui animum meum ſpectatum habes, cùm tuum conſulis. Debebatur hoc teneris temporum bonis, vt [d] conſilio publico vir laudatus accederes. Ergo quia res ſeſe ex voto omnium dedit, [e] perage operam iudicio tanti Principis congruentem. Vrget te expectatio bonis ſemper oneroſa. Nam & ſi dignos reſpicit, periculo tamen proxima eſt, dum amplius ſibi pollicetur. Habes ſæculum virtuti amicum; quo niſi optimus quiſque gloriam parat, hominis eſt culpa, non temporis. Vides certè, vt ille ipſe qui Romanis rebus antiſtat, ad bonum publicū

d *vulgò*, concilio.
e *v.c.* perge.

natus eſt. Non tibi aduerſo nunc amne nitendum eſt. Secundo vt ita dicam curſu, probæ artes & virtutes feruntur. Sed hæc tibi plenius tuus animus quàm ſtilus noſter expediet. Ego amici functus officium, admonentis potiùs quàm docentis perſonam recepi. Et ſpero actutū fore, vt exſpectatione, quę de te magna eſt, maior habearis. Nec ego iſtiuſmodi ſcriptū recepiſſem, niſi apud me liqueret, quòd emendato pectori bona verba mandarem. Quod reſtat, memento ſalute referenda, & tuum munus exſequi, & mei officij diligentiam prouocare. Vale.

Symmachus Siburio. 44.

COncedo in leges tuas, & ἀρχαϊσμὸν-ſcribendi non inuitus affecto. Tu tamen fac memineris, illud potius ſimplex nonnullis videri, quod ſequentis ætatis vſus recepit. Vis vt epiſtolis noſtris more maiorum nuda nomina præferantur? Si tibi vetuſtatis [a] tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salij canunt, & augures auem conſulunt, & decemviri tabulas condiderunt. Iamdudum his renunciatum eſt, & ſucceſſio temporum placita priora mutauit. An ſi nobis ſcribenda ſit forenſis oratio, Iouem Deóſque ceteros Catonis lege [b] præfabimur, ne nobis vicio detur vel negligentia antiquitatis, vel inſcitia? Atqui præſtat Tullium ſequi, qui ignorata maioribus vſurpat exordia. Sed quid ego de hoc plura, cùm ſim tibi dicto audiens, atque [c] herbam dederim voluntati tuæ? Vt [d] ſæpe ſcribas, nequaquam mihi orandus es. Efficiet aſſiduitas litterarum mearum vt mutui [e] monearis officij. Vale.

a *Lib. Sc.* tamen eſt.
b *al.* præfamur.
c *Vide notas.*
d *v.c.* ſemper.
e *v.c.* ammonearis.

Symmachus Siburio. 45.

VEra res eſt famam eſſe velocem. Sed diſſentio Mantuano, qui eam putat in malis debere numerari. Nam quid hac præclariùs, cùm lætis nunciis rigat aures & mentem bonorum? Mihi certè oppidò grata eſt, poſtquam purgationis tuæ prima [f] inuexit indicium. Ruri eram, mœſtus animi ob amiſſam parentem. Eo me ſecuta fama, curis quas de te [g] gerebam, abſoluit. Nec fides defuit. Illico enim [h] credebam verum eſſe quod pernoueram, & tuæ innocentiæ & æquitati temporum conuenire. Acceſſerunt etiam litteræ tuæ tam lepidæ ac venuſtæ, vt in re iam cognita, nouum mihi de te gaudium nunciari putarem. Erat [i] in eis fiducia conſcientiæ bonæ, ſed cum laude iuſtitiæ

f *v.c.* vexit.
g *v.c.* gerebamus.
h *v.c* credidi *v.c.* q. nouerā.
i *v.c.* in illis.

publicæ. Nam & Principibus maximis gratias vt abſolutus egiſti, & de ſola fortuna [a] vt innocens queſtus es. Verùm quid vltrà? Quando Romam, quando ad vrbanum ocium, quando ad legẽdi & ſcribendi ſolatia? Spero velociter. Siquidem res poſtulat, vt tibi peregrinationis iniuria deſiderium commendet quietis. Vale.

a. *Lib. Pith.* vt ignoſcens quæſtus es. quid plura? quando.

Symmachus Eutropio. 46.

EX ſententia mihi cupita ſuccedunt. Si quando [b] frui datur ſalutis tuæ cognitione alloquij munere: ego liquere apud me ſatis habeo compertum. Quid enim mihi amotis impenderes, ſi de me incertus eſſes? Atque vtinam ſcripta hæc tua quàm ſunt honoris plena, tam crebra ſint. Grauis eſt enim ſitis bonarum rerum, cui ſola fruendi aſſiduitas remedium facit. Ergo indulgentiùs vtere munificentia ſcriptionum. Nam quo plus eſt in litteris tuis quod gaudeam, hoc magis ſupereſt quod requiram. Vale.

b *v. c.* perfrui.

Symmachus Eutropio. 47.

NOxæ [c] vacuus ociare, & libris remiſſiùs inuigila: quando ita voluenda attulit dies, vt domini noſtri gratiam fortiſſima ſimul ac fœliciſſima manu nutantia reipublicæ pondera fulciantur. Videór ne tibi πανηγυρικώτερον locutus quàm mos epiſtolæ ſinit? Sic ſe habet ratio, vt res maximæ magnos hiatus oris requirant? Sed hæc ſtilo exſequenda tibi ante alios, cui pollet Minerua concedimus. Nos ad familiaria reuertamur. Diu à me bona valetudo diſſenſit. Inhorruiſti paululum ſcio. pone ſollicitudinem. Iam valemus. Nunc refectione opus eſt, cuius mihi copia ſermonis tui pabulo, ſi annueris iſtiuſmodi operam, poterit prouenire.

c *v. c. habebat*, vacuum ociare & libers r.

Ad Eutropium. 48.

SVperuacanei laboris eſt commendare conſpicuos, vt ſi in Sole poſitis facem præferas, & [d] acceſſu luminum claritudinem dici geſtias adiuuare. Idcirco in præſenti nihil moratus teſtis officium, ſalutationi tuæ ſtili operam dedicaui. [e] Tu verò Poſthumianum fratrem noſtrum iuuenem de ſummatibus meo quoque nomine velim diligas: vt intelligat, iſtam veluti omiſſionem laudis ſuæ plus honoris habuiſſe. Vale.

d *v. c.* acceſſu.

e *v. c.* Tu tamen P.

* *Ad Eutropium.* 49.

IN grauido non habeo quod amicitiæ meæ viros edecumatæ honeſtatis adiungis. Facis hoc pro cetera erga me diligentia tua, nec vmquam deſiſtis operam, quod mihi vſu accidat, conſulendi. Quid ſi tibi etiam fratris mei Sabini nomine gratías agam? Quia te in bonam partem creditus tãtùm prærogatiuæ attulit, vt ſi fotet iam omnib⁹ probatus. Dignus planè talis viri teſtimonio. Quid enim illi ad commendationem ſui tribueris? Exiſtimaris hoc aliis quibus commendatus eſt præſtitiſſe. Vale.

* *Symmachus Eutropio.* 50

CVm tu Romam commodum repetis. Ego me in ſeceſſu ante vrbano adſerui lectioni. Diu quippe ab hoc negocio cura obſtrepente deſidimus. Nunc verò tu abes pars antiqua amicorũ meorum. Vicem ſermonis tui veterum ſcripta funguntur. [a] Aut olim tamen vrbem rure mutaueram, vt [b] æſtas mihi Præneſtino Algido frangeretur. Sed interuentus familiaris negocij rupit officium meum. Ergo iam viam lego depoſitis quæ legebã. Si quid præterea ſcitu opus eſt, meus Palladius [c] indicabit, quem ego non minus doleo abductum à iuuentute Romana, quàm gratulor in ſpem ſui honoris accitum.

a *videtur leg.* Haud olim.
b *v.c.* ætas. *ſed malè.*
c *v.c.* indicabit.

Ad eundem. 51.

AGo quidem ſtudio meo vberes gratias, quòd mihi familiaritatem probatiſſimi cuiuſque concilias. Sed frater meus [d] Tybericius, iamdudum inſtitutione Romanus eſt. Cur igitur mihi bona noſtra commendas? Cedo alios vſu incognitos, emendatione conſimiles, ſi tamen raritas virtutum admiſerit, vt vnum aut alterum æquè [e] decumatæ honeſtatis inuenias. Illos ego amicos beneficio tuo acquiſitos putabo, quos neſcio. [f] Iſtũ mihi reddidiſti potius quàm dediſti. Vale.

d *v.c.* Yperecius.
e *v.c.* edecumatæ.
f *Lib. Scotti,* Atiſtum.

* *Ad Eutropium.* 52.

MEdiolani interim dego ad obſequia auſpicij Conſularis D. Valentiniani euocatus. Accito mihi fors dedit exercendi circa te ſtili copiam. Libenter, vt honor amicitiæ poſtulabat amplexus ſalutem tibi defero: quam, ſi bene contemplor familiariũ relligionem, frequenti vſu viciſſitudinis repenſabis.

Ad Eutropium. 53.

[g] AVſonianus vir Conſularis admirator tuus, ſcripto à ſuis ex Aſia nuper allato, mutilari agros ſuos qui tibi coniunguntur

g *Lib. Scot.* Auſonius.

iunguntur accepit. Eam rem cùm mihi amicitiæ noſtræ gnarus [a] familiariter indicaſſet, principio ſuaſi, ne ad fidem tanti mendacij hominum ſuorum leuitate traheretur. Dehinc poſcẽti litteras, officij huius operam non negaui, ſciens mutuæ diligentiæ conuenire, cùm inter nos quæ ad integritatem famæ noſtræ attinent conferamus. Quæſo igitur, vt in bonam partem quæ à me ſcribuntur accipias, & aut fallaciam temerati iuris alieni celeriter expurges, aut ſi quid te ignorante turbatum eſt, iubeas reformari. Vale.

a Hoc addidi ex v.c.

Symmachus Ricomeri. 54.

MEus mos eſt, ſemper alloqui pręſtantiam tuam. [b] Qui tuus? Litteris abſtinere. Facimus quod ſolemus. Ego ſcribo, tu retices. Sed ſcio in amandis amicis maiorem virtutibus tuis ineſſe conſtantiam, quàm in negligendis epiſtolis voluntatem. Atq; ideo animi tui ſecurus, cultum tibi debitum mente & ſermone non deſero, nequaquam repoſcens, vt ſcriptorum mihi viciſſitudo reſpondeat, cùm in amore reddatur. Vale.

b Sic v.c. vulgo leg. perperam, Qui litteris tuis abſtinere.

Symmachus Ricomeri. 55.

IN ſuburbano prædio fouens otium ſumpſi litteras tuas. Cur enim Romæ te diſcedente remanerem? Ager autem qui me interim tenet, Tiberim noſtrum iuncto aquis latere proſpectat. Hinc libens video quid æternæ vrbi in dies frugis accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adiiciat commeatus. Nam pęnè vt recordaris, ceſſante Africa fames in limine erat, quam clementiſſimus, & ad ſalutem publicam genitus Imperator præuenit: in debitis alieni ſoli copiis. Iam portum noſtrum, comperi, prima claſſis ſalutat. Iam ſecuritate ſaturamur. Iam dicimus noſtrum eſſe quicquid vbique bono Principi naſcitur. Hæc eo ſcribo, vt & domino orbis effectum beneficij ſui nuncies, & ipſe fructum gaudij communis vſurpes. Ego paulopoſt abire lõgius paro, nec tamen dandis ad te litteris abſtinebo. Erit cura noſtris in vrbe remanentibus, & meum ſermonem tibi per idoneos mittere, & mihi pari fide quæ ſcripſeris exhibere.

Vide ĩ hoc lib. 3. epiſt. 82. quæ eiuſdem eſt argumenti. Vide notas.

Symmachus Ricomeri. 56.

POſſem ſilentium tuum ferre patienter, morem tuum cogitãs, niſi me ægritudinis qua laboras, dudum nuncius perculiſſet. Metuo igitur ne ſollicita magis quàm conſueta ceſſatio ſermonis tui munus impediat. Atque ideo quæſo, vt curas meas fraterno

amore ſuſceptas,ſcriptis aut mandatis digneris abſoluere. Nam cùm ſim cupidus litterarum, in ſecundis tamen pono ſolatiis, vt animus meus pro te anxius, ſi nondum epiſtolis, ſaltem nunciis erigatur. Vale.

Ricomeri. 57.

VLtro in me arguo culpam ſilentij, ſi quãdo vſum officij mei quælibet dierum interualla remorantur. Nulla enim purgatio [a] ſuppetit, quin iocum multum familiaritatis publico actui frequenter interſeras. Sed idem qui peccatum vito deſidiæ, æquè in ſcribendo longus eſſe deſino. Nam licèt ſciam animum tuum nequaquam obnoxium eſſe faſtidio, aduerto tamen pro conditione curarum tuarum, ponendum verbis modum: quia vt deſideranti prolixitas grata eſt, ita diſplicere non poterit breuitas occupato. Vale.

[a] *Sic ex v. c. reſtitui. Vulgo leg.* Suppetit locum, multũ fam. p. actu freq. interſero.

Symmachus Ricomeri. 58.

AMo & ſuſpicio virtutes tuas. Sed accidit quòd tibi etiam amicus inuideam. Flauiano meo aliquandiu ſolus frueris. Accipe planiùs, quid velim dicere. Ad te migrauit quicquid Romæ optimum fuit, & vobis quidem ſocietas veſtra dabit mutuũ gaudium. Mihi quid ſolatij erit? quem & ille deſeruit, & tu minùs deſiderabis, quia vnus tibi pro vtroque [b] ſufficit. Vale.

[b] v. c. ſufficiet.

Ricomeri. 59.

ALius fortaſſis exiſtimet ſerum eſſe munus, quod anni ſuperioris Cõſul excoluit. Ego ſentio me atque alios qui procul degimus amicitiæ fiducia ad hoc locorum eſſe delatos. Illis verò continuò ſatisfactum, quorum tandiu memor eſſe non poſſes. Nam qui ſtatim munificus eſt, ipſis quodammodo Magiſtratus ſui facibus admonetur. Qui ex interuallo reddit officia, teſtatur eos ſe maluiſſe differre, quorum obliuionem dies longior non poſſet abducere. Videat igitur an ſe quiſpiam credat ordine aliis aut honore poſtpoſitum. Ego me intelligo puta affectione prælatum. Neque enim ſatis amicus eſt, cui ſolemne aliquid ſtatim redditur. Honeſtior eſt illa ſecuritas, quæ putat ſibi deforme non eſſe, ſi quid diu familiaribus debeatur. Quare velim credas moram quoque ipſam mihi iuuandam fuiſſe. Sic iudico, ſic interpretor, quæ dudum aliis ex more delata ſunt, nobis amore ſeruata.

Cõiunge epiſt. 61. hoc lib.

* *Ricomeri.* 60.

OPtato Iguntus fidiſſimam obtulit mihi facultatem officij deferendi. Nam dominus & frater meus Eugenius cùm mihi ſui copiam præſtitiſſet, ſumendæ epiſtolæ beneficium rogatus adiecit, qua tibi honorificentiam ſalutationis exhibeo; & obnixè deprecor, ne me diutius ſilentio tuo ſuſpenſum eſſe patiatis.

Ricomeri. 61.

DVdum reſponſa tradideram, quæ teſtarentur grata mihi fuiſſe ampliſſimi Conſulatus tui munera. Sed denuo nactus Eugenij viri Conſularis fratris mei copiam, ſcripta duplicaui, haud veritus ne faſtidium tuum crearet ſermo geminatus. Ex meo quippe animo metior, amicitiam non poſſe ſentire officiorum ſatietatem:[a] quamuis ſint illa crebra & continuis ſimilia, ſemper tamen vt rara & diu deſiderata ſumuntur. Huic opinioni meæ, fidem faciet aſſiduitas epiſtolarum[b] mearum. Inſitum quippe eſt bonis mentibus, vt quæ copioſe[c] ab aliis optamus adipiſci, ea largiter deferamus.

Iunge epiſt. 59. huius lib.

a v. c. Sint quāquam illa c.
b v. c. tuarum.
c v. c. ex aliis o. a. ea ipſi.

* *Ricomeri.* 62.

MAndatis tuis perfunctus apparitor, vbi ad deſtinata perue-nimus, teſtimonij noſtri vacuus abire non debuit; præcipuè ne ſtudium circa me tuum malè locatum putares: ſi gratiam relatus[d] ſermo ſoluiſſet. Aue igitur dico, & præmitto iam petitionē: vt cùm iter in patriam relegere cœperimus, eluctandis difficultatibus adminicula vberiora decernas.

d *Pato leg.* ſermo non ſol.

* *Symmachus Ricomeri.* 63.

OCium patriæ læta peregrinatione mutaui. Nam iuſſu[e] Diui Valentiniani, cum multis ampliſſimæ Curiæ proceribus accitus, ad vicem quietis domeſticæ, fruor publicis gaudiis. Quod cùm ad te poſſet fama perferre, dignius viſum eſt me indice nunciari.[f] Ipſe ad reſpondendum benignitatem tuam moremque ſeruabis. Siquidem litteras tuas non minùs quàm meorum conſpectus & verba deſidero.

e *Al.* domini.
f *Hæc ex v. c. addita ſunt.*

Ad Ricomerem. 64.

QVid mihi litteræ tuæ iucunditatis attulerint, tibi æſtimandū relinquo; cui, ſi bene arbitror, viciſſim meus ſermo tribuit voluptatem. Perge igitur vt iam facere dignatus es, & amicitiam munerare affectu religionis & aſſiduitate colloquij. Ego in refe-

renda viciſſitudine par eſſe curabo. Nam qui ab alio poſcit officia, ſui quoque ſtudij frequentem operam pollicetur.

Ricomeri. 65.

SCio præſtantem animum tuum ſalutis meæ & reuerſionis indicia cupidè, vt amicitia poſtulat, opperiri: & ideo expectationi tuæ reuectus in patriam ſatisfeci, méque agere ex ſententia, atque eſſe memorem tuæ circa nos humanitatis inſinuo. Simúlque deprecor, vt affectionem quam mihi & præſenti dependere, & abſenti dignatus es polliceri, litterarum munere quoties vſus tulerit, non graueris augere. Vale.

Symmachus Ricomeri. 66.

NOſſe digneris quanta ſit in domino Flauiano pectoris mei portio. Amicitiam aduentantis amplectere, vt duos obliges. Ambo idem ſumus. Nam hoc dici à me patitur ille qui melior eſt. Plura ſcriberem, ſi aut tu diu velles rogari, aut tanti viri merita commendationem deſiderarent. Ergo ſat eſt, quòd accepiſti voti mei indicia. Ambitu & labore non eſt opus, quum ex natura veniat vt à te moribus tuis proximus diligatur. Vale.

Ad Ricomerem. 67.

a *v.c.* Firmũ. [a] FVrnium domeſticũ meum militiæ ſtipendiis cum honeſtate perfunctum, teſtimonio meo decuit adiuuari, vt faciliore aditu ad tuam notitiam perueniret. Porrige igitur oro te, adiutricem manum legitima præmia ex more cupienti. Huiuſmodi quippe veteranis prærogatiua debetur, vt illis Protectorum dignitas tanquam precium longi laboris accedat. Quod [b] Furnio incunctanter eueniet, ſi tuus fauor vota hominis ad conſueta nitentis adiuuerit. Vale.

Vide l. 2. C. de veteran.

b *v.c.* Firmo.

* *Symmachus* Ricomeri. 68.

MEritorum tuorum iuſta ratio depoſcit, vt familiaribus litteris operam frequenter impendam, expertus quippe non perire officia delata ſapientibus. Fungo igitur ſalutatione quæ ſola curam teſtatur abſentium: tuámque oro præſtantiam, vt amicitiæ bonum ſicuti facere ſoles, & ſermone excolas, & mente cuſtodias.

Ad Ricomerem. 69.

c *Ita rectè v.c. vulgo*, eiúſque cauſa poſita allego.

DOminum meum & fratrem noſtrum Flauianum celſum virtutibus & honoribus virum, iuſtitiæ tuæ exſortem eſſe non patior. Merito pro honoribus [c] eius quæ cauſa poſcit allego,

ſciens tua auctoritate commiſſa, quæ ſub obtentu tuo à quibuſdam ſcæuis deſignata dicuntur. Vnde mihi maior fiducia eſt poſſe rem grauiter vindicari, cùm tua quoque fama pulſata ſit. Querelæ autem genus [a] hominis melius ſuggeſtio ſi iuſſeris proſequetur: quia multiplex iniuria modum epiſtolæ familiaris excedit. Non minora etiam filius illuſtris viri, & [b] ipſe iam honoris & meriti, in ſua proconſulari poſſeſſione tolerauit, quæ ad vniꝰ quidem pertinent noxam, ſed ad vtriuſque contemptum. Ergo vt mos eſt tibi, auditis eorum allegationibus qui tuentur abſentium facultates, primo famam quæ optimo cuique precioſa eſt, tum amicitiam fidei indicem, poſtremò leges pro quibus excubas, dignare defendere: vt ad illuſtrem virum, qui per abſentiam ſuorum neſcit incommoda, prius gratia beneficij tui, quàm ſuorum [c] dolor & querela perueniat. Vale.

[a] *al.* hominum.
[b] *Lib. Scotti,* ipſe etiam honoris.
[c] *Sic v.c. vulgò leg.* dolorũ querela.

Symmachus Tymaſio. 70.

[d] SÆpius alloqui præſtantiam tuam non piget, quamuis nihil inuicem ſermonis [e] accepiſſem. Ipſe enim mihi pro te reſpondebo ſponte, quoniam inter caſtrenſes curas locum officia ocioſa non [f] habent. Atque vtinam aſſiduitas affatuum meorũ tibi non videatur obſtrepere. Prope eſt vt referri mihi litterarum gratiam putem, ſi ſciam quæ [g] ſcribam non afferre faſtidium.

[d] *v.c* Sæpe.
[e] *v.c.* accepi. I. e. m. p. te ſponte reſpõdeo, quòd inter.
[f] *v.c.* habeãt.
[g] *v.c.* ſcribo.

Ad Tymaſium. 71.

AD ſcribendum me relatu viciſſitudinis incitaſti. Ea quippe rerum natura eſt, vt officiorum diligentia fructu viciſſitudinis incaleſcat. Sume igitur ſalutationem, ſimúlque indiciũ ſoſpitatis meæ lætus amplectere, redditurus voto atque animo meo reciproca gaudia ſimilium de tuis actibus nunciorum.

Ad Tymaſium. 72.

VRgeo te frequentibus ſcriptis, & animi affectione non deſero. Eſt autem ſequeſter ſermonis mei fœlix, probabilis & honeſtate vitæ, & exercitatione militiæ; cuius vt conſideratione̅ habeas commonere [h] non debeo, cùm tua æquitas tantum pro eo poſſit efficere, quantùm fauor meus [i] poſſit optare.

[h] *v.c.* non audeo.
[i] *v.c.* poſſet.

Ad Tymaſium. 73.

PEtitio domini & fratris mei Stemmatij monitore̅ magis apud te quàm precatore̅ requirit. Nam cùm [k] tanta ſit eius antiquitas, vt votum noſtrum fauore præcurras, laborem rogandi in lucro habere debemus. Breuiter igitur quid poſcat aduerte. Sub-

Confer cũ epi. 68. ĩ. lib. 4.
[k] *Lib. Pith.* tanti ſit tibi eius.

ſidia vitæ, quæ bona dici ſolent, vbi cenſus vberior eſt, infortunio proſcriptionis amiſit. Hæc in magno Reipub. gaudio tuis potiſſimùm meritis te[illegible]anda committit. [a] Suſcipe oro te plenum bonitatis neg[illegible]ium, & amici inopiam, cui miſerę valetudinis caſus acceſſit, [illegible] familiaris [b] integratione ſolare.

a *v.c.* Suſcipe pro te p. *vt etiam lib. Scotti.*
b *v.c.* integritate.

Symmachus ad Promotum. 74.

MVlta in te munera virtutum natura congeſſit. Quæ ſi quis trutinet [c] penſiore iudicio, neſciat vtrum in te bona fortitudinis magis an mentis excellant. Sed alterius tibi laudis aſtipulator eſt Princeps humani generis. Officiorum verò familiarium nos teſtes eſſe debemus; [d] quoniam tibi religioſum ſtudium nequimus æquare: tamen in hoc te [e] mei honore progreſſum, vt mihi falſis laudibus blandiaris, cùm ais aliquid ex noſtri oris deſiderare promptuario. Quid tibi inter rauca cornua [f] coruorū ſtrepitus blandiatur? Eſt quidem familiare virtuti, [g] delinimentum exercitij ſenſibus admouere. Nam & Achillem vatum maximus refert [h] ægrum animi curas fidibus reſoluiſſe. Sed nos & muſicæ facundiæ inopiam confitemur, & nutrimentum loquendi eorum litteris aucupamur, quos hærere comitatui, & fama loquitur, & tua ſcripta teſtantur.

c *al.* propenſiore, *vt in lib. Pith.*
d *v.c.* quo tibi.
e *v.c.* mei amore p.
f *Vide notas.*
g *v.c.* delinimenta.
h *Libr. Pith.* ægri.

* *Ad Promotum.* 75.

SAtisfaciet quidem tibi ad omne gaudium conſpectus tuorū. Sed ego hanc hilaritudinem cumulari poſſe coniecto, ſi noſter ſermo quoque iungatur. Nam cùm præ ceteris tibi domeſtica bona curæ ſint, proximum ſibi gradum iure amicorū cura defendit. Ergo vbi deſiderio tuo piæ neceſſitudines ſatisfecerint, ad noſtras quoque litteras oculi conferantur. Quarum hæc ſumma eſt, vt me valere cognoſcas. Nolo enim te à colloquiis tuorū pagina longiore producere.

Ad Promotum. 76.

DVo mihi grata proueniunt, quotiens à me litteræ poſtulantur: & quòd te honore ſalutationis impertio, & quòd operā commendationis præſto poſcentibus. Cùm igitur ad Africam reditum Paregorius cliens veſter inſtrueret, & huiuſmodi litteras impendio flagitaret; deſiderio eius effectum libenter impendi, ſciens apud amantem mei nec illius petitionem beneficio eſſe carituram, nec meum inefficacem futurum eſſe ſermonem.

Ad Promotum. 77.

NEc quidem prioribus litteris meis viciſſitudinem reddidiſti. Sed mei officij fuit ſcripta geminare, ne tam fida occaſione fraudarer. Maximè cùm amicus communis Auxentius acceſſurum ſibi aliquid gratiæ ex meis litteris [a] iudicaret. Quem tibi propterea commendare non debeo, quia illi apud te potius quàm apud alios teſtis eſſe conſueſti. Vale.

[a] v.c. indicaret.

Ad Promotum. 78.

HÆrentem me litteris impuliſti, vt amicitiam, quam dudum tacitus optabam, nunc prouocatus excolerem. Amplector futuræ inter nos familiaritatis auſpicem volũtatem. Et quamuis præuentus voto tuo; enitar, vt potero, ne vincar officiis. Has enim mihi partes video reſeruatas, vt relligio, quæ te hortante ſumpſit exordium, me annitente ſumat augmentum. Vale.

Ad Promotum. 79.

PRimis quidem litteris tuis [b] viciſſitudinem mox rependi. Sed quia nouæ familiaritatis auſpicibus plus debetur officij, excolere amicitiam litterario munere perſeuero, vt perſpicias bene cum his miſceri fœdus animorum, qui cumulatiorem gratiam relligionis referre nouerunt. Vale.

[b] *Sic v.c. vulgò leg.* viciſſitudine mea tũ rependi.

Ad Promotum. 80.

BEati me multis bonis iudico, quoties ſermonis tui honorificentia & ſplendore delector. Idque vt merear, etiam ipſe nõ deſero diligentiam frequentis officij. Stet igitur inter nos vt [c] animorum fida ſynceritas: ita huius muneris amica certatio. Vale.

[c] *Sic v.c. vulgò leg.* amicorum.

Ad Rufinum. 81.

[d] SVcceñſeram ſilentio tuo. Sed poſtquam mihi indicium de fratris honore feciſti, vicit offenſionem voluptas. Et in eam conditionem res rediit, vt ei agam gratias, quem piè obiurgare meditabar. Tu verò ſub [e] hac petitione dum voles retice, modò vt poſtea bonis epiſtolis redimas ſtili tui ferias. O nuncium voto tui ſimilem. Nullum decuit hæc ſcribere, niſi eum quem conſtat optaſſe. [f] Næ tamen præter gaudium quod de proceſſu fratris adquiro, etiam iudicium tuum admodum decolorem. Solus enim tibi viſus ſum reparatis virtutum præmiis poſſe gaudere. Sed quod ais excluſis

[d] v.c. ſuccenſebam.

[e] *Sic v.c. vulgò leg.* hac cõditione retice.

[f] *Hæc ex v.c. repoſui, quia vulgò deſiderabantur in excuſis.*

improbis ſpem bonis redditam, non inſolitum vel inchoatum recens gratulor. Nam ſolemne eſt Diuo noſtro Theodoſio in ſuos exercere cenſuram, morúmque agere delectum, & ſingulos vt nouos ſemper expendere, nec conſuetudini condonare iudicium. Inde eſt quod ſinceriſſimos mores tuos benignus reſpicit, quos ſeuerè & diligenter inſpexit. Quid quòd etiam longè intendit oculos, & per immenſum requirit venas bonorum? Nullóſque auidiùs trahit, quàm nihil deſiderantes? Vt Flauianum meũ atque [a] adeo tuum nuper exciuit, quem adhuc verecundia tegeret, niſi clara merita prodidiſſent. Hæc ſunt quæ mihi pro tempore lætitia dictauit. Nunc vt [b] amiciſſimum fratrem, vel, quod eſt verius, partem mei, diligas togo ſponte facturum. Ama in eo ſtudia tua, & quicquid agnoueris virtutibus tuis proximum. Mihi vt non eſt curæ quòd à fratre [c] diſcernor: ita ſolatio erit ſi eũ ſciam verè in te Symmachum repperiſſe. Vale.

a *v.c.* ideo.
b *al.* amantiſſimum.
c *v.c.* diſcernar.

Ad Ruffinum. 82.

ADhuc ſiles. Sed loquacitas mea non cohibetur exemplo, & eſt [d] ocium ad verborum copiam nimis commodum. Nam ruri ſum, nec tamen ruſticor. Tantum de ripa Tyberis (nam per fines meos fluuius elabitur) onuſta ſpecto nauigia, non iam ſollicitus, vt antè, de fame ciuium. Ex inopia namque publicus metus verſus eſt in [e] gaudium: poſtquam venerabilis Pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna penſauit. Quem nunc omnes vt altorem generis humani Deum diligunt. Nihil enim paſſus eſt auſtris contumacibus aduerſus Romam licere. Ergo de mei agri ſpecula peregrinarum nauium numero tranſcurſus, & gaudeo [f] victum populi Rom. non fato prouinciarum, ſed voto [g] Principis prouenire. Scio hæc in aures eius eſſe ventura, deuotione qua ſoles non occulere bonum publicum. Merito parciùs loquor, tuæ facundiæ relinquens, vt hæc ornatiùs, ſi ita placebit, inſinues, quæ nos inculta veritate narrauimus. Vale.

d *Sic v.c. vulgò leg.* ocium mihi ad ver. cop. cõmodum.
e *v.c.* gaudia.
f *Sic v.c. vulgò leg.* victum Reip. non.
g *v.c.* Principis regi ſcio. *Coniunge epiſt.* 55. *ſ. hoc lib.* 3.

Ad Rufinum. 83.

ITer vt opinione metior, expediſti: quod ſolum tibi ad ſilentij veniã ſuffragabitur. Nunc [h] ſtatiua requies, ſtilo & animo tuo ſcribendi ad nos vſum reformet. Licet oris tui [i] facultas, & quum viam carperes, luculento potuerit affatu ſitim noſtram rigare. Sed fuerit tibi aduerſum culpam taciturnitatis de labore purgatio. Nihil iam ſuffragij reſtat, quum tibi & facundia quæ nec ante impen-

h *Sic v.c. vulgò leg.* ſtatiuo requies.
i *Sic v.c. rectè. in excuſis erat,* fac etiam q. v. carpſeris luc. poterit a. ſ. meam rig. S. f. t. a. e. taciturnitatis laborioſa purgatio.

impediebatur ſuperſit, & ocium quod deſiderabatur acceſſerit. Vale.

* *Ad Rufinum.* 84.

SEquor te litteris: quia mente & adfectione non deſero. Nec videor mihi citò hæc arripere ſolatia, cùm adhuc apud nos recens iucunditas tua vigeat. Sentio enim bonorum ſeparationẽ ſtatim diuturnam videri. Quod ſi, vt præſumo, etiam tuus animus expertus eſt, fac nouerim feſtinata ſcriptorum vice te quoque hoc interuallum dierum longum putare.

* *Ad Rufinum.* 85.

MOs & ratio flagitauit, vt manſurus domi veniam de auguſtiſſimo Principe impetrari mihi itineris poſtularem. Excuſationis cauſam litteris indicaui, quas fauor tuus molli aditu & blanda recitatione cõmendet. Nihil enim meorum ſine boni cuiuſque auxilio placeret. Rem loquor omnibus notam, mihi numquam tacendam: hoc amici, hoc æmuli ſciunt. Quorum alij gaudent eſſe apud te locum meritis, alij dolent non eſſe diuitiis.

Ad Rufinum. 86.

INtelligebam nõ eſſe de nihilo quòd diu à litteris temperabas. [a] Tandem impedito per ægritudinem viſu, officiorum ſtetiſſe ſolertiam perſpexi. Itaque ego ille de ſilentio ſollicitus probare me fateor, quòd aſperæ nuncium rei vſque ad ſanitatis tuæ gaudia diſtuliſti; ne de te antè caperem [b] exorti incommodi ſollicitudinem, quàm ſecuritatem remoti. Nunc quia valetudo tecum in gratiam redit, indulgentioribus paginis amicitiam munerare: alioquin ceſſantibus epiſtolis ſimile aliquid rurſus timebo. Sed de hoc ſatis verborum eſt. Flauianum pectoris mei dominum, tui ſocium hærere animo tuo vſque ad improborum dolorem nimis gratulor. Nam ſæpe apud me de tali amicitia gloriatur hoc ego futurum ante proſpexeram, virtutes vtriuſque conſiderans, quarum ſimilitudo concordiam [c] facit. Et ideo plus gaudij quàm miraculi capto, téque oro ne quid in tales amicos faſcino liceat. Ille enim mihi non eſt rogandus, cui aliud velle non expedit.

a *v.c.* Tãdem patuit imped. p. æ. v. o. ſ. ſolertiã. Itaque.

b *Al.* exortã.

c *v.c.* fecit.

* *Ad Rufinum.* 87.

LOngo orationis ambitu commendentur incogniti. Seueriani autem C.V. merita annoſæ militiæ probata documentis cla-

boratum teſtimonium non requirunt. Principem locum regendis Profecturæ vrbanæ cohortibus obtinuit, in ordinem Senatorium lege tranſcriptus eſt. Reſtat vt poſt dignitatē Curiæ, quæ honoribus maior eſt, etiam rei .p. prouinciali ſpecimen ſui præbeat: quod futurum arbitratur, ſi domini mei Præfecti vrbis ſuper hoc litteras promptus ſtipulator adiuueris.

* *Ad* R*ufinum.* 88.

SIlentium meum de exceſſu ciuis Emeriti lepidiſſimo argumento epiſtolæ momordiſti. Nam quid excogitari facetius potuit ad caſtigationem ſuppreſſi à me nuncij, quamuis Cælij montis habitator aduentitiis litteris Romæ cognoſcerem. Sed mihi iudicij tui ſpectata grauitas indixit relligionem. Metui quippe tibi huiuſmodi indicio lætus videri. Scimus humanitatis hanc eſſe rationem, vt parum probatis & antè diſcordibus ad vicem doloris, quem mors incutere ſolet, reuerentiam ſaltem ſilentij deferamus. Quare parce obliquè ſtilo cedere, quod diſplicere auribus tuis timui. Quinimo age circunſpectioni meæ gratias, quæ tuis ſalibus locum fecit. atque vtinam ſæpe epiſtolas ioco ſcribas, quas negas ſeriò. Quid auarè veteris ingenij tui copiis? Vereor ne mihi poſthac vtilius ſit mittendis litteris abſtinere. Nam proximam de te paginam offenſione taciturnitatis elicui. Et ideo præſtabis forſitan culpæ meæ, quod non reddis officiis.

* *Ad* R*ufinum.* 89.

COmmendarem tibi Flauianum filium meum, ni te volente eſſet accitus. Nihil igitur tuo beneficio derogabo. Satis eſt iuueni meo ad argumentum grati circa te animi, quòd de litteris parentis non requirit auxilium. Puto tamen conuenire pietati, vt me quoque eius nomine tibi fateatur obligatum. Ex quo fiet vt plura in eum congeras ſtudij tui munera, pro quo tibi non vnus obnoxius eſt.

Symmachus R*ufino.* 90.

SÆpe mihi auctor lætitiæ, aut primus, aut ſolus es; qui Quæſtorem antehac fratrem, nunc Rectorem Prætorianum litteris nunciaſti. In omnibus ergo litteris tuis magna aliqua mei gaudij cauſa eſt. [a] Quid quod & ipſa verba luxuriant, & animi ſui alacritatem ſtili nitore teſtantur? Hęc cùm paribus officiis æquare non poſſim, voto diuina conuenio, vt fortuna optimorum virorum ſemper tuæ fœlicitati grata ſit.

[a] *Sic v.c. vulgo leg.* quia & ipſa.

Ad Rufinum. 91.

PRobitate & honore pollẽtibus viris, nihil aliena addit oratio. Sua enim luce conſpicui precariis teſtimonis non iuuantur. *Coniunge epiſt. 48. 5̄. hoc lib.* Qualis ergo quantúſque ſit dominus & frater meus, in aperto eſt. Meritò eius laudibus noſtrum cedit ingenium. hoc vnum tamen prætereundum non puto, ſummam mihi cum illo eſſe officiorum familiarium ſocietatem: quæ res etiam tibi minora merita plerumque commendat. Vnde arbitror ex abundanti promptam fore in eum præclaræ tuæ mentis affectionem, quam illi & decus proprium, & meæ amicitiæ prærogatiua conciliat. Vale.

Q. AVRELII SYMMACHI V.C. CONS. ORDINARII EPISTOL. LIB. IIII.

Symmachus Stiliconi. I.

DIu ſiluiſſe mẽ fateor, vt mihi fiduciam ſcribendi tuus ſermo præſtaret. Sed cùm perſpicerem necdum me vllo inuitamento officij prouocari, prior in verba ſalutationis erupi, plurimum rogans vt exempli iſtius imitator eſſe digneris.

C̄S. C̄S. 2.

ABundat Flauianus filius meus ad promerendam cõciliationem bonorum ſuis paterníſque ſuffragiis. Sed intereſt amoris, quẽ verè pignori meo debeo; ne dum meritis illius nihil deeſſe contemplor, officium parentis omittam. Facio igitur quod redundet, & cumulum impono perfectis. Sed hoc ad coniungendum Flauiano meo præſtantiæ tuæ animum multum credo valiturum. Quia mihi pro beneficio intelligis imputandum, quod illi ſolo iudicio detuliſſes.

C̄S. C̄S. 3.

VIr ſpectabilis Rufinus, & in ordinis noſtri lectiſſima parte cenſendus, cùm in obſequia tibi debita pergeret, inuidere ſe mihi credidit, niſi noſtra ſuſciperet. Igitur à me reddendam

deſert ſalutationem, quam tibi ſæpe deferrem ſi eſſet facilè ſimiles inuenire. Rarus igitur eſt ſermo: quia rara eſt talis occaſio. De ipſo nihil dicimus. Meritò enim proprij conſcius, ſuſpiciones gratiæ fugit, & in examen tuum veniens non vult ſui commendationem teſti magis debere quàm iudici.

* *Ad Stilichonem.* 4.

QVid de Afrorum dolore & militarium virorum querelis cõſultus præcepto ſacro ampliſſimus ordo cenſuerit, plenè atque apertè geſtorum Curialium inſpectione cognoſces. Sed quia me quoque familiariter indicem geſtæ rei eſſe iuſſiſti, ſummatim quæ decreta ſunt non tacebo. Lectis domini noſtri Honorij Aug. litteris, atque ſententiis, decurſiſque omnibus paginis, quæ Gildonis crimina continebant, par bonorum motus erupit. Conſulti igitur in Senatu more maiorum (neque enim ſine legitimo ordine iudicij auctoritas ſtare potuiſſet) ingenti cauſæ deuotis ſententiis ſatisfecimus. Adiecta eſt poſt rei damnationem pro alimentis populi Rom. ſupplicatio. In metu enim ſumus, ne obſit commeatibus annonariis medij temporis mora, & perturbatio plebis oriatur. Veniet in manus tuas quid pronunciauerim. Repperies & facti huius me adſeruiſſe iuſtitiam, & apud D. noſtrum Arcadium cauſam publicæ egiſſe concordiæ.

* *Ad Stilichonem.* 5.

COmmendationem non deſiderat, qui ad agẽdas gratias pergit. Et ideo Flauianus filius meus fretus eſt culminis tui beneficio: leuat iſtiuſmodi labore curam parentis. Reſtat vt ſcribã quòd illius coràm gratulatio ſequetur, nihil eſſe ad integrandas fortunas hominum virtutibus tuis promptius. reddideras inclinatum priſtinum ſtatum, & putabaris conſumpſiſſe præſtanda. Nũc adiecta eſt ei honorabilis euocatio, quam teſtimonij tui iuuit auctoritas. Nouos beneficiorum gradus inuenis, & inconſtantem putas amorem qui incrementa non accipit. O felicis ingenij benignitatem. Quid Flauiano meo amplius velim, neſcio: cùm tu ſponte præcurrens impudentes nos facias æſtimari, ſi adhuc aliquid optamus.

* *Ad Stilichonem.* 6.

EVectiones impetraſſe me gaudeo, quibus Præturam filij mei virtute qua polles iuuare dignatus es. Reſtat vt cumules, quæ magnifici animi conſuetudine præſtitiſti, & familiares meos in

Hiſpanias miſſos ob equorum Curulium coemptionem tranſcurrere protinus iubeas, quia tempore futurę editionis vrgemur. Illud autem de te petere nō audeo, ſed tuo relinquo iudicio, [a] vt effectū deſiderij mei datis ad amicos litteris præcipias adiuuari.

[a] v. c. in effectum.

Ad Stilichonem. 7.

AGendis tibi gratiis pro Flauiano filio meo, vſquequaque me imparem ſentio. Et quum ſint verba rebus faciliora, beneficij tui magnitudinem dictis æquare non poſſum. Neque enim mea tantùm gratulatio eſt, quòd cum illo honor amiſſus [b] reuertitur in gratiam. Senatus boníque omnes, hanc inter ſe lætitiam partiuntur. [c] Idcirco arduum eſt, vt vnus ſermo compenſet quod tantorum contraxit affectio. Dabis igitur veniam pro re pauca dicenti. Maius quiddam eſt, honorem reſtituere quàm dediſſe. Illud enim fieri fortuna conſentit, hoc contra ipſam præſtat humanitas. Præmiſerat alia exempla clementię receptus cælo Principum parens, & Flauiano meo multa caſibus detracta reddiderat. Reſeruatus eſt vnus, & potiſſimus bonitatis titul⁹ heredi, quē magnitudinis tuæ monitu paternis beneficiis Diuus Honorius adiecit, interpretatus ſcilicet Diuo Principi tempus non animū defuiſſe. Nunc perfecta ſunt à ſucceſſore conſimili interrupta fato opera clementiæ. [d] Faſtigium tamen leniſſimus & auguſtiſſimus Princeps cœptis genitoris impoſuit, cui ad vicem gratiæ te ac tui ſimiles opto monitores. Nam ſummis imperij moderatoribus pia & decora ſuadentes, inſtrumenta ſunt boni ſęculi. Eſt quidem Rectori noſtro diuini fontis ingenium, & omnium virtutum prompta natura. Sed, vt imagine mihi vti liceat, optimos gubernatores mediocriter etiam remigum manus iuuat. Te verò famæ eius amiciorem cùm fides militiæ, tum neceſſitudinis [e] reddidit affectio. Hinc eſt quòd illi promerendi vndique amoris vias inuenis, & maioribus occupatum mones priuata fata reſpicere. Humani caſus in fugā verſi ſunt, nihílque in Senatu mœſtum reſedit. Aliis [f] attributus, aliis integratus eſt honor. Vni familiæ debetur quicquid ſinguli ſumus. Sed iam ſeruabo epiſtolæ terminos. Namque vereor ne hæc ipſa afferant faſtidium pręclaræ verecundiæ tuæ, cùm æquare non poſſint vicem gratiæ. Illa te potius gaudia munerentur, quæ meritorum ſecuritas parit. Nolo ex verbis cuiuſquam ſperes tanti beneficij ſolutionem. Præ ceteris noſti, ſolum conſcientiæ bonæ præmium ſatisfacere

[b] v. c. reuertit.

[c] v. c. Quocirca.

[d] v. c. Faſtigium quoddam leniſs.

[e] v. c. reddit.

[f] v. c. tribut⁹.

poſſe magna præſtantibus. Vnum tamen tanquam immoderatus adijcio, vt iugiter in Flauiano meo beneficia tua diligas. Vale.

* *Ad Stilichonem.* 8.

INtelligo ex mora & cunctatione reſcripti atque diuini aliquid in his quæ Prætoria filij mei ſupplicatio comprehendit, incongruum vel dubium iudicari. Atque ideo tibi petitionum mearũ debeo præſtare rationem. De equis ob natalem Domini noſtri Honorij & inuictiſſimi Principis largiendis, licet hoc anno obſequij iſtius tempus effluxerit, opinor votum meum non potuiſſe reprehendi. Aquæ verò theatralis & holoſericarum veſtium impetratio etiam aliis ante me plerumque delata eſt. Et ideo iuuatur exemplis amphiteattium ſpectaculũ, quod editioni filij
* mei propter capacitatem opto concedi. Etiam ludicris Quæſtorum prælationibus negatum. Teſtimonio ſunt reſcripto priuilegio ſolis patere Conſulibus. Sciat à me dudum rei iſtius proceſſiſſe principium: non vt faſtigio Conſulari, quod pro me tui culminis fœlix, & olim debitus magiſtratus ornauit, ex hoc aliquid adderetur (neque enim præcipuus honor rerum talium requirit augmenta) ſed ne populus Romanus adpetentior iſtiuſmodi voluptatis minoris loci vrgeatur anguſtiis. Ceterũ quid prærogatiuę habeat nõ video, cùm etiã Cẽſuales abſentiũ munera illic ſoleãt exhibere, quorum mediocritatẽ volumus æmulari. Hæc eo ſcribo ne videar iniquitatis aut inſolentię argui, ſi aliquid denegetur. Sed eminentiſſimæ & ſemper mihi reuerendæ ſublimitati tuæ expendendum relinquo, quid merito exiſtimes conuenire. De me enim opinio hominum iudicabit, ſi iuſta non impetrem, cùm tuæ cenſuræ animus ſoleat magna præſtare.

* *Ad Stilichonem.* 9.

CVm ſublimi excellentia tua legationem mihi ampliſſimus ordo mandauit, quam ſuſcipiendam me & neceſſitas impulit patriæ, & tui culminis prouocauit auxilium. Peruectus igitur ad comitatum Domini & Principis noſtri Honorij in notitiam magnificentiæ tuæ deferre non diſtuli aduentus mei cauſam. De cenſuræ enim tuæ pendet arbitrio ſpes communis officij. Quæſo igitur vt lectis ampliſſimi ordinis petitionibus, quarum exempla coniunxi, inter fœlices magnitudinis tuæ auctus, ſuper hac quoque parte exſpectationem meam litteris digneris inſtruere.

* *Ad Stilichonem.* 10.

ITáne ſublimem animum tuum mei cœpit obliuio, vt tamdiu exſortem colloquij tui me eſſe patiaris? An exiſtimas neglectum familiaris officij æquanimiter à me poſſe tolerari? Quin age vt mos eſt virtutibus tuis, & amicitiam ſcriptorum celebra, ſimúlque æſtima quo vberior ac promptior litteris tuis à me cura referenda ſit, quæ etiam tacenti iugiter exhibetur.

Ad Stilichonem. 11.

SÆpe ad te litteras dedi, quas credo ſuppreſſas. Quando enim vir ſeruantiſſimus amicitiæ, multíſque animi bonis præditus, dignationem [a] officij denegaſſes? Fuerit hoc eorum, quibus in reddendis paginis defuit fides. Nunc euentus optabilis [b] veterum morum ſequeſtrem ſcriptis meis præſtitit. Igitur diligentia, quam mihi proficiſcentis fidelitas pollicetur, erga te cultum ſalutationis inſtauro. Reſponſa tua facient, vt vſum ſtili per verecundiam ſerò repetitum, viciſſitudine prouocatus exerceam.

[a] *v.c.* mihi officij tui de.

[b] *v.c.* verum morum.

* *Ad Stilichonem.* 12.

COnſulatum meum liberalitate [c] continuas, & vt publicus parens in futuros etiam magiſtratus imperialem prouocas largitatem. Quo ergo mihi ore celebrandus es, qui faſtigio honorum iure [d] conſpicuus, Prætorios quoque inſtruis apparatus? Cogitas enim ceteris ſęculi bonis etiam priuatorum munia debere congruere. Itaque Domino noſtro Honorio diuinæ ſtirpis Auguſto benefaciendi ſemper addis calorem, docéſque inuictũ Principem Senatoriam mediocritatem muneribus incitare. Cui pro me agere gratias ſolus omnium potes, qui tanti beneficij auctor fuiſti. Ego in filij mei editione teſtabor, cùm Romanam caueam leopardorum curſus impleuerit, cui iuſtior plauſus & læta vocum ſuffragia debeantur. Longiùs pergerem, niſi tuus nobilis pudor par virtutibus ceteris laudis onera vitaret. Ero igitur verborum modicus, dum ſingulari verecundiæ tuæ obſequor. Sed præcelſa ſublimitas tua teneat definitum, meam gratiam quę parca eſt in animo redundare. Vale.

[c] *in v.c.* continuus. *malè.*

[d] *Sic puto leg. cùm ſit in v.c.* conſpicimus.

* *Ad Stilichonem.* 13.

AD patriam rediiſſe me nuncio, necdum compotem ſanitatis. Sed ſi tuus aduentus adriſerit, ſpero in gratiam mecum bonam valetudinem mox eſſe redituram.

* *Ad Stilichonem.* 14.

CVm filios noſtros iugali fœdere ſociare vellemus, primã ſuper hoc magnificentiam tuam meditatio noſtra conſuluit. Vt cœpti fœlicis auſpicium à pare publico ſumeretur. Effectum in nuptialibus votis Deus præſtitit. Nunc honor ſportulæ ſuſcipiendæ culmini tuo & more & amore ſoluendus eſt. Quare recipiendo obſequio manum atque animum benignus admoueas. Hunc enim lætitiæ adhuc apicem feſta noſtra deſiderãt; vt is qui nobis auctor ante omnes eſſe dignatus es iungendæ per filios neceſſitudinis, æquè maneas adprobator.

Vide notas.

Ad Bauthonem. 15.

NOn cadit in te ſuſpicio iſta, vt conſultò amicitiæ negligens fuiſſe credaris. Eſt tibi animus tenax fidei, & vt in recipiẽdis familiaritatibus circũſpecta cautela, ita in retinendis firma conſtãtia. Quapropter nec antè opinatus ſum exemptũ me numero ceterorũ, quibus principio anni munus Cõſulare tribuiſti, & nũc ampli⁹ quàm reliquis mihi credo delatũ. Nã quòd illis generalis oblatio dedit, nobis ſpecialis cura reſtituit. Qua in re his quoque ſuccẽſere non debeo, qui me exſortẽ prioris honorificentiæ eſſe voluerũt. Neq; enim mihi aliter euenire potuiſſet, vt quod fraus aliena ſubtraxerat, [a] bis mererer. Stabit igitur apud animũ meũ iugis tua gratia, & memoria conſtantis officij nulla obliuione tenuabitur, ſiue error [b] iſtud, ſeu dolus fecerit. Docuiſti omnes, nihil vlterius ad deſtruendas amicitias callidum cogitare, quas vident inſidiis ſuis creſcere. Vale.

a v.c. his mererer. & *lib. Scotti.*
b v.c. iſta.

Ad Bauthonem. 16.

INter præcipua gaudiorum numero litteras tuas; ſcilicet fraterni animi teſtes, & veræ relligionis interpretes. Eas quanto ſæpius ſumo, tanto impenſiùs vberiúſque deſidero. Difficilis eſt enim ſatietas bonarum rerum: & tunc maximè animos iucunda quæque ſollicitant, cùm videntur explere. Scribe igitur vt facis ſæpius: nec metuas ne experiaris ingratum, [c] & amoris & ſermonis tui tàm cupidum. Vale.

c v.c. quem vides & amoris & ſerm. tui eſſe tam c.

Ad Protadium. 17.

SVm quidem nimis æger animi, & præ tanto luctu obeundis impar officiis. Sed numquam fortunæ in me tantùm licebit, vt [d] amorem tuum victus mœrore diſſimulem. Quinimo his delinimentis remedia vulneri meo facio. Quæ etſi pro magnitu-

d v.c. honorem.

magnitudine doloris inualida ſint, medicinam tamen mihi efficaciſſimam tui ſermonis auxerunt. Quid expectem vides. Redde operam, ſi videtur, debitam amicitię, ęgro animo profuturam. Vale.

* *Ad Protadium.* 18.

FAlſò apud me venandi ſtudio gloriaris, cùm tymum facundię ſpirent litteræ tuæ. Ne mihi os ſubleueris. alia ocij, alia negocij ſigna ſunt. Hæ res verba. Solet ruſticus vino anhelus . . . ganeon autem ſequitur grauedo ſuos. Amici camœnarũ florem ructatis Heliconis. Quas tu nobis indagines leporum, quos natales canũ dies, quæ venatica feſta mentiris, ceſſent poſſe me retrahi à voluminum ſtudio in eas artes quas tibi arrogas. Ne primæuus quidẽ cùm ferret ætas, Amyclæos aut Moloſſos alere curaui. Tantum abeſt, vt hæc annis in ſenectam vergentibus velim, Candidior poſtquam tondenti barba cadebat. Sed fac velle me obire nonnumquam ruſticas voluptates. Cui tandem primorum Senatus tanta vacationis fœlicitas ſuppetit, vt inter patriæ curas reſpiret opere ſyluestri? Comperiſti haud dudum frumentarias magnæ vrbis querelas. Succeſſit huic olei penuria, & adhuc manet de fruge cauſatio. hinc rerum feſſi viros Curiæ oratum remedia legauimus: & ſpes eſt clementiſſimum diuinúmque Principem ſalutari[a] opera conſulturum petitis. Interea laborantium murmur eſt, ſtrepit ciuitas. Tu nunc amice venaris & nimis anxios deliciarum tuarum iactatione ſollicitas. Sed quid fieri poteſt, vt talem tantúmque te perſcrutandis cubilibus leporum credam vacare? Vnde ergo eſt quod iiſdem litteris à me poſcis hiſtoriam, quibus canum tuorum feſtos ac profeſtos dies prædicas? Diſſimulari ſtudia vera non poſſunt. Nam fateris inuitus inter figmenta ludicra morbum legendi. Non ibo longiùs. Priſcas Gallorum memorias deferri in manus tuas poſtulas. Reuolue Patauini ſcriptoris extrema, quibus res Caij Cæſaris explicantur. aut ſi impar eſt deſiderio tuo Liuius, ſume ephemeridem C. Cæſaris decerptam bibliotecùlæ meæ, vt tibi muneri mitteretur. Hæc te origines, ſitus, pugnas, & quicquid fuit in moribus aut legibus Galliarum docebit. Enitar, ſi fors votum iuuet, etiam Plinij Secũdi Germanica bella conquirere. Tantiſper eſto contentus fide operis oblati, & fratrem noſtrum Mineruium ſcriptorum meorum[b] doctiſſimum iudicem, quem malo plauſorem, fac ſocium

Iũge epiſt. 47. 5. lib. & ad Agorium.

*

Vide notas.

Virgil. eclog. 1.

[a] *v. c. habebat,* operæ: *liber Pithœi,* ope. *et mox legit,* petit interea lab. murmur, ſtrepit ciuitas.

[b] *Lib. Pithœi ſic habet,* doctiſſimum & benigniſſimũ iudicem. cur dicam iudicẽ? quem malo pl. &c.

lectionis.quanquam hoc à te ſcio nequaquam petendum. Nihil enim bonæ rei inter vos diuidi amor æquus ac mutuus ſinit.

* *Ad Protadium.* 19.

Cõfer epiſt.52. ĩ hoc lib.4.

A Proſperis ordiendum eſt.quapropter in prologo,vt ita dixerim,litterarum ſalutem valetudinéq; vico.Dehinc meorum ſubiicio poſtulatum. Flauianus vir in commune pignus diu eluctatus fortunæ[a] aſpera, ſed Diui Principis beneficio in tranquillum reductus,ſoluere ſolatium patris iuſſus eſt,taxatione preciorum grauiter aggerata.Neque cenſus exilis tãto oneri conuenit. Fac igitur,ſi quid in te opis eſt, vt afflictæ domui pia temporum parcat humanitas:alioquin integrata per indulgentiã bona [b] vel actione fœnoris detrahētur.Sequetur,vt ſpes eſt, paterna benefacta iuuenis Auguſtus; ad quem ſicuti ſucceſſio imperij V. C. [c] à fratre peruenit,ita & bonitatis imitatio.

a *Lib.Pithei,* aſperis.
b *Lib.Pithei,* vel auctiones.
c *Lib.Pith.* à patre.

Ad Protadium. 20.

HIlaraſti mihi diem litteris, quæ teſtatæ ſunt vigere apud te noſtræ amicitiæ diligentiam.Multum pectori meo voluptatis allapſum eſt. Et ſanè ſtatueram ſcriptis anteuertere officium tuum, ſi te Mediolanum veniſſe didiciſſem. Dederam quippe hanc prouinciam germano tuo, cuius tibi amore non ceſſerim, vt aduentum tuum properè nunciaret. Sed colludio quodam moratus indicium, tibi ordiendæ ſalutationis priorem locum præſtiti.Neque ego moleſtè fero quod apud te gratia fratris [d] antiſtat.Interea reſpondendum eſt inquiſitioni, qua ſcire poſtulas, quibus actibus vitam colamus. Dum filius meus Græcis litteris initiatur,ego me denuo ſtudiis eius velut æqualis adiunxi. Repueraſcere enim nos pietas iubet,vt litterarum dulcedinẽ liberis noſtris labor participatus inſinuet. Tuæ res non in germine, ſed in fruge ſunt,cuius eloquentiſſimus iuuenis, vt fando comperi, [e] proximis facundiæ calcibus vrget parentem.O te beatũ amice, ſi [f] vinceris! Noſtra adhuc inſtitutio molitur florem creare, nec imperari poteſt vnico labor.Itaque inter meum metum & diligẽtiam,lentus pignoris noſtri profectus adoleſcit.Planè vt arbitror quæſitis ſatisfecimus. Nunc viciſſim rerum tuarum ordinem cupio cognoſcere.Facilis autem tibi,ſi me dignum putes litteris, commeãtium copia eſt, quum tabellariis [g] in aula fratris tui vtaris. Vale.

d *Sic v.c. vulgo,* anteſtat.
e *v.c.* proximus.
f *Sic v.c. rectè. vulgo leg.* viceris.
g *v.c.* in aula *poſitò*, fratris vtaris.

* *Ad Protadium.* 21.

POſt vrbis noſtræ exitiabilem famem, re frumentaria in tranquillum redacta, oram Campaniæ regionis acceſſeram. Commodùm adfuit Martian⁹ intimus vir, & mihi per vos amicus, adportãs litteras tuas: quas vbi lętis oculis percucurri, aucta eſt apud me celebratorum littorum gratia. Fit enim plerumque vt ex bonis accidentibus honor & voluptas creſcat locorum, & amoris ſigna præferat. Nam nemo flagrantiùs amicitiam colit, quàm qui iraſcitur negligentiæ. Quod ita accipias volo, vt cauſa officij mei ſalua ſit: nullum quippe delictum curæ erga te frigentis agnoſco. Quid quod proximè teſte fratre communi, quem magiſtratus vrbis amplectitur, geminam tibi ſalutem per epiſtolas dixi? Num fraternitati tuæ etiam commeantium fidem debeo? Cogita in lõginqua raras aut occultas hominũ profectiones: adde perfidiam mandata fruſtrantium. Non accuſabis abſentis, vt ſpero, deſidiã, ſi conſideres & in emittendis epiſtolis alienam requiri occaſionem, & in reddendis alienam fidelitatem. Sed quid ego his teſtimoniis diligentiam in te meam nitor adſerere? Ipſum fratrem noſtrum Martianum credo tibi ſedulò prodidiſſe, quanta memoria & prædicatio tui in ore ac pectore meo vigeat: ego verò iam quid de ſcriptis meis vel ſilentio ſentias non requiro. Siquidem minus eſt te frequenter adloqui, quàm de te iugiter loqui. Quid ergo? Scripta poſtulas quibus ſæpe malè creditur: hoc liberius, hoc verius eſt, quod defertur abſenti. Itaque vt vis gloriare ſtili frequentia: ego officium vinco iudicio.

* *Ad Protadium.* 22.

GEminus pariter in manus[a] meas à te ſermo peruenit, dum multiiugis officiis amicitiam noſtram pergis excolere. Quo exemplo, licèt omnis adfectio modò non munere cenſeatur, reddo tibi binas litteras: quarum alias frater noſter Euſebius pars pectoris mei, has verò frugis optimæ iuuenis[b] Martyrius exhibebit. Simúlque conuenio vt fidem ſolutionis iſtius muneris memineris æmulari, cùm te cœperit frequentium paginarum viciſſim fœnus vrgere.

a *Sic emendaui, cùm in v. c. eſſet*, meas ait ſermo p. dum multimagis of.
b *Lib. Pithæi*, Marius.

* *Ad Protadium.* 23.

OBſeruatio quædam me adhuc vſque cohibebat, ne litteras primus emitterem. Hunc enim morem quædam[c] inſtitutio vetuſta conſtituit; vt eorum antè recurrat adfatus, quos à proprio

c *Lib. Pithæi*, inſtitutio, vt iuſta cõſtituit.

lare peregrinatio longa diſterminat. Ago [a] itaque atque habeo vberes gratias, quòd & te langore diſcuſſo rectiùs valere cognoui, & his ad ſcribendum manum quodammodo intelligo eſſe reſeratam. Pro qua re meliores tibi opto proceſſus. Nã etſi ſecundum mores ac natales tuos honorum culmen [b] indeptus es, necdum tamen perfectum præmium debitámque mercedem tua fortuna reſtituit. Quæ etſi in te magna contulerit, numquam tamen æquabit meritum tuum. Nunc redeo ad verba ſolemnia, quibus tibi ſalutationis officium de more perſoluens, mutuum munus expoſco. Intelligis enim viciſſitudine ſcribẽtium animos incitari.

a *Al.* ago igitur.
b *Al.* adeptus.

Ad Protadium. 24.

EXtant in monumentis Salluſtianis Africani litteræ, quas Iugurtha poſt excidium Numantinum teſtes ad Micypſam decoris ſui pertulit. has ego in præſentia fratris noſtri Florentini nomine ad verbum mandandas paginis puto: quia vt ambo [c] ex negociis ſuis pari gloria viguerunt, ita vtriuſque virtuti idem teſtimonij honor congruit. Et illum quidem Scipio regi Numidiæ volens reddidit: nos inuiti tanto ornamento tibi cedimus. fatendum quippe eſt in gratiam tuam factum, vt hunc abire pateremur. De me ſi quid pro amicitia tua poſtulas edoceri, erit quæſitorum index, qui rerum mearum arbiter fuit. Tantum epiſtolæ meæ crede quòd valeam, tuíque diligentiam colam, quam mihi de te inuicem fides æmula pollicetur.

c *Lib. Pithœi,* in negociis ſuis p.g. ſplẽduerunt.

Ad Protadium. 25.

DEſideraui litteras tuas aduentantibus multis, quos mihi ſermonem tuum præſumpſeram udituros. Sed vbi expectationem meam ſpes iſta fruſtrata eſt, vltro te alloqui ſtudui, vt te [d] exemplo beneficij ad curam ſimilem prouocarem. Quæſo igitur ne amicitiæ munia frigere patiaris, quæ impatienter requiro, licet nouerim diligentiam circa me tuam, etiam cum ſcripti abſtinens ſis, fido animo contineri.

d *v.c.* exemplo officij ad.

Ad Protadium. 26.

AMpliſſima redundo lætitia, cùm video litterariis officiis meis honorem parilem non negari, atque ideo exercendi ſtili amore [e] extimulor. Neque enim fas eſt torpere ſtudium, quod [f] æqua benignitas compenſatione gratiæ muneratur. Plura vellem, ſed verecundiam tuã nimio [g] laudis excurſu non oportet onerari. Vale, & amicitiam, ſicuti facis, in exemplum tuere.

e *v.c.* diſſimulor.
f *v.c.* æquè.
g Laudis, *aberat ab excuſis, ſed erat in v.c.*

Nos etſi elegantia ſermonis impares ſumus, conſtantia relligionis pares eſſe nitemur.

* *Ad Protadium.* 27.

VT deſidem me ſcribendi ſæpe accuſas. Quid doleam magis neſcio. Sermo omiſſus negligentiam videtur arguere, parcus infantiam. Malo tamen vt ingenio conuicium quàm moribus meis facias: quibus, quandiu ipſe mei ſum memor, obijcere [a] tui obliuionem non potes. Caſtigaſti, item quòd te fratribus tuis dicenda ſalute conſociem. Sum quidem loquendi pauper, & tenax cartulæ. Hoc te mihi dare vitio non oportet, quod illos conſtat ampleɔ̃ti. Facit autem lex Curiæ noſtræ, vt maioris apud me numeri antiſtet auɔ̃toritas. Quid ſi vos vna ad menſæ genialitatẽ vocarem? Nolles eodem cum fratribus thoro accipi? Nec inuideris, ſi vnius epiſtolæ creditum quęſtum quodammodo de vobis vſuræ triplicis exerceo. Nihil enim mihi à ſingulis pro altero ſoluitur. Aut cur mea officia diuidi poſtulatis, qui ad exprobrandum veſtra coniungitis?

[a] *in v.c. erat,* tua.

Iunge epi. 44. & lib. 1. ad Agor.

Ad Protadium. 28.

INgenia humana prompta ad arguẽdum eſſe omnibus liquet. Sed tu qui inter bona rara numeraris, omitte ſectari per naturam faciliora, & defenſionem longi ſilentij mei ſuſcipe, quæ abũdat plurimis iuſtitiæ patrociniis. [b] Si contempleris ad viciniam Rheni, à qua nunc & optimus Princeps, & potiſſimus magiſtratus abeſt, nullum noſtrarum partium commeare, fors fuat. An quis tantum viæ ob rem priuatam mihi [c] ignoratus arripiat? Primò quia in commune imperij caput vndique gentium conuenitur: tum quòd clementiſſimum Principem in hac parte degentem, varia omnium deſideria vel neceſſitates ſequuntur. Et tamẽ quum tabellarios tibi plures cauſæ offerant, æquè à ſtilo temperas, nec vlla à nobis [d] expoſtulatione perſtringeris. Facit enim ſecuritas mea, vt diligi me etiam à tacente non ambigam. Ergo amicitiæ noſtræ fiducia non ex litteris pendeat. Illarũ interualla fors [e] facit. Fides autem mutuæ diligentiæ indignatur linguæ aſſertionem. Ad hæc etiam prolixas epiſtolas petis, tanquam facturus periculum, quantum in ſcribendo cana ætate profecerim. Semper quidem ſimilis arentibus riuulis, [f] largiores ripas refugi, vt inopiam breuitas affectata celaret. Nunc graues quoque anni, ſi quid de pectore meo ſtillabat, biberunt. Præterea [g] nihil argu-

[b] *Sic v.c. vulgo leg.* Si contempſeris ad viciniratem.

[c] *Sic v.c. vulgò leg.* ignoranti.

[d] *Sic v.c. vulgo,* poſtulatione.

[e] *v.c.* faciet.

[f] *v.c.* laxiores.

[g] *vide hic notas.*

menti ſuppetit ad propaganda quę ſcribimus. Noſti ocium meű, de quo apud te largiter loqui vtriuſque faſtidium eſt. Magnis negociis plura verba conueniunt. Nobis idem ſit linguæ modus, qui fortunæ eſt. Mallem, Aborigenum more, dictionem ſalutis alternæ ligno aut corticibus ſcribere. Ægyptus papyri volumina bibliothecis foróque texuerit. Sufficiat aliquando celebrandæ amicitię, Si vales, bene eſt. Opto has ipſas, quas tu breues quereris, ſalutationum vices, dum abſumus, inter nos longum manere.

* *Ad Protadium.* 29.

SPero te, vt fando didici, ad vicinia venturum. Fors fuat, an vera comperi. Ego tamen vel tradendas coram tibi à fratre noſtro Mineruio duas oratiunculas meas, vel mittendas in patriam fidelitati eius [a] ingeſſi. Parcus eſſe in hac epiſtola eſſe debeo. [b] Illis enim quæ legenda ſuſcipies amor auarus explebitur. Commoneo tamen, ne orationis vnius titulo mutetur de me exiſtimatio tua. Nam repudiata cenſura grauat nos principio, ſola argumenti inſpectione. Sed vbi dicta legeris, cum ſententia mea in gratiam reuerteris. Hanc partem quæ tempeſtate reſecata eſt, totius ordinis noſtri antetulit auctoritas; ne ſub ſpecioſo nomine fores impotentiæ ambire ſolitis panderentur. Plures vtilitatis & honeſtatis affectiones in ipſo corpore orationis inuenies. de vtroque opere meo iudicium tuum cura mea deſiderat.

[a] *Sic lego*, nõ ingreſſi, *vt erat in v. c. malè.*

[b] *Ita emendaui. Nam v. c. habebat malè,* Illiſerã quæ.

Confer epiſt. 9. l. 5 ad Theodor. & epi. 46. hoc lib.

Ad Protadium. 30.

SIlentij inter nos ſimile ſcis eſſe delictum. Atque ideo mihi [c] iniuſta culpa datur, quæ vtrique communis eſt. Et tamen defenſio mihi ſuppetit, quia nec profectiones commeantiű notæ ſunt, & tu non iiſdem ſedibus immoraris: dum aut Treuiros ciuica relligione, aut quinque Prouincias ocij [d] voluntate commutas. Mihi eſt Romæ iugis ſtatio, & maior nunc cauſa reſidendi. Ex quo me viri excelſi germani tui præſentis & cura retinet, & iuuat gloria. Vna igitur via ſociare ſcripta potuiſti, quæ frater & fratri æquandus acciperent. [e] Quòd à te gaudeo vel ſerò curatum. Nec tamen cùm à litteris temperares, vllam deceſſionem diligentiæ in me tuæ factam putaui. Tanta eſt enim ſecuritas veræ amicitiæ, vt de ſua fide æſtimationem mutui amoris aſſumat. Plura in hunc modum dicere piget. Quare tranſeo ad eam ſermonis tui partem, quæ orationum mearum deſiderium videtur attingere. Ais in manus tuas ſcripta noſtra veniſſe fratre noſtro

[c] *v. c.* iniuſtè culpæ datur quod vtrique cõmune eſt.

[d] *v. c.* voluptate.

[e] *Sic v. c. vulgò leg.* Quod à te vel ſerò curatum eſt.

Mineruio proditore, qui friuolis meis litterata potius curioſitate, quàm iuſta delectatione non abſtinet. Si tibi tantum ocij eſt, vt ad faſtidium detergendum nonnulla [a] etiam inſulſa conquiras. Quicquid ſtilo elaborauimus,[b] exhibeo ſecurus veniæ, quam mihi ſpondet animi tui [c] caritas. Pænè præterij, quod loco principe accuſare debueram. Itáne epiſtolarum noſtrarum ſimplex vſus interiit, vt paginis tuis lenocinia æui præſentis anteferas? Redeamus ergo ad infucatos nominum titulos, & cùm dicitur, aut redditur ſalus, nihil ipſis vocabulis noſtris honoratius, aut blandius eſſe ducamus. Exemplo certè tibi ſit epiſtola mea: quam ſi æmulari ſpreueris & arrogantiæ notatus videbor, & ceteris aggregatus, quorum magnus ſuſpectus in verbis eſt, nullus cultus in ſenſibus.

[a] *v.c.* etiam falſa conq.
[b] *v.c.* exhibebo.
[c] *Sic v.c. rectè. vulgò erat,* curioſitas.

Ad Protadium. 31.

Mediolanum te idem qui me Conſul acciuerat, ſperaui: quòd nos in vnum votiua cauſa conduceret. Sed vbi per valetudinem defuiſti, ægerrimè expectati [d] gaudij diſpendium tuli. Nunc peractis ſuper omnium magnanimitatem Cõſularibus feſtis, Romam reuertor; quo ſe ampliſſimus magiſtratus venturum protinus genero adſtipulante promiſit. Quàm vellem, ſi in ſolidũ redit ſanitas, compenſares aduentu veniam ſuperiorem, atque vna via & Senatui deferres officium voluntarium, & Conſuli debitum ſolueres. ſed vnum mihi optare tantùm, cùm fruſtrà fuerit ſperaſſe leuiora. Quando tu venatui togam præferes?

[d] *Sic putaui leg. Nam in v.c. erat.* gaudium diſpendij.

Ad Protadium. 32.

Creſcere inter nos quotidie amoris debitum volo. Sed epiſtolis tuis nihil opto debere, quæ mihi plerumque [e] exprobrant vt deſidi. Ergo geminis litteris non ſimul mihi redditis, pari numero, ſed iuncta remiſſione reſpondeo. Valemus quantum ætas [f] admittit decliuis in ſenium. Rarò nobis ager viſitur, ſed multo rarior eſt apud me vſus legendi. Tibi & ruſticari, & erudiri plurimum licet. Inde eſt quòd nos frequenter plurimum alloqueris: quia omne tẽpus vt quæratur ingenio, ocio vindicatur. Sed fiduciæ tuæ audacia noſtra non ceſſerit. Haurias licèt monumenta priſcorum, & ipſe paginis ediſcenda committas; ſollicitabo te arentibus verbis ſcriptis tuis, quæ amore & iudicio me legere neceſſe eſt, vt compenſem illorum damna quæ negligo.

[e] *v.c.* exprobrantur vt d. e.g. litteris tuis non ſ. m. r.p.n. ſed cõiuncta emiſſione r.
[f] *al.* permittit.

Ad Protadium. 33.

DElectaris epiſtolis meis. Credo. Hinc eſt quòd eas & ſæpe & ardenter efflagitas. Sed non ſtatim mereor deſidis notam, ſi nequeo tui amoris in me auaritiæ ſatisfacere. An interlabi amicitiæ memoriam per ſilentium putas? Caue talia de animis opinari, quorum æterna iudicia ſunt. Habet enim plurimum ſui põderis fides, & [a] alligata voluntatio ſacro ſtili, admonitione non indiget. Hæc à me tibi ſemel non ſcripta ſunt. Nec tamen deſeris inueteratam querelam. Quid ſi præſtat longum tacere? Non vides oracula olim locuta deſiiſſe, nec vllas in antro Cumano litteras legi, nec Dodonam loqui frondibus, nec de ſpiraculis Delphicis vllum carmen audiri? Patere igitur vt homullus Promethei manu factus mandare ceſſem papyro, quæ dudum in vatum foliis non leguntur. Nolo tamen denunciatum mihi à me ſilentium ſuſpiceris. Tenebo in ſcribendo tantam menſuram temporis, quantum inter nos locis abſumus. Tu quoque [b] impatientiam vince ratione, quæ non ſinit vt tibi quotidie litteræ meæ in vicinia Rheni poſito à noſtro Albula deferantur.

a v.c. allegata.

b *Sic emendo. Nam v.c. habet*, impactẽtiam.

Ad Protadium. 34.

MAgni ſunt quidem fructus, quos de litteris tuis capio. Sed fiunt vberiores, dum communium fratrũ manus tranſeunt. Singuli enim ſcriptis tuis de ſuo aliquid adponunt. Tibi igitur acceptum fero, quicquid ex omnium ore conquiro. Sed rurſus expende quanto labore reſpondeam tot ingeniorum ſublimium varietati. Nam pares eſtis, nec tamen ſimiles. Ergo non minorem mihi rependenda afferunt difficultatem, quàm accepta dulcedinem. Hanc omnibus humanis gaudiis legem natura dixit, vt curæ voluptatem ſequantur. Natę ſoboles primo parentes die hilarant: mox pij metus breuem gratiam fugant. Honor in exordiis lætus eſt: dehinc animos laborum æſtus ingreditur. Longum fiat, ſi pergam ſimilia contexere. Etiam ad ea mihi deuertendum eſt, quæ fas ſit de tanto viro dicere. Temerè iuraſti. Mandari enim perituræ chartę epiſtolas [c] quereris, & allegaſti ſacramento enorme iudicium. Itáne de me ludos facis, vt quæ apud te incurioſiùs loquor, in ſtili caudice, aut tilice pugillares cenſeas transferenda, ne [d] facilè ſenectus papyri ſcripta corrumpat. Et Marciorum quidem vatum diuinatio caducis corticibus inculcata eſt. Monitus Cumanos lintea

Vide notas.

c *Sic lego, nõ verò*, querelis. *quod tamẽ eſt in v.c.*

d *al.* facilis.

lintea texta ſumpſerunt: tu etiam ſericis voluminibus Achemenio more infundi litteras meas præcipis. Magna ſunt auctoritatis tuæ pondera, nec poſſum gratioſum putare, quod tu iuratus allegas: ſed dum me rurſus inſpicio, labaſcit fides, & refragatur teſtimonio conſcientia. Ita quod credibile perſona iudicis facit, diffidentia reſpuit audientis. Tu igitur ſolus ambigua ſubmouebis, ſi amorem tuum poſthac parciùs loqui de laudibus meis iuſſeris.

Ad Mineruium. 35.

OBrepſiſti verecundiæ meæ vt prior ſcriberes: vadatum me tibi hoc munere velim credas. Sed non fero, vt ædes quodammodo amicitiæ noſtræ nouus ſalutator adiſſe videaris. Iamdudum virtutes tuas pares fratribus in pectoris mei poſſeſſionem recipi. Creuiſti etiam pro parte legitima paternæ in me familiaritatis ſucceſſione: licet ſingulis vobis ſoliditas mei amoris acceſſerit. Quæ bona animi, [a] etſi ſpargi in plures putantur, vnicuique tamen plena & indiuiſa proficiunt. Præterea cùm palatinæ eloquentiæ [b] militarem, porrexi amicitiæ tuæ dexteram. Quare tot tantiſque pignoribus annexi, non æſtimemus de epiſtolarum tyrocinio charitatis ætatem. Nam vt animus celerior eſt [c] litteris, ita prius fuit amare quàm ſcribere.

Hæc ex v. c. addidi.

a *Lib. Pith.* etſi ſparſim plures habere put.

b *v. c.* militares.

c *v. c.* litteras.

Ad Mineruium. 36.

POſtquam te Mediolanum veniſſe aſſeueratio commeantium palàm fecit, ſperaui de proximo litteras tuas: ſed vbi eluſa eſt expectatio mea. Nec ſucceſſit vllum ſpei precium, præſumptum de te officium meo operi vindicaui. Auxit præterea ſcribendi cauſam vir ſpectabilis frater meus Baſſus, qui pauliſper auulſus à nobis tranſponi antè in pectus tuum debuit. Adieci alteram paginam reddendam germano tuo, cùm tibi ſors in patriam reditum ſecundauerit. Aſperſerat nos ille iamdudum facundiæ ſuæ floribus, & ſibi Galliarum priſca monumenta iuuando ocio exſcribēda mandauerat. Optato accidit, vt ei per te vtrumque reddatur, honor epiſtolæ meæ & expetitæ fructus hiſtoriæ.

Ad Mineruium. 37.

PAulus amicus meus iamdiu ærario ſacro militat: ſed non pro gradu militię ſpectandus tibi. Nam probitate morum ſuorum mediocritatem vincit officij. Nec deſpexeris hominem, ſi numerum eius ſtipendiorum examines. Sed tardiores habet proceſſus verecundia, quæ facit vt intra merita honoris ſui hæreat. Nunc

O

tamen pœnitet longum ſtetiſſe. tuo enim iudicio reſeruatus eſt, ſub quo emergere maximum moræ precium eſt. Cùm igitur illi vitæ integritas, militiæ ætas ſuffragium ferat, dignum eſt vt ad debitos fructus me precatore, te auctore perueniat.

Ad Mineruium. 38.

[a] v. c. genus ei.

GAudentius amicus meus in gremium patrocinij tui confugit, vir omnibus in rebus amari dignus. [a] genus eius ſenatorium eſt, mens & modeſtia origine ſua ac ſtirpe nobilior. Si fuco gratiæ infectum teſtimonium meum non putas, ſuſcipe diligendum. longa obſequiorum eius inſpectio faciet, vt me iudices minora dixiſſe. Vale.

Ad Mineruium. 39.

[b] v. c. probetur.

AMa Flauianum dominum & filium meum, quantum me velle interpretaris: & ſi fieri poteſt, certamen mecum de amore eius ingredere. Gaudebo ſi viceris. Sed hoc mihi tũc [b] probabitur, quum & ipſe te colere ſupra menſuram diligentiæ meæ cœperit. Nam ſi amicitia de mutuis conſtat officiis, facile erit vt ex illius animo tuum metiar. Vale.

Ad Mineruium. 40.

[c] v. c. innocẽtium. *Liber Scotti*, innocentiæ caritas.

[d] *Sic v. c. excuſi libri habent*, contuleris, abſol. f. m. q. a. i. ſ. b. tuæ fideliter perſoluit.

SI conſideres quanta ſit [c] innocentiæ raritas, amabis Deſideriũ filium meum, in paucorum electione numerandum. De quo non falli iudicium meum ſtatues, cùm in examen tuum venerit. Interim quæſo, vt illi per me amicitiæ tuæ ſacrarium recludatur, & præſtes auram benignam cauſarum ſuarum iuſta narranti: ſi quid in eum benè [d] conſulueris, abſoluetur fides mea, quæ apud illum ſpem beneficentiæ tuæ in ſe recepit. Vale.

Ad Mineruium. 41.

[e] v. c. Ambo ipſi acceptũ feram', quod.

IN abſoluendo Ruſtico noſtro votum tibi detuli: opem filius meus Cæcilianus exhibuit. non eſt igitur meæ verecundiæ rapere gratiam laboris alieni. [e] Ambo illi referamus acceptũ, quod agi cura tua præcepit, exſequi mea valetudo non potuit.

Ad Mineruium. 42.

SCio quid de me ſentias: ſed cert' iudicij tui non recuſo laudari. Æmulare certè quòd te tacit' admiror, quia plus habet põderis tecta veneratio. Relinquamus verborum blanditias nouis inter ſe amicis. Illos iuuent alterna præconia vſque ad fidem fœderis. Noſtra caritas abdito pectorum recondatur. ipſa habitatio cordis in operto eſt. Inde me tua cura reſpiciat. Sed non eſt meũ

formam ſcribendis litteris dare. Illud tantùm cogites volo: cùm ſis ad prædicãdum liberaliſſimus, parum mihi videri poſſe quòd à te laudor, niſi amplius obliger. Præterea ſcire poſtulo, cur ſeruata in præmiſſis nominibus noſtris vetuſtas defuerit litterarum contextioni. Iuuet alios titulo ſublimitatis attolli. Ego magnificentiæ appellationem recuſo: niſi fortè me improbum putas, quòd honori tuo eadem delenimenta non defero. Amor fictus in illa verba ſummittitur. Amicitiæ cultus ingenuus eſt. Alba velamina, non ſegmentati amictus, fidem veſtianr. Quo mihi altus reuerentiæ gradus? Amari à fratre malo quàm ſuſpici.

* Ad Mineruium. 43.

EVſebius familiaris meus eſt, idem vetus priuati miles ærarij, diu morbo obſtante obſequio tuo defuit. Orandus mihi es, ne inter reſides annotetur. ſed impetratio veniæ non manebit, niſi illi aliquid beneficij propitiatus adieceris. Quæſo igitur flagitandis per Hetruriam debitis publicis ſollicitudinem nauare iubeatur: [a] vt longę abſentię culpam commendatione aliqua laboris amoueat.

[a] Sic leg. puto. Nã in v. c. eſt, vt longè abſente.

* Ad Mineruium. 44.

SEmper quidem mihi ſalutatio à te profecta gaudium creat; ſed ea præcipuè, quæ familiaribus apportanda committitur. adiicit enim ſcriptis digna quæſitu, & de te tradit auditui, ſi quid defuit lectioni. Velut nunc Sebaſtius veſter poſt epiſtolam tuam redditam, tanquam mihi [b] ſatin ex voto ageres, ſciſcitanti, imaginem præſentiæ tuæ præſtitit. Idem nunc de ocio meo quæ velis noſſe narrabit. nam me in ſiluis Laurentibus [c] concinatus eſt rurali inhęrentem quieti. Quid enim magis affectandum eſt mihi ſartienti nonnumquam valetudinem, [d] declinãti ſæpe turbas, litterarum ſemper innocentiam diligenti?

[b] Credo leg. ſat non ex voto.

[c] Forte leg. cõnactus eſt.

[d] In v. c. declinati.

* Ad Mineruium. 45.

FIducia mihi ſtili atque ingenij mei nulla eſt. Sed tua benignitas auſus meos prouocat. Miſi igitur ad eruditionem tuã duas oratiunculas noſtras: quarum vna ad Polybij filium pertinens ex [e] recenti negotio nata eſt: altera dudum, cùm res in ſenatu agitaretur, à me parata, nunc opere largiore aucta proceſſit. huic argumentũ eſt repudiata cenſura, quã tunc totius Senatus fugauit auctoritas. Nolo mireris grauiſſimum ordinẽ magiſteriũ reſpuiſſe. In oratiõe noſtra nõ leues cauſas euitatę hui⁹ poteſtatis inuenies.

[e] Sic putaui leg. nã in v. c. eſt, exercenti.

Cõfer epiſt. 29. 3. hoc lib.

* *Ad Mineruium.* 46.

SPectatæ frugis viros apud te debeo commendare: quia præcipuum munus eſt, vt tuis amicitiis inſerantur. Suſcipe igitur: quæſo te, ortu & moribus facilè ſummates, eóſque in primore congreſſu penetrali familiaritate dignare. Legationem illis Cãpanorum Prouincialium commune mandauit. Habent [a] oranda iuſtitia negotium. Perſonas meas cura commẽdat. Aduertis duas eſſe cauſas exercendæ in eos benignitatis, pro quibus publica æquitas petitionum priuatim, non gratioſus laudator interuenit.

a *Fortè*, orandæ iuſtitiæ.

Ad Mineruium. 47.

VIdi Romæ Protadium filium noſtrum, cuius commendationi nihil ex familiæ veſtræ ornamentis præter litteras tuas defuit. Quas cùm deſideraſſem, de citeriore Gallia imperatum ſibi à ſocero iter te procul agente reſpondit: excuſationem iuuenis non libenter accepi, cetera morum probaui. Satis eſt hoc auribus patris, cui nolo in me gratioſum videri teſtimonium breuis experimenti. Simul vereor, ne quid amori tuo in filium derogem, quem non decet iuuari apud te per ſuffragium conciliationis alienæ. Vale.

* *Ad Mineruium.* 48.

LItteras nonnulla humanitate præſtamus. Has autem domino & fratri meo Baſſo, qui ſororis fortunas tuetur, iuſto amore detulimus. Petitio ab æquitate non diſcrepat, quin potius iure, atque iuſtitiæ munitur auxiliis. Nam rebellem ſeruum ſibi poſcit adduci, ad cuius inueſtigationem nec præcepti cęleſtis auctoritas, nec Africani Comitis vigor potuit peruenire. Siquidem facti audacis conſcius imminentem pœnam latebrarum vitauit effugio. Cùm igitur ſuper eius facto atque nequitia ad te vir laudabilis Africæ Comes ſcriptũ publicum dediſſe dicatur, erit iuſtitiæ & benignitatis tuæ in fauorem cum eo diuinum prouocare iudicium: ne vlterius innocens domus commentis feralibus vilis mãcipij terreatur.

Ad Mineruium. 49.

ET quum Mediolani degerem, cultum circa te ſalutationis exercui, & nunc remenſo itinere, operam ſedulam litterario muneri non negaui, [b] vt gratiam reſcriptionis petam. Illam planè

b v. c. vt gratiam repetam ſcriptionis.

mihi non mea efflagitatio,ſed tua affectio pollicetur. Exigant ſtili vicem qui animi non merentur. Vale.

Ad Florentinum. 50.

DIu ſuper aduentu fratris [a] poſtulatum à me indicium diſtuliſti, credo vt nos ſalutationis honorificentia præueniret. Agnoſco relligioſa colludia,nec tamen cedo,& vltro in certamē ſcriptorum familiarium ſolus duos aduoco.Ocium tibi,inquies, hanc officiorum fiduciam præſtat.Quid quod te magis Quæſturæ honos,& condendarum ſanctionum vſus excoluit? Cum illo autem mihi priuatæ vitæ conditio communis eſt. atque vtinam boni Principis circumſpectio,ipſius quoque operā ſibi [b] venderet. Fiet vt ambo deuotione placeatis,ſi circa me litteris ambo certetis. Vale.

a *v.c.* poſtulatus.

b *al.* vendicet ſciēdam, ambo.

Ad Florentinum. 51.

OMnia te facere ad ſalutem Flauiani, viri ornatiſſimi pignoris mei,rebus experior. Hinc mihi ſpes oritur,atque animus aſſurgit,poſſe eius cetera incommoda te medio ſanari. Adeptus enim Diui Principis lenitate quæ magna ſunt: vno adhuc,ita dixerim,infortunij modo ſtrangulatur; quòd homo tenuis,& nunc labe patrimonij grauiter exhauſtus,paterni ſalarij æſtimationem iubetur exſoluere. Ergo per te ac tui ſimiles [c] amoliri poſtulat imminentem ruinam. Nec res impetratione difficilis eſt. Nam quòd pleriſque ſua inuidia laborantibus imperialis remiſit humanitas,id patris nomine poſtulatum,multo æquior venia relaxabit. Proficiet iſta conceſſio etiam temporum gloriæ,ſi quod beneficiis Principis deerat,pius ſucceſſor adiecerit. Vale.

Vide notas.

c *v. c.* amoliri oportet.

Confer hanc epiſt. cū epi.3. & 19. h. huc lib.

* *Ad Florentinum.* 52.

VErbis nequeo complecti quot gaudia mihi pariter dies vnꝰ inuexerit. Agnoſcis credo cauſam,cuius auctor fuiſti. Nam geminas fratrum communium litteras in cumulum extulit tertius honor ſcriptorum tuorum. Itaque vt rerum bonarum difficilis electio eſt,pauliſper hæſi,cùm primam paginam recēſerem, tantùm apud me erat deſiderium ſingularum. Mox omnes arguto legendi tranſitu percucurri,ne inſpectionem reſidentis morarer. Nec ſemel legiſſe ſuffecit: vt ſi quid auiditas prima perſtrinxerat,inculcaret iteratio. Erat in verbis vniuſcuiuſque varius elocutionum lepos,quo ſolo litteræ diſcrepabant. Nā omnes mens vna dictauerat.Poſſem bona fide adijcere maiora. Sed tuę

O iij

aures licèt fratrum laudibus gaudeant,communionē tamen glorioſi teſtimonij per verecundiam non ferunt. Reſtat vt tibi reditum meum ſub quadam Curiæ inuitatione poſcenti pauca reſpondeam. Ad Idus Nouembres,modò euentus adiuuet deſtinata,recurrere ad conſpectum veſtrum paramus. Si promiſſi dies ſerus videtur,legationem Senatus per me nolo differri: quæ dudum viris illuſtribus credita & inſtructa mandaris, neque perſonarum,neque petitionum requirit adiectionem. Decet igitur ſtare diſpoſitis:nec fas eſt exemplo proximæ diſſenſionis per nouos tractatus confirmata ſubuerti. Hęc ante me,vt ſcribis,vidiſti. quo magis placitis inherendum eſt,quæ mihi commendat auctoritas tua,tibi noſter aſſenſus.

* *Ad Florentinum.* 53.

IN eum militiæ gradum labore veniſti,vt Benedicti amici mei fortunam debeas adiuuare, quem nulli obnoxium crimini fortunæ iniquitas loco depulit,honore priuauit. Huic ad promerendum fauorem tuum non ſolum ipſius probitas, ſed etiam cōmendatio mea aditum debet aperire. Credo enim tanti apud te litteras meas eſſe momenti,vt effectum ſperare fas fuerit,etiamſi ardua poſtularem. Quod ideo commemorandum putaui, vt intelligas,vel quid de animo tuo atque amicitia ſentiamus,vel quātum prodeſſe huic debeat vel adeſſe iuſtitia.

Ad Florentinum. 54.

PVrgas quòd hucvſque ſiluiſti. Communis hæc culpa eſt. Nam me quoque ab tali commercio diu infirma valetudo reuocauit. Inhorruiſſe te puto,poſtquam de me cognitu amara legiſti. Redi in habitum animi lætiorem. Diis quippe auctoribus ſanitatem refoui. Facilis igitur litterariç ceſſationis vtrique venia ſit. Ambo nobis inuicem remittamus,quod ambo deliquimus. Sed quid mihi inſuſurras frugis Africanæ tenues cōmeatus? Abſit,vt præſens annus imitetur fortunā ſuperiorū. Intercludet, vt ſpero, *vide hic notas.* prouidentia triſtes caſuum vias,ſacris auribus edocendis, & caſtigatione Iudicum, quos alimentaria ſpectat inuectio. Non ſpem dies obſtruit. Nam mare adhuc iuſtis curſibus patet, & nondum in hyemem præcipitat autumnus. Placet tamen inter hæc quod inæſtuas,& pio metu anteuertis neceſſitatem. Remunerabitur curam tuam melior euentus; & laudis tuæ fructus efficiet, vt tibi *a vs. poſtea.* ſit dulce [a] poſthac timuiſſe.

* *Ad Florentinum.* 55.

ACtam mihi à te ſalutem pari honore compenſo. Vellem vtrique noſtrum ſæpe alternandi ſtili vſus veniret. Sed quia hoc longinqua non ſinunt cadere pro voto communi, patientiæ ratio ſatisfaciat. Debet certè prompta eſſe inter nos moræ mutuæ venia. Non eadem tamen facilitate purgabo: quòd filij noſtri Mineruij nuptias aliorum potiùs relatu quàm litteris tuis cõperi. An veritus es ne à te nomiſma auro cuſum deſiderarem? Potui iacturam ſportulæ tacere. An verecundia mea negationem gaudij amore neſcit agnoſcere? Et tamẽ tum ſub placito in meos animos ſpondeo remiſſionem tibi huius offenſionis, cùm de nepote ſuſcepto anteueneris ſcripto nunciorum celeritatem. *Vide notas.*

Epiſtola. 56.

PLures de Dalmatia vrſos, in apparatum domus noſtræ proximè venturos, fides aſſerit nunciorum: quorum ſubuectionẽ diſpoſitis vehiculis etiam priuatim debemus inſtruere. Huius mihi curæ abſolutionem, diligentia tua vſu explorata promittit. Quæſo igitur, vt hanc prouinciam confeſtim ineundam, capitali exitio lachrymíſque cunctorum expies. Nunc interlucet homo homini.[a] Senatus ius antiquum obtinet. Viuere libet, natum eſſe non pœnitet, & ad ſalutem ſpectant omnia. Nulli à paupertate diſcrimen eſt. Reſpublica in vetuſtatem ſe recepit, & decrepitos mutauere animos, poſtquam vos ad virtutem verba feciſtis. Pari vigilia [b] proſpectum videmus, vt res annionaria ſatietati vrbanæ liberaliùs ingeratur. Flandæ monetæ nequitiam decoquat larga purgatio. Nullo iam prouincialis auri incremẽto trutinam ſpectator inclinat. Mille alia, quæ ſi perſequi vellem, veſtræ [c] gloriæ memor, meæ infantiæ immemor deprehenderer. O iuuenis Auguſte, Romani nominis decus vehatur curru eloquij ſui: nos in agendis gratiis humiles reptamus, ſocco magis idonei quàm cothurno, poſtquam facundia res eſſe cœpit imperij. Nam quod ſciam, Muſis in Palatio [d] loca lautiora tu dediſti. Quæ res proſperè vortat vobis veſtræque pietati. Quia faſtus & ocium, fortunæ grandioris vitia ſunt.[e] Nihil me moramini: mihi ſatis eſt cùm valetis. Fœlicitas voto publico exorata præſtabit, vt clemẽtiæ veſtræ, quanta eſt reddendi voluntas, tanta ſuppetat copia negociis promouendis. Vale.

Hæc epiſtola extat in vulgatis libris: ſed non reppers in v. c. aliquot ſanè locis mihi ſuſpecta eſt.

a *Libr Pith.* Senatus antiquum obtinet robur.

b *Liber Scot.* profectum.

c *al.* gratiæ

d *Libr. Pith.* loca aptiora.

e *Lib. Pith.* Nihil moremini. Mihi ſalus eſt cùm val.

Ad commune fratrib. Mineruio, Protadio, Florentino. 57.

ET veſtra concordia, & mea per hos dies imbecillitas, facit, vt vos vnius paginæ ſalutatione coniungam. Erit hoc autem probabile pro conſortio veſtri amoris, aut ignoſcendum pro ſtatu mei temporis. Æſtimabitis autem virium noſtrarum fatigationem, cùm vos in ſubſcriptione iſtius epiſtolæ [a] vicaria manus mouerit. Ad hoc filij noſtri [b] Themeſij pia ad larem fratrémque properatio magis [c] conteſtationem de me ſolemnis officij, quàm ſatisfactionem deſiderauit. Res poſtulat, vt ſalute præfata florentiſſimæ indoli eius teſtimonium feram. Sed vereor ne oſtentare operam meam videar, quæ plus iuueni bonarum artium contuliſſet, niſi fraternus caſus fregiſſet [d] curſus duorum. Hoc tamen ſynceriſſima fide dixerim, minutam quidem de altero parentis eius fœlicitatem, ſed poſſe iſtum ſuorum gaudio pro vtroque ſufficere. Vale.

a *v.c.* precaria.
b *v. c.* Nemeſi ipſa ad.
c *al.* oſtentationem.
d *Lib. Pith.* curſum auorum.

Mineruio, Protadio, Florentino. 58.

RElegite viam diſſimulati hactenus moris, me officiorum familiarium præſule, qui prior rupi commune delictum. Nec pro numero veſtro epiſtolas peto, quamuis hanc mihi viciſſitudinem ſingulorum amor debeat. Magnæ indulgẽtiæ res eſt, vt fœnus, quod vobis ſolus exhibeo, alterna remuneratione ſoluatis.

Mineruio, Protadio, Florentino. 59.

ANnuos gaudij fructus ex litteris tuis capio. Hunc reditum mihi has opes pendit Hiſpania. Itaque vbi pulſa hyeme pateſcunt nauium viæ, paginas tuas commendo ventis, quas mihi iſte annus frequentes quidem, ſeras tamen reddidit. Nam decedebat autumnus, cùm homines tui [e] Tyberina tetigerũt. Hinc factum eſt vt hærerent apud nos defectu nauigationis. Suadeo igitur eorum moras pro tua iuſtitia boni conſulas. Quamuis prius [f] nomini meo venia poſcenda ſit, qui de Curulibus equis quatuor datum mihi à te ius electionis omiſerim. Velim credas hanc abſtinentiam non [g] eſſe faſtidij. Sed quia nullum eorum iugo alacrem, vel dorſo mitem probaui: optio meritis non excitata ceſſauit frenata. Opportunum videtur diligentiam tuam precibus ambire, vt in Prætoriam filij mei functionem [h] auſu & curſu nobiles præparẽtur. [i] Gemina antehac editionis claritudine in os hominum venimus. Satisfaciendũ videtur expectationi quæ

e *al.* Tyberim attigerũt: *vt libr. Pith.*
f *v.c.* nomine.
g *v.c.* fuiſſe.
h *v.c.* viſu & curſu.
i *v.c.* gemina à te edit.

quæ creuit exemplis. quare amori tuo laudis noſtræ commendo cauſam, quæ pauliſper cenſuram vitæ tuæ, grauitatémque animi ad populares [a] auras debet inflectere: domo precium apportabitur, tuo arbitratu nobilium quadrigarum dominis inferendum. Solam de amicitia tua electionis curã [b] requiro. Factu facile eſt, cùm ſit diues equini pecoris Hiſpania, & magnus gregum numerus copiam præſtet examini. Vale.

a *v.c.* aureis *vt eſt etiam in lib. Scotti.*
b *Al.* exquiram.

Ad Eufraſium. 60.

SVm quidem ſermonis tui nimius flagitator. Silentij interualla non arguo, ſed ſuſpicor aliquid amicitiæ noſtræ ex alloquij raritate decedere: [c] quum ſciam in pectoribus ſedem eſſe relligionis, leuamen deſiderij ex ore proficiſci. Priores igitur litteræ meæ magis deſiderium ſermonis tui quàm caſtigationem taciturnitatis habuerunt: & ideo elaborandum tibi non eſt, vt mihi amoris tui fidem facias: nam tui animi de meo ſumo iudiciũ. Siquidem nullus verior [d] eſt imitator alieni amoris, quàm qui de ſuo ſumit exemplum. His [e] itaque poſitis, quia in re aperta piget eſſe prolixum, deſignatum tibi ad vrbanam Præturam filium meum nuncio. Intelligis quid ſibi hoc indicium velit. [f] Quadrigarum Curulium nobilitas præparanda eſt. Nos precium proxima ab hinc æſtate mittemus. ſed iam neceſſitatem præcurrat electio: multum enim valet eiuſmodi in rebus [g] largior diligentia. Quapropter accingere, vt Quæſtoriam quondam filij mei magnificẽtiam, cui per te illuſtris fama quæſita eſt, ſecundus eiuſdem ſuperet magiſtratus. Verus quippe & maximus laudis profectus eſt, quoties ſequentibus priora vincuntur.

c *v.c.* qui ſcit.
d *Lib. Pith.* eſt æſtimator alieni.
e *v.c.* ita.
f *Lib. Pith.* quadrigarũ curruũ nobil. *vide notas ad ep. 23 lib. 9.*
g *v.c.* lõgior.

Ad Eufraſium. 61.

PRæturam filij mei, ſi fors dictum iuuet, proximus annus exſpectat. Equorum mihi Curulium nobilitas curanda eſt, tibi præparanda: vt expectationi populi Romani mea pecunia tua cura reſpondeat. hoc me crebris litteris poſtulaſſe meminiſti. Nunc mihi admonitionis verba non repetitionis adhibẽda ſunt: & tamen cùm voluntas in nos tua ambitum non requirat, in tãtum me votiua ſollicitant, vt anxias auribus tuis tanquam nouus petitor ingeram preces. Vincẽda eſt enim fama exemplorũ meorum, quæ poſt Conſularem munificentiam domus noſtræ, & filij mei Quæſtoriam functionẽ, nihil de nobis mediocre promittit. Hæc igitur petitionis meæ ſumma eſt, vt me diligentia tua præ-

teritæ gloriæ parem faciam. Precia pro tua æquitate numeranda: familiares mei incunctanter exſoluēt. Tui beneficij erit, vt quicquid ad Curule certamen generoſum gignit Hiſpania, [a] vel domo præbeas, vel de aliorum gregibus excerpas. Non vereor inter hæc, ne me appetentem plebeiæ laudis exiſtimes. Scis enim pro tua ſapientia, magnæ vrbis magiſtratibus anguſtos animos non conuenire. hoc etiam Tullius tuus [b] præcepit, luxum in priuatis negociis arguēs, in publicis [c] magnificentiam probans. Quare ex ſummis opibus iuua Romani animi ſpecioſum calorem, venturus in partem popularis mecum fauoris, ſi nobis ex tuo beneficio celebrior fama prouenerit.

a *Al.* vel de domo.

b v.c. præcipit.

c *Al.* munificentiam.

* Ad *Eufraſium.* 62.

EVentus tuus in vtramuis aurem ſomnū capeſſat. Nihil enim magna dignitas à paupere petit. Sit fortaſſe pleriſque ipſa inopia grauis: habet tamen alieni oneris exceptionem. Adiice, ſi placet, ſecuritati eius Sacerdotij priuilegium, & vnius hominis munimenta multiplica. Mihi videtur validior eſſe omnibus vacationis remediis exhauſta fortuna. Sed velim noueris quæſitores glebæ Senatoriæ protinus affuturos, ſperādámque Tuentij veniam pleniorem, ſi fidem paupertatis eius exploratio ratam fecerit. Interea tutus prioribus geſtis agit liberum. Nihil nouabitur prǽilluſtris viri Felicis pro illo iudicatione, modò vt allegatas dudū Senatoris anguſtias aſtruat examinis diligentia. Nunc mihi tu amice obiurgandus es, qui cùm vicina itinera perſtrinxeris, flectere ad nos habenas longum putaſti. Dediſſet Hiſpania Romę poſito moræ veniam. Nouit enim ſummittere deſideria ſua cunctarum prouinciarum parenti. Nec ita auara eſt, vt nobis propria bona nollit oſtendere. Quare fraudati gratia tua, ſecundos amicitiæ fructus ſedulò poſtulamus; vt quoties ſors copiam dederit, legamus ſaltim quæ videre maluimus.

Vide hic notas.

De gleba Senatoria Cuiac. ad l. 2. C. de Prætorib.

* Ad *Eufraſium.* 63.

ET amicitia noſtra in ore multorum eſt, & laus equorum tuorum. Hinc ſit, vt ſuæ quiſque patriæ magiſtratus meæ commendationis opem poſtulet, gregum tuorum famam ſecutus. Ea propter ſummates Antiochēſium miſſi ad mercādas quadrigas, iuuari apud te ſermonis noſtri conciliatione voluerunt. Annue verò longum peregrinatis, & electionis & precij iuſtam benignitatem; quæ homines opinionem blandam ſecutos de tuo ſtudio,

Vide hic notas.

meóque merito verum ſperaſſe confirmet.

Ad Eufraſium. 64.

FAs ſit dicere. Equorum Curulium copia nō egemus, ſed incitat nos Præturæ mora, ad deſiderium muneris largioris. Si ergo dulcis eſt(vt ſolet) mandati mei exſecutio, quatuor ex [a] grege Laudicianorum quadrigas, quas tua defloret electio, ad me opto deduci, cumprimùm mare nauigatio verna patefecerit. Ego precium, quod ſignauerint litteræ tuæ, in remiſſis remunerabo. Quanquam hoc ſpondere non debui, quia fides amicitiæ ſyngrapham non requirit. Credo mireris cur non potius de gregibus tuis poſtulem, qui potiſſimos Iberorum nobilitate præuertunt. Faſtidium patitur vniformis ſpectaculi ciuitas noſtra, cuius ſatietas mihi varietate vincenda eſt. Tuæ modò diligentiæ ſit adhibere iudicium, & ex alienis ſtabulis æquare laudem tuorum. Nā cùm res amici agitur, hos quoque proprios debes putare, quos eligis. Vale.

[a] *Sic recti v.c. vulgo leg.* grege laudatorū quadrigas q. t. expleret electio.

Ad Eufraſium. 65.

NEmo vmquam peruector epiſtolarum tuarum vacuus eiuſdem muneris mei ad te reuertit: tu tamen infrequentiam nobis vitiò ducis, & vltro curam tuæ aſſiduitatis exprobras. Facis hoc amantium more, apud quos officiorum talium, etiam cùm redundant, ſitis magna eſt. nec tantùm epiſtolas meas poſcis, ſed oratiunculas quoque noſtras nondum tibi editas deferri in manus tuas præcipis: quæ res videtur oſtendere quid iudicij habeas de his quas antè ſumpſiſti. Nullum enim deſiderium ad ſecunda progreditur, ſi priora diſpliceant. Miſi igitur ex recentioribus oratiunculis meis quinque numero, quarum mihi iam fiduciam fecit publicus fauor. Sed poſt ſententiam de illis gentis togatæ, adhuc expectatione iudicij tui pendeo, quod volo iuratus [b] emittas. quia conuenit vinciri ſacramento fidem, ſi quando amicitia in ſuſpicionem venit gratiæ.

[b] *Sic ſcripſi, licet v.c. habeat,* omittas.

Eufraſio. 66.

IAmdudū in expectatione litterarū tuarū incertus animi quid ſibi vellet tā lōga ceſſatio: ſed vbi cōpotem deſiderati muneris reddidiſti, cura vertit in gaudiū. & reuera ita natura partum eſt, vt expetiti diu officij querela decedat, ſi potiamur optato. Ergo magno impēſu gratulor integratū mihi eſſe pign⁹ religionis. Præſtabis ne huius opinionis fruſtra ſim, cùm diligentiam mei cōtinuo amore ſeruaueris.

Ad Euſignium. 67.

a *Vulgo*, video. b *v. c.* ſi tamē tibi.

[a] Videro quid iuſtitia temporum, quid cauſæ noſtræ bonitas, quid cura tua, [b] ſi tam tibi cordi ſum, efficere poſſit. Ego in fratre meo Euſebio, cùm votum ſeruatæ circa nos moderationis amplector, eiúſque probitatem mente colo, ſermone commēdo. Et ille licet boni propoſiti præmium non requirat, nos tamen ei honeſtam vicem de tua amicitia optamus exſoluere. [c] Facies rē tam meæ volūtati acceptam, quàm tuis moribus conſentaneam, ſi aduertat vir prudentiſſimus, [d] quicquid benefecit, id ſe omniū bonorum gratiæ detuliſſe.

c *v. c.* feceris.

d *v. c.* quicquid mihi tribuit, id.

Ad Euſignium. 68.

Confer epiſt. 73. 5. *lib.* 3.

Et temporum clementiæ congruit, & ſancto ingenio familiare eſt, opis indigos ſubleuare. Hinc mihi fiducia oborta eſt pro fratre noſtro Stemmatio ſupplicandi, cui dudum cuncta dempſit [e] inuidia fortunæ, pręter amorem bonorum. Neq; enim poteſt ambigi, quid de optimo quoque mereatur, qui nuper à principibus inuictis, ne per indulgentiam liberaretur, accitus eſt: magíſque honore quàm venia fatum triſte mutauit: nec tam ereptus eſt quàm deſideratus. Vnde ſpes certa eſt, etiam Principem noſtrum lenitate venerabilem, iuſti parentis & pij fratris exemplo, [f] ſupplementa meliora fortunę eius daturum, ſi modò veſtra inſinuatio iuuet exhauſti Senatoris oratum. Duo enim factu facilia, ſed ad gloriam præſtantis magna depoſcit: reddi Curiæ teſtimonio ſacro, & recuperatione modici argenti ab inopia vindicari. Hæc vt fauor tuus aliorúmque optimatum te hortante promoueat, intereſt boni ſęculi tui. Laudem perennē pia facta [g] cōciliant.

e *Lib. Pith.* inuida fortuna.

f *Lib. Pith.* ſubleuamēta.

g *Vulgo*, concilient.

Ad Euſignium. 69.

Etiam ſi petitio domeſtica & amica ceſſaret, publicus vigor iuſto deſiderio deeſſe non poſſet. Quid enim tam familiare iuſtitiæ, quàm vt circumſcriptor clariſſimæ & laudabilis fœminę parentis meæ, aſtutiæ ſuæ priuetur effectu, ne commodis illudat alienis Prouincialium patronorum fretus auxilio? Quorum impotentia compulit, vt matrona litium fugitans, ad iudicium Prętoriani culminis conuolaret. Res autem qua de agitur, eiuſmodi eſt. Ante pauciſſimos menſes ille à parente mea horrea in Aquileienſi ſita, & CF. propter longinquitatem itineris incognita tenui mercede conduxit, atque in his ita abuſus eſt, vt paruo

Vide his notas.

licet tempore, iſdem locis labem conſulto intuliſſe dicatur. Hũc vbi ſæpe conuenit, vt conductione decederet, contemptu hominis, & interuentu quorundam [a] frequenter eluſa eſt. Nunc opis indiga, geminum beneficium veſtri fauoris exoptat. Primò vt improbiſſimus inquilinus locorum intentione pellatur. Dehinc vt habita deterioratæ rei æſtimatione ſumptum iuſtæ inſtaurationis agnoſcat. Cùm igitur æqua poſcamus, credo confore vt vtilitatibus parentis meæ fauor veſter arrideat.

a al. ſæpe.

Ad Euſignium. 70.

BEnignè vt mos eſt tibi, recurſum noſtrum miſſo apparitore [b] iuuiſti: quem progreſſus ad Appennini ſuperiora dimiſi adiecto officio litterarum, vt gratiam meam, quam rebus ęquare nõ poſſum, ſaltem verborum honore compenſem. Quod ſupereſt itineris ſpero, præfata Dei venia, ſine labore peragendum. Minùs enim moleſta ſunt, quæ perueniendi ſpem proximam pollicentur.

b quidam leg. innuiſti, q̃ ič.

* *Ad Euſignium.* 71.

DIſcedenti mihi curam legare dignatus es amicitiæ congruẽtem: vt famæ atque actibus tuis accommoda non ſilerem. Cauſa igitur poſtulante fungor iniunctis. Video enim Baſilicæ pontiſque rationem rectè quidem Bonoſo Præſidiali viro eſſe mandatam: cui & vigilantia ſupereſt ad luminandas publicæ rationis ambages, & fides ad perſequenda quæ examen inuenerit. Sed vereor ne ludificationibus res iniuncta frigeſcat, obluctante eo quem ſocium diſcuſſionis accepit. Atque ideo clàm te eſſe nõ patior eo rem deduci, vt labes magna ſumptuum publicorũ ſtudio certaminis occulatur. Quid enim ſibi vult iſta coniunctio, in ea præſertim diſcuſſione, quæ ipſum quæſitorem videtur adſtringere? Quare huic tantùm parti adhibenda correctio eſt, & ad vnum quem ſponte delegeris, inquiſitionis ſumma referenda, adiectis veſtræ apparitionis auxiliis; quo minora officia fidem prębitorum vel [c] iniectorum cogantur aperire. Probabit exitus quantum Reip. tua cura proſpexerit; cùm cohibitis ſumptibus nouis, conſummationi operum ſatisfecerit ſumma reliquorum.

Coniunge epi. 74. J. libr. 5. Nam eiuſdem eſt argumenti.

c al. inuectorum.

* *Ad Euſignium.* 72.

SVmmo gaudio quotiens ſcribis afficior, & tum maximè cùm abeſt amaritudo querimoniæ. Nunc ſtilus tuus ab vſitata iucunditate diſſenſit. Arguebat enim falſò iniquitatem quandam

pignoris mei, cum quo tibi limitum nulla certatio eſt. Itaque litteras [a] contra ius amicitiæ ad eum miſſas repreſſi; ne amantem tui iuſtus dolor offenderet. Fuit autem matri eius cum procuratore tuo finalis in Sicilia quæſtio: quam diſceptatio nõ, vt ſcribis, Venuſti, ſed alterius Rectoris abſoluit. Ergo in vtraque perſona error ſuggerentis retectus eam pignoris mei exemit inuidiã. Aduertis ergo pro ſingulari verecundia tua, cui potiſſimum parti ſatisfactio debeatur. Et nihil de præſenti fortuna iſtius loquor, quæ ſcribẽtem debuit temperare. Adde quòd pecuniarias cauſas vſq; ad detrimentum amicitiarum non oportet [b] extendi. Sed quid hæc pluribus? Poſthac opto ſermonem tuum placidiorem mereri, & conſtantiam veteris erga me obſeruantiæ tuæ, porrecto etiã in meos amore [c] colligere.

[a] *Lib. Pith.* contrarias amicitiæ.

[b] *al.* expẽdi.

[c] *Sic puto leg. licet in v.c. ſit,* collegerem.

Ad Euſignium. 73.

FRequens vſus oſtendit, & clara animi tui monumenta teſtantur; exempla veræ amicitiæ de te eſſe capienda. Neque enim quiſquam conſtantiam firmiorem familiaribus [d] impendet officiis, in tanta præſertim publicarum mole curarum, quæ alterius [e] poſſit ſtudium hebetare, niſi obſtrepentes neceſſitates affectio fraterna ſuperaret. Quod ſolum igitur verecundiæ conuenit, cedo præſtantiſſimæ relligioni, méque imparem referendæ viciſſitudini [f] pudenter agnoſco. Nec vereor, ne diligentia tua tibi laude leteſcat: quin ſpero potius beneuolentiam tuam (ſi quid pleno poteſt adijci) largiorem.. quia bonis familiare eſt [g] ſtudia bona cumulare, quorum gratiam ſentiunt non perire. Vale.

[d] *v.c.* impẽdit.

[e] *v.c.* poſſet.

[f] *Al.* prudenter: *vt in lib. Pi.h.*

[g] *v.c.* ſtudia benigna cumulare.

* *Ad Euſignium.* 74.

FAcio quod ſuadet humanitas, vt amicitiæ tuæ viros bonæ frugis adiungam. Horum vnus eſt Felix honorabilis gradu, atque exercitatione militiæ. Cui ſi quid amoris impenderis, ad meam gratiam pertinebit.

* *Ad Euſignium.* 75.

MIrabar quid eſſet rei, quòd amicitiæ obſeruantiſſimus diu ſcribendis litteris abſtinebas. Sed epiſtolæ tuæ ſeries indicauit, quòd triſtium rerum index eſſe vitaueris, quas longiore ſilentio contineri, nec relligio familiaris, nec communis cauſa permiſit. Nam plerumque vtile eſt, in publicam proferre notitiã quod velis eſſe correctũ: vt denunciatione futuri periculi, ad cõſulendũ, cunctorũ cura moueatur. Magna igitur neceſſitate

a futuri anni inopiam proteſtatus es. Quid enim ſpei reliquum eſt,cùm prouinciis Africanis nec ad victum tenuem frugum tritura reſpôderit,& apportata ex aliis terris ſemina vicinus annus expectet? Iure igitur ad æternorum Principum prouidentiam Prouincialium ſollicitudo confugit. Interea dum maior ab illis ſalubritas petitur,humanitas tua foueat exhauſtos, & tanquam particeps doloris alieni perſuadeat laborantibus ſibi accidiſſe, quicquid prouinciæ pertulerunt. Ego valeo, quamuis animus æger bonum ſanitatis ignoret. Sed vt aliquid ſolaminis capiat, oro indulgentiùs ſcribas,& me ad reſpondendum exemplo tuæ aſſiduitatis inuites.

a *Lib. Pub. pro futuri anni.*

Q. AVRELII SYMMACHI EPISTOLARVM LIB. V.

EDITVS POST EIVS OBITVM à Q. filio Memmio Symmacho.

Ad Hierophantem. I.

RECTE valeo. Hoc enim ſcribendi debet eſſe principium,quod maximè expetunt vota lecturi. Æquè tibi ſuppetere optatum vigorem nimis gaudeo. nam me tali indicio nuper hilaraſti. Illud quoque in ſumma pono gratia,quòd te noſtri diligentiſſimũ familiaris ſtili frequens vſus oſtendit,cui rei laudem referre conſilium eſt, vt hoc inuitamento memoris animi ad perſeuerantiam prouoceris.

Eadem ferè epiſtola extat ſ. lib.3.epi.40.

Ad Hierophantem. 2.

OPulento me afficis bono, quotiens amicitiam noſtram ſalutis tuæ indicio muneraris. Deos igitur comprecor,vt te pro tanta in nos relligione fortunent. Viciſſitudini autem litterariæ parem diligentiam libenter impendo,vt ad officia promptiùs inciteris,cùm videas apud memorem ſcriptorum gratiam non perire.

Ad Hierophantem. 3.

SCriptum mihi tuum Probatius nuper exhibuit, atque ex eo mihi plurimum gratulationis acceſſit, quòd tibi pro voto omnia ſupereſſe cognoui. Id vt ſæpe facias, monere non debeo: quum ſpontanea officia ſtimulo exhortationis non oporteat incitari.

Ad Theodorum. 4.

a *al.* affirmatio.
b *v.c.* ſermone cel.
c *Hæc ex v.c.* addidi.

BOnorum frequens [a] aſtipulatio de ſanctis moribus tuis, in hoc me deſiderium prouocauit, vt amicitias tuas impatienter exoptẽ. Nam qui omniũ [b] ore celebrantur, & probitatis laude cõſpicui ſunt, incognitos quoſq; ad amorẽ propriꝗ familiaritatis inuitant. Ergo ſi hæc voluntatis meæ non aſpernaris indicia, repende quæſo colloquium; vt & facti mei confirmatione [c] delecter, quamuis mutuæ affectionis iam teneam ſponſionem.

Ad Theodorum. 5.

Vide notas.

d *Sic rectè v.c. legitur vulgò,* incuſationis.

SPectata eſt, vt arbitror, tibi amicitię meæ veritas. Hinc factum eſt, vt me in conſortium feſtorum tuorum Conſul adſcires. Præſtetur oro his litteris eadẽ fides, quæ nos euocatione dignos iudicauit. Diu inter deſiderium tui, & vnici mei curam dubius electionis pependi. Tuus honor ſuadebat profectionem, illius inſtitutio prætendebat obuias manus. Tãdem ſecutus ſum quod ipſe feciſſes. Officia enim illa lætitiæ ſunt, iſta pietatis. Tuæ amplitudinis curulem ſtipabunt obſequia multorum. Huic in ſolo patre totum eſt. Plura pro nobis indulgentiſſimus in ſuos tuus animus tecum loquetur. Cui ego [d] excuſationis meæ iniũgo partes: quia verbis agẽda non ſunt, quę melius interpretatur affectio.

* *Ad Theodorum.* 6.

e *Sic repono,* non ſpernãdum: *vt eſt in v.c.*

FIlium meum Flauianum Conſulatus tuus reuocat in lucem. Neſcio an eum commendare tibi debeam, cui ſui gaudij auctor fuiſti. Serua igitur oro deprompt æ in eũ benignitatis tenorẽ: & ſi hoc à conſtantia tua [e] ſperandum magis quàm poſtulandũ eſt. In dubium enim voluptarij amoris fides non venit.

* *Ad Theodorum.* 7.

IPſe mihi reſcripti huius baiulum præſtitiſti. Duplici igitur nomine gratiam debere me fateor. Nam & à te profectus eſt qui litteras exhiberet, & per te mihi qui referret oblatus. Maneant oro inter nos officiorum talium vices, & inter alias laudes tuas continuatæ in amicos relligionis titulus cenſeatur.

Ad Theo-

Ad Theodorum. 8.

GAudeo mihi ſermonis tui primitias contigiſſe, & impendiò poſtulo, vt humaniſſimum incœptum relligioſa cura nō deſerat. his enim maximè nutrimentis amicitiarū cultus adoleſcit. Quum hæc ſcriberem, rectè mihi ſanitas ſuppetebat. Cuius rei indicium propterea ſingulari generoſitati tuæ credidi deferendum, vt cognitionem tuæ ſoſpitatis mihi mutuus rependat affectus.

* *Ad Theodorum.* 9.

VEreor eloquentiæ tuæ ſcripta mea committere, ſed non minùs caueo amori tuo meorum quicquam nĕgare. Duas igitur oratiūculas nuper editas à nobis miſi. Earum vna ad vrbanos faſces reſultātem tenuit candidatum. Alteri argumentum dedit iampridem decreto Senatus improbata cēſura. Sed iudiciū meū, cùm res acta eſt, habitū propagaui opere largiore. Nec mihi vitio vortas priſcæ ſeueritatis repulſam. Nam ſolis quædam ſpecioſa nominibus, vſu & experiundo plurimum nocent. Rationes ſententiæ meæ lector inuenies. Volo tamen ad inſpectionem dictorū parti vtriq; æquus accedas. Merebitur, vt ſpero, orationis aſſertio, vt tu etiā vetuſtatis patron' auctoritati ordinis manū porrigas.

Cōfer cū epiſt. 29. ſ. lib. 4.

* *Ad Theodorum.* 10.

QVàm timeo ne aures tuas exiſtimer lactare blanditiis. Conſulatus hic tuus talis eſt, vt meum geminaſſe videatur. Nunc voti mei ſumma eò proceſſit, vt titulo eius longum fruaris, & æques vitæ diuturnitate moram præmij tui. Dignum quippe eſt compenſari prolixo gaudio ſeram ſolutionem.

* *Ad Theodorum.* 11.

ADuentum tuum ſerum eſſe mirabar. Sed vbi cauſa patefacta eſt tarditatis, & te breui affore ſcripta prænuntia ſpoponderunt, in gaudium cura conuerſa eſt. Ergo hoſpitij ſecurus appropera, & aliquandiu Romæ interuallo quietis refotus auſpicatiſſimos attolle faſces.[a] Poſtea erga te diligentia quicquid inſtructus Conſularis flagitat, prouidebit.

a *Fortè leg.* Noſtra erga te.

* *Ad Theodorum.* 12.

FRuſtrà ſperaui de peregrinatione ſolatiū, cùm omniū locorū mœſta facies nullas ægro animo præſtet inducias. An quiſquā tam duro ingenio natus eſt, vt multorū curis doloris vacuus interſit? Quod ſi verum eſſe concedis, me etiam crede inter

anxios vſum ipſum quodammodo amiſiſſe lætitiæ. Reſtat vt tuæ litteræ medicinam mihi faciant;quas ita libenter accipio,vt nulla mihi aſſiduitas ſatisfactura videatur. Ego præuentu occaſionũ, quas fors obtulerit,exemplum tibi dabo frequentis officij. Tunc enim probabis gratas eſſe mihi litteras tuas, cùm meas ſumpſeris.

Ad Theodorum. 13.

IAmpridem nihil ſcribis.æquum eſſet huic culpæ talionem reponi.Sed ego arbitror imitanda non eſſe quæ doleas: & animo perſuadeo,alias potiùs interueniſſe cauſas officij differẽdi,quàm reſidem voluntâtem. Quamquam vereor ne factum tuum hæc ipſa grauet humanitas. Nam qui mihi pro te ſatisfacio, oſtendo nihil me tale meruiſſe.Scribe ergo iam ſæpius & copioſiùs,priuſquam præfata ope [a] Dei in Lucanos vela faciamus. Quid enim iuuat proximis regionibus immorari,cùm à te nullæ litteræ deferantur, & ſilentium tuum honeſtè poſſit excuſare longinquitas?

a v.c. Deorũ.

* *Ad Theodorum.* 14.

ADemptum eſt tibi generale perfugium. Neque enim potes ſolemne illud & peruulgatum genus defenſionis inducere: meas te adhuc litteras operiri,vt quadã relligione ſoluaris. Iamdudum tibi ſtilus meus facit hoſpitium, cui non ab vno redditã vicem,ſed æmulari ſtudium noſtrum etiam voluntario poſtea officio debuiſti.An expectas,vt te illa expoſtulatione perſtringam. Tu niſi malo coactus rectè facere neſcis?Omitto plura,& in reliquum mihi diligentiam tuam ſpondeo:quam quia relligio parui habuit,ſaltem admonitio noſtra reparabit.

* *Ad Theodorum.* 15.

PRoximè Romã regreſſus à ſcribendi conſuetudine non tam deſidia, quàm occupatione deſciui. atque ideò peto in bonã partem purgationem præteritæ taciturnitatis accipias, mecúmq; læteris, quòd domini noſtri Theodoſij ſacro diuinóque iudicio merui Conſulatum,cuius multiplex apparatus tuam requirit induſtriam.Sed rurſus occurrit voto & ſtudiis meis, ne honoris tui tempora contrahantur.Quapropter tuæ cõmitto ſententiæ, vt ſi votiuo officio domus noſtræ intereſſe deſideras, adminiſtrationis labore ſoluaris. Sancto Lampadio germano tuo,& ad ſpem proceſſus, & ad bonam viam morum, cauſidicinam credidi profuturam. Vnde factum eſt,vt domino & fratri meo Pręfecto antè

conſulto ad caſtra forenſia mitteretur, eo præſertim tempore, quo tuo adminiculo poſſit inſtitui. Quapropter pignus tuum ſuſcipe informandum, bonis fraterna relligione præceptis.

* *Ad Magnillum.* 16.

BReuem decet eſſe ſermonem, quo redditus indicatur. Quid enim mandes paginæ, cùm omnia quæ ſcripto committi ſolent, fabulis potiùs debeant reſeruari? Hoc eſt argumentum præſentium litterarum; quas ſi dij votum iuuerint, mox ſequemur.

* *Ad Magnillum.* 17.

SVades vt redeam, * ne ius prædij noſtri violenta perturbet irruptio. At ego puto non minùs tuam curam quàm meam pręſentiam promouere. Coniicio exaggerari à te relligioſè iſtam trepidationem, dum me Romam ſtudes trahere. Ego autem non modò amore ocij abeſſe pluſculum cupio: ſed quia inane erit, quicquid remoto atque inconſulto poſſeſſore temptatur. Conſilium autem rei agendæ, tuus & aliorum quibus cordi ſumus, tractatus inueniet. Meæ quieti nullus inuideat: quia longiùs producenda eſt, cùm vicem noſtram bonorum amicorum cura fungatur.

a *Sic lego, non autem vt erat in v. c.* ne vis prædij noſtra.

Ad Magnillum. 18.

SEmper te in priore affectionum mearum fronte conſtituo. Meritò incertus animi, cognitionem tuæ ſalutis expecto. quam ſi mihi tuus ſermo præſtiterit, reditum noſtrum alacritas incitabit.

* *Ad Magnillum.* 19.

NOs tuum præoptamus aduentum. Tu amicis muneribus deſideria noſtra ſolaris. admodum quidem delector oblatis: ſed hoc ipſo damna abſentiæ tuæ grauiùs ſentiuntur. Pleniora enim præſidia, atque ornamenta de amico præſente caperemus. at nunc inter votiua candidati mei negocia, & quæſtorios apparatus fraudari nos conqueror ſocietate conſiliotum tuorum. Et tamen obeunda nec procul locatus omittis. Nam & veſtes ſubſericas, quas homines mei poſt illationem precij retentabant, & inſtructum reliquum muneralium præmiorum tuus coëgit inſtinctus. Opto igitur tibi promptum Deorum fauorem, reditúmque fœlicem: ſimúlque oro, ſi fors dederit facultatem, functioni noſtræ intereſſe deproperes, cuius voluptas magna parte cumu-

labitur,ſi lætitiæ noſtræ particeps deſideratus acceſſeris.

Ad Magnillum. 20.

POtuit ſine literis noſtris ſanctus Aurelius,ſi quid de me quæreres,explicare. Sed quia faſtidioſa ſalutatio eſt, quæ nudo ſermone [a] præfertur,iunxi ſcripta mandatis. Aue igitur dico tibi; ſimúlque deprecor,vt ſecũdum cõmonitorium, quo ſummatim [b] muneri præparanda reſcripſi, & ipſe ſalua iudiciaria exiſtimatione curam mihi relligioſè,vt ſoles,fratris exhibeas,& homines noſtros comparandis quibuſdam quæ poſcit editio,iuſtum impẽdium miniſtrare præcipias.

a *v.c.* defertur.

b Munera,*legitur vulgo,ſed* muneri, *ex v.c.reponendũ.*

* *Ad Magnillum.* 21.

QVæſtorium paruuli noſtri munus [c] accelebrans, communi Aurelio amico quędam comparanda aut prouidenda mandaui.Sed quia publicis negociis & varia iniunctorum occupatione deſtringitur, Euſebium familiarem nobis ſpeciatim ad te miſi,cuius admonitione cura tua in effectum omnium prouocetur.Et quia longum viſum eſt litterarum ſerie agẽda complecti, non graueris cõmonitorio ſtrictim ſignata percurrere:quod ſatis eſſe arbitror ad incitamenta diligentiæ tuæ.Neq; enim preces oportet adhiberi, cùm ſola amici voluntas ſtudium tuum debeat incitare.

c *Fortè*,accelerans.

Ad Magnillum. 22.

ANaſtaſium noſtrum dignaris agnoſcere: nam domi ſæpe vidiſti.Hæc illi notitia apud te debet eſſe ſuffragio, etiamſi nullis iuuaretur alloquiis. Nũc dubitare non poſſum cumulatiorem circa eum fore curam tui, cùm eum & vetuſta cognitio, & præſens ſermo commendet.

Magnillo. 23.

FAmiliaris emerſit occaſio, quæ tibi ſalutis meæ adport..ret indicia.Neque enim dubitare poſſum tibi litteras meas eſſe reddendas,quas Siluanus ad animi noſtri diligentiam pertinens exhibebit.Cui hæc ipſa recepti officij commendatio apud te debet eſſe ſuffragio. Ceterùm vt reſpondeas non laboro,cùm mihi neceſſitudinem ſcriptorum tuorum mutua polliceatur adfectio.

* *Magnillo.* 24.

PArens ſana eſt, [d] & ad patientiam doloris adducitur. Quare hanc partem depone curarum,mentémque ad meliora compone.Certè ſi tibi aliquid ab re tua ocij eſt, noſtris negotiis dili-

d *Puto leg.* & à patiẽtia doloris abducitur.

gentiam dignare præſtare: vt operæ ſit precium, quod in exactore mittendo litteris tuis & monitis ſatisfeci. Multa Oceano, vt recordaris, & litteris & commonitoriis implenda mandauimus; quibus exſequendis par eſſe non poterit, niſi tuo impulſu & monitu vrgeatur. Quæ cùm in effectu te iuuante proceſſerint, quæſo vt indicio ſcriptionis expectationem meam non graueris inſtruere.

* *Magnillo.* 25.

NVmidæ familiaris noſtri aduentus haud mediocriter mihi gaudio fuit. Hanc lætitiam tuus ſermo geminauit. Duobus igitur à te muneribus affectus amicum tibi cum litteraria ſalutatione reſtituo.

* *Magnillo.* 26.

ANte carpere ſcribendi ordinem mei muneris fuit. Habes feſtinati officij gloriam, cùm ego fatear tarditatem. Et certè potui allegare aliquid in excuſatione morarum. Supererat mihi plurimum viæ, malui te de laboris noſtri abſolutione facere ſecurum; ſed pio ſtudio præuenire, nullus eſt rubor. Ama igitur ſponte cedentem, cui hæc ipſa ſimplicitas conciliare debet frequentes litteras tuas: quas ſi non æquauero pari numero, rurſus tibi præmium confeſſio mea faciet.

Ad Magnillum. 27.

AMicum meum ad [a] Brutios reuertentem, litteris credidi proſequēdum: vt tibi ſalutationis munus exſoluerem, & illi commendationis aliquid exhiberem. Quæſo igitur te, vt & meis litteris viciſſitudo reddatur, & illi defenſio plena proueniat.

[a] *v.c.* Brittios.

Ad Magnillum. 28.

PRoximè quidem vrbe digreſſus es. Sed ego quaſi iam inueterato tui deſiderio conuenirer, officium [b] reſcribēdi & munus arripui, nec expectato ordine, nec more ſeruato, qui ſolet amicis eſſe pro lege, [c] dum peregrè locati priùs tribuant ſcripta quàm ſumant. [d] Et re vera affectio omnis, impatiens etiam iuſtæ ac legitimæ eſt tarditatis. Rupi ergo conſuetudinem relligione maiore, quàm ſi eam ſeruare voluiſſem. Quæ res ſi tibi grata eſt, & mihi fœnus ſolue colloquij, [e] & prælatori talium litterarum benignus arride. Cui vt ipſe nihil magis potui præſtare quàm litteras, ita tu nihil poteris plus tribuere quàm fauorem.

[b] *v.c.* ſcibendi.
[c] *v.c.* vt peregrè.
[d] *v.c.* Et eſt vera.
[e] *Sic v.c. vulgata lectio ſic habet*, & per latorem taliū l. b. accede. Cui. *Sic vero loquitur* 7. *epiſt.* 46.

* *Ad Magnillum.* 29.

PRopinquam ſancti Aſclepiadis philoſophi abſque litteris meis abire par non fuit. Nam illius merita popoſcerunt, vt ad tuam curam præclari viri pertinens tuo patrocinio traderetur. Pro quo non arbitror ambitu longæ orationis vtendum; cùm ea humanitati tuæ contemplatio parentis ſine cuiuſquam petitione commendet.

* *Ad Magnillum.* 30.

TÆdet pigétque iam ſcribere. Quouſque enim ſtili imagine iucunditatem viui ſermonis imitabimur? Quid quòd etiam fœlicitas publica & pax orbis hortatur, vt larem repetas. Qua in re tibi opportunus incētor frater noſter Ponticanus accedet, bonorum petitu ſortitus hanc operam; vt tibi ob rem vxoriam demoranti, deſiderium reuiſendæ vrbis admoueat.

* *Ad Magnillum.* 31.

NOlo puerum crimineris ob reditū tardiorem. Mea conturbatio pro Symmacho, neque ad reſcribendum tempus inuenit, & recurſum tabellarij vſque ad ſpem bonam diſtulit. Nūc quia periculum eius in ægritudinem verſum eſt, hoc ipſum loqui apud te licuit. Faciet diuina miſeratio, quæ pias aures applicat votis parentum, vt tibi mox de eo, quod iuuet animum, ſecuritas mea nunciet.

Symmachus Eſeſtioni. 32.

VOtum mihi non defuit itineris ordiendi, ſed tarda euocatio perueniendi tempus arctauit. Atq; ideò verecundiùs viſum eſt veniam poſcere, quàm peracto Conſulis officio peruenire. Super hoc pleniſſimas & ad clementiſſimum Principem iamdudū litteras dedi, & ad ceteros qui me adeſſe voluerunt, quas etiam nunc Feſtus agens in rebus proficiſcendi cunctatione remoratur. Et quia vereor, ne aut lateant ſuppreſſa quæ ſcripſi, aut per æmulos reſoluta vitientur: conſilium fuit vt ad te dominum & fratrem meum exemplaria omnia mitterem. Erit tuæ circa me affectionis, de omnium rerum fidelitate reſcribere. Reddentur
a v.c. quibus. etiam vobis chartulæ, curas domeſticas continentes, [a] queis decurſis æſtimabitis quid bonorum temporum iuſtitia & fama deſideret.

Symmachus Eſeſtioni. 33.

SEquuntur abſceſſum tuum litterarum cohortes; & vt ſolent Athenas Atticas aliqui vel gymnaſia petere Muſarũ, ita peregrinationes tuas deſiderio trahente comitantur. Nec tibi, vt æſtimo, militiæ ſtipendiis affluenti amicorum conuentus oneroſus eſt. Paſce igitur eruditos dignitatis tuæ copiis, & ſpera plures tibi actutùm hoſpites adfuturos, poſtquam Romanæ iuuentutis magiſtris ſubſidia detracta ſunt ſolemnis alimoniæ.

Symmachus Eſeſtioni. 34.

[a] ÆGrum animum tuum litterarum lectione, quas proximè miſeras cognoui, multúmque miratus inter coniunctiſſimos fortuitam ſubitò emerſiſſe diſcordiam, & dominum & fratrem meum litteris obſecraui, ne à ſuo more diſſentiat. Te verò non meo tantùm, verumetiam tuo nomine rogo, vt ceteris bonis morum tuorum, ſimilem patientiam pręſtes, feráſque omnia quę ſolet peregrinationis habere conditio. Spero [b] enim & filij mei Flauiani conciliatione, & Euſebij Archiatri blanditiis omnia poſſe mitigari. Vale.

a *v. c.* Ægrũ proximè amicum tuũ litterarũ quas miſeras lectione cognoui.

b *v. c.* autem.

* *Symmachus Eſeſtioni.* 35.

LItteræ tuæ Spartana breuitate ſuccinctæ ſunt, ſed rebus exuberant; & cùm moueant de raritate querimoniam, tamen officij plenitudine memoriam ſuccenſionis obliterant. Quòd ſi eas creber vſus exerceat, deſiderium meum ſine faſtidio ſatietatis explebunt. Sed video quid obſiſtat animo, quid impediat voluntatem. Euſebius te noſter fabulis & poculis demoratur. Quẽ cùm reddideris curæ hortorum ſuorum; fore arbitror vt animus tuus iocularibus nuptiis abſolutus, ad negotia ſeria conferatur.

Symmachus Neoterio. 36.

SVpra modum gaudeo, redditum eſſe meritis tuis vetus debitũ. Iamdudum enim Rempub. virtutibus obligaſti: quæ nacta diuinæ fidei Principem, ſibi quodammodo Conſulatum, quem tibi ſolueret, impetrauit. Ad huius celebritatem voto alacri cucurriſſem, niſi diplomatis ſacri tarda perlatio arctaſſet interuallum dierum. Acceſſit hyemis cõtemplatio, quę magno frigore, & breuibus lucis horis moratur [c] excurſus. Meus tamen animus, meũ gaudium tecum eſt. Ego ſolus dolere debeo, quòd mihi tantum bonum caſus [d] inuident. Tibi & pręſentium ſatisfaciet numerus, & cultus abſentium.

c *Sic rectè repoſui ex v. c. Nam vulgò leg.* excurſus meos. Tamẽ animus meus in gaudio tecum eſt.

d *v. c.* inuiderit.

* *Symmachus Neoterio.* 37.

AMicis noſtris iuſta cupientibus vſui eſſe debemus, præcipuè fratri noſtro Alexandro, quem iudicio probamus, & amore complectimur. Hunc licèt noueris honorum deſiderio non moueri, communis tamen verecundia non ſinit teſtimonio carere militiæ: cùm illi Tribuni ac Notarij dignitatem Dominus Valẽtinianus Auguſtus ante irruptionem tyrannicam ſponte detulerit. Quæſo igitur vt prærogatiuam ſacri teſtimonij te adnitente mereatur. Facilè eſt enim vt ſub tam pio gubernatore Reip. infortunia hominum ſęculi vincat humanitas.

Vide notas.

* *Symmachus Neoterio.* 38.

IMpatienter amicorum ſoleo perferre diſceſſum. Sed eos qui ad præſtantiam tuam relicta vrbe contendunt, ad me credo venturos. Quid quod ſequeſtrata affectione inuideo tecum futuris? Soli enim bona præſtantiæ tuæ capient, quorum mihi cõmunis fructus eſſe deberet. Et vt eſt tamen iſta conditio, fratres noſtros Celſum atq; Nicianũ probabiles viros non inuitus emiſi, certus aliquid ad nos ex fabulis atque actibus tuis eorum relatione rediturum. Quos vt maturè vrbi ſtudiiſque reſtituas, viciſſim de te poſtulo. Nam ſi te ab hac petitione diſſimulem, videbor eorum peregrinationem non tuæ detuliſſe reuerentiæ, ſed meo præſtitiſſe faſtidio.

Symmachus Neoterio. 39.

Confer epi. 28. lib. 9.

CVm ſciam te animo placabili eſſe, recepi pro amico operam veniæ poſtulandæ. Neque enim ſic à recto deuij ſumus, vt te vnquam temetè moueri ſuſpicemur. Vir clariſſimus Epictetus cauſidicorũ more prolapſus, dũ vult impenſiùs placere ſuſcepto, ſanctũ Sabinũ probatum omnibus bonis, incauto ſermone [a] perſtrinxit. Ea res omniũ veſtrûm, quib[9] ille curæ eſt, animos creditur exaſperaſſe. Nec immeritò querela Rectoris etiã Pretorianas acuit poteſtates. Quid multa? Epictetus togæ forenſis honore priuatus eſt, plurimis prçferendus, qui firmo patrocinio protegũtur. Nunc illa clientiũ turba, vnius fortuito inſultat errori. Quod diu ne maneat, tua præſtabit humanitas. Satis datum eſt correctioni. Nũc ingeniũ tuũ reſpice. Illud cauſa meruerit: hoc tribue lenitati. Scio illuſtrẽ virũ prçfectũ prçtorio his quoq; litteris tuis prõptè eſſe ceſſurũ. Erit tibi Epictetus V.C. etiã emendationis ſuæ debitor, quem paulò inconſultũ fecerat impunitas magna peccantiũ.

vide hic notas.

a *al.* perſtringit.

Neote-

* *Neoterio.* 40.

PLacuiſſe iudicio tuo amicum meum Drinnacium ſatis gaudeo. Nam mihi quoque plurimum honoris accedit, quotiens ſententia noſtra concordat. Fruetur igitur vberrimo innocentiæ ſuæ fructu, mihi honeſtis carus officiis, tibi iuſtis negociis approbatus.

* *Symmachus Neoterio.* 41.

QVi amanti nugas ſuas & deliramenta committit, non debet formidare iudicium. Commendatur enim religione, quicquid culpari poſſet examine. Meritò ſecurus oratiunculam, quam proximè in Senatu habui, ad te miſi, de qua dominum meum fratrem noſtrum Carterium tecum plenè arbitror collocutum. Nā petitioni noſtræ auditor interfuit. Et quamuis totius ordinis ſecunda ſuffragia cepiſſe videamur, in te vno tamen ſummam teſtimonij collocamus. Facito igitur me certum ſententiæ tuæ, & ſimul quid rerum geras pande cupienti: vt quod ex meis actibus voluptatis accipies, tuorum mutua inſinuatione compenſes.

Symmachus Neoterio. 42.

DIſſimulati officij obiurgatione morderis in epiſtola blandiore, qua tibi refero gratiam ſermonis accepti: licèt cogitarem illa potiùs amica eſſe colloquia, quæ ſponte tribuuntur. At in reſpondendo referri magis neceſſariam vicem, quàm deferri ſpontaneam ſcriptionem. Ego tamen ita affectus ſum litteris proximis, vt neſcire me fatear, reddideris hoc munus, an dederis. Verùm cogita quid epiſtolæ tuæ iucunditatis habituræ ſint; quas non admonitus exhibebis, quum hæ quoque mihi admodum gratæ ſint, quas rependis ex debito.

Symmachus Neoterio. 43.

FAcis vt decet, quòd ocium meum ſcriptorum aſſiduitate ſolaris. Siquidem ex tuo amore coniectas iucundum mihi eſſe munus, quod ex tuo ſanctiſſimo ac [a] luculētiſſimo ore proficiſcitur. Refero igitur [b] vices magis ad teſtimonium gratiæ, quàm ad æquiparandum officium, quo me agnoſco deuinctum. Sed hoc ipſo arbitror me digniorem eſſe [c] alloquio crebriore; quòd hanc epiſtolam tibi reddo, quaſi victus fœnore litterarum.

a v.c. luculento.
b v.c. vicem.
c v.c. colloquio c. q. hāc palmam tibi reddo.

Symmachus Neoterio. 44.

VEnturum te ad communem patriā fama promiſerat. [d] Sperato gaudio gloriabar. Sed vbi proceſſu dierum rumor in-

d v.c. Inſperato.

tepuit, animaduerti mihi hoc genus ſupeteſſe ſolatij, quòd ad ſcribendi vſum motémque remearem. Fungor igitur ſalutatione dicenda, tuamque excellentiam quæſo, vt mihi aduentum tuum pro litteris largiaris. Eſt enim cauſa votiua, quæ te debeat euocare: Quæſtotium ſcilicet munus filij mei, ad cuius officium te tuóſque amot communis inuitat. Vale.

Symmachus Felici. 45.

SCribis reuerantiam noſtri apud omnes vigere. Gaudeo huiuſmodi teſtimonio: ſed profiteor tua opera fieri, vt [a] taliter vigeat exiſtimatio mea. Tu mihi es fautor rumoris ſecundi, neque hac tãtùm gratia vadatum me eſſe ſentio. Nam illud etiam, quod te proceſſit præſule ad commodum proximorum meorum, quãuis iuſtitiæ datum ſit, tibi tamen refertur acceptum. Ceſſo longiùs pergere: quia in remunerandis beneficiis ieiuna eſt verborum viciſſitudo. Simul obſtrepunt curæ, quas officiis familiaribus tenuis patriæ vict' [b] apponit. Ero apud te poſthac loquacior, quum refouerit ſtudium meum rei frumentariæ inſtaurata ſecuritas. Vale.

[a] *Sic v.c. vulgo leg.* taliter vrgeatur.

[b] *v.c.* apponit.

Symmachus Felici. 46.

BEnè cognitis ac probatis commendatio prompta debetur, vt ad noticiã bonorum ſub honeſta adſtipulatione perueniant. Theodulus ſinceræ probitatis adoleſcens multorum gratię viget, quibus placere laudabile eſt. Sed fortunæ difficultatem quæ curſum vitæ eius exaſperat, adminiculo tuo ſperat poſſe remoueri. Quęſo igitur votis eius benignus arrideas: ne aut meum teſtimonium pro nihilo hàbitum iudicetur, aut ſpebus illius exitus inanis illudat.

Ad Felicem. 47.

AMo litteras tuas. [c] nam ſemper mihi aliquid gratulationis apportant. Ego autem benefactis tuis nuda oratione reſpõdeo. Sed vt eſt præclara mens tua, perinde has ſibi exiſtimat fructuoſas: & ideo hanc operam perſeueranter aduigilo, quam ſciã apud te pro magno ære cenſeri. Interea Domino & Principi noſtro, eiúſque in me beneficentiæ egi per epiſtolam gratias, verbis fortaſſe exiguas, ſed affectione animi copioſas. Quas ſi eximia [d] vnanimitas tua, & probata mihi amicitiæ fides iucunda atque opportuna inſinuauerit lectione, nõ videbor ingratus; quum pro-

[c] *Sic in v.c. vulgo leg.* nã ſemper gratulationes adportant.

[d] *Sic v.c. excuſi libri,* humanitas.

baucrit,ſicuti opto,inuictiſſimus Princeps,beneficia ſe huiuſmodi apud memorem collocaſſe. Vale.

Ad Felicem. 48.

RElatum eſſe in cultores tuos Aurelium familiarem meum gaudeo,non illius modò nomine,quem tuendum ſummatis viri cura ſuſcepit, ſed meo maximè ; cuius teſtimonium iudicij inſtar habuiſti. Acceſſit huic muneri auctior ex litteris tuis gratia (quamquam eſt in illis quod amantem poſſit offendere, breui enim erant orſu) [a] quòd quum voluptatem offerant, negant ſatietatem. Et hæc eſt natura bonarum rerum,vt illis frui prolixiùs velis:nec quicquam durius ſumimus,quàm orationis placitę citū tanſitum. Adde igitur epiſtolis tuis copiam , vel ſi potes detrahe ſuauitatem. Niſi itá feceris, læſus rependam faſtidio tuo verba quæ ſoleo,& paginas longiores.

a v.c.quæ cū mihi voluptatem afferant. *Sic Plinius l.1. epiſt.20.*

Ad Felicem. 49.

AMor quidem tuus ſuaſit vt ſcriberem, prætereuntis feſtinatio vt pauca dictarem. Quare ſalutatione contentus (quæ etſi non [b] implet officium,tamen conteſtatur effectum) redde inuicem quæ legamus,&,ſi neceſſe eſt,æmulare breuitatem. Nam cùm ſim nitidiſſimi tui ſermonis cupidus,conſcientia tamen hui⁹ tam anguſtæ paginæ non audeo à te verborum copiam poſtulare.

b v.c.explet.

Ad Felicem. 50.

VEctori iudicialium litterarum reddendam tibi paginam dedi,amicitiæ deferens cultum ſalutationis, ſimulque ſuggerens ad rem mei pignoris pertinere , quod relatio docebit de tutoris faucibus extrahendum. Nec laboro pro aſſertione iuſtitiæ, cuius tibi cura præcipua eſt. Sed hoc tantùm audeo poſtulare, vt quamprimum reſponſa cæleſtia robur adferant iudicatis.

Ad Felicem. 51.

FRatrem noſtrum Helpidium nō minùs deſiderium tui,quàm Conſulis epiſtola euocauit. Cui etſi amorem tuum priſca inter vos coniunctio pollicetur, nonnihil tamen,vt arbitror,etiam petitio mea commendationis adiiciet. Extrue igitur,quæſo te, nouis erga amicum beneficiis veterem diligentiam, quatenus poſſint perfecta cumulari:& hoc mihi mun⁹ attribue, vt merita, quæ ſuis apud te fundauit obſequiis, ſentiat meo [c] fauore creuiſſe.

c v.c.amore.

* *Ad Felicem.* 52.

Cōiunge epiſto. 64. ĩ. hoc lib. 5. quæ eiuſdem ſunt argumēti. poteſt etiā addi epiſt. 43. lib. 10.

a *Al.* quæſo te.

b *Al.* die.

Poſthumius dicitur ĩ. epiſt. 52.

c *Libr. Pith.* in vetera iura ſupplicationibus quatitur.

d admoueret.

e faces.

QVisquis amici negligit famam, fide lubrica eſt. hoc ne vitio mihi iure dicatur, etiam in aliorũ iniuriis pro tua exiſtimatione ſollicitor. Qua lege, quo bono publico Euſebium V C. qui meruiſſe inter Notarios fertur, incertus atque inexploratus procurator elicuit, vt ciuilis petitio Vrbano abſtrahat foro poſſidentem matronam? Qua in cauſa cùm ſupplicatio priuatam teneat actionem, ſacros titulos reſponſa minitantur. [a] Rogo te cogites quid de auguſto aditu, cuius loqueris oracula, deceat impetrari. Fraterna tecum ſollicitudine loquor. Reſcriptorum omnium fama te reſpicit. Quid ſi etiam rei memoria fidem tuam conuenit? Ampelium claræ & illuſtris recordationis virũ, paruas ædes quas precioſo auxit ornatu ſub cliuo Salutis emiſſe, vt ciuis, vt collega reminiſceris. Triginta annorum [b] diebus incanuit ætas poſſeſſionis. Auctor & Poſthumiuus nepos Iouij fuit, inter cetera parentis ſuæ Porphyriæ bona hanc quoque adeptus domum per ſucceſſionem. Huic Porphyriæ nihil vmquam negocij cũ Theodoſio, cuius olim facultates Euſebius impetrauit. Nunc Procurator à columma Mœnia multis huiuſmodi ſutelis foro cognitus, [c] inueteratus ira, ſupplicationibus quatit, deguſtat iudicia omnium poteſtatum, cœptarum actionum exitus deſerit, inſtaurat exordia, Romanum criminatur tribunal, non poſſeſſionis antiquitatem, non Senatoriæ dignitatis prærogatiuam, non Præfecturæ exiſtimationem ſinit inconcuſſam manere. His auſibus color fiſcalis adlinitur, veluti ob inquiſitionem immobilium ex bonis quæ meruit Euſebius diuinæ domui debitorum. Vbi hæc diligentia diu iacuit? Cuius ſcrinij colludio publica damna latuerunt. Si Procurator non [d] admouerit negotio ſuo publicas [e] faſces, etiam nunc tot officia, tot inquiſitores fiſco quæſita neſcirēt? Et ſanè æquum eſt vt defenſio diuinæ domus attentiores oculos præſtet iniunctis. Quid mobilibus cōmune cũ prędio? Nullus error ſenſuũ, nulla verborũ interpretatio poteſt nomina iſta miſcere. Dehinc à proſcriptis quondam bonis Porphyria & Poſthuminus alieni ſunt. Multo magis emptor ædium Ampelius procul abeſt à contagione mobilium. Quid reſtat, niſi vt æquitas veſtra priuatam petitionem nullis ſuſtineri radicibus iudicet, cui ſacræ reuerentiæ vmbra prætexitur? Hæc me in epiſtolam conferre, amor ſeculi & amicitia tua compulit. Eadem viro illuſtri fratri

noſtro [a] Spercino morum eius ſecurius palàm facere curaſſem, [b] ſi vnquam mihi per litteras obtuliſſet fiduciam ſui. Ipſe autem principium facere conferendis mutuo ſcriptis à tali genere non debui. Erit itaque optio amplitudinis tuæ, in aures eius perferre quæ ſcripſimus. Dignum quippe eſt, [c] vt quod exiſtimationi vtriuſque proficiet, amborum conſenſus emendet.

a *Sperthius vocatur* ſ. *epi.* 64. *in cod. Pith.* Sperchio.
b *al.* ſi quam.
c *vt* quicquid.

Symmachus Salluſtio. 53.

NOlo ex moribus ceterorum, qui cenſus Senatorios tractant, etiam huius ingenium quem commendo perpendas. Eſt enim non mediocri loco, aut infima ſorte progenitus, ſed honeſtatem natalium pudore cuſtodiens. Atque ideo [d] non indecorũ putaui, benè cognitum proſequi teſtimonio litterarum. Nec ſingularis generoſitas tua debet de eius amore dubitare, [e] quem videt nobis adſtipulantibus àpprobari. Et hæc quidem [f] pro Ammonio ſatis dicta ſunt. Ipſe autem deſiderium tui ſermonis ſilere non debui, cuius appetentiam ſcriptorum tuorum raritas vehementius excitauit. Vale.

d *v. c.* nec ego indecorũ.
e *Libr. Pith.* quem vides bonis adſtip.
f *Sic v. c. vulgò leg.* pro admonitione ſatis.

* *Symmachus Salluſtio.* 54.

CVmulatiùs officium mihi quàm popoſceram detuliſti. Nam cùm domeſticos meos iuuari à te in conquiſitione equorum Curulium poſtulaſſem, quadrigis quatuor grauitatis auxiſti numerum comparatum. Ex illis equos [g] vndecim ſuperſtites ceteris [h] proſecutorum cura perduxit. Nec longo interuallo pars ſuccubuit traditorum. Gratiam tamen relligionis tuæ fortuna non minuit. Quia in muneribus amicorum non ſunt damna caſuum cogitanda. quinimo ea in acceptum ſumma referenda eſt, quæ ab offerente proceſſit. Ad te dypticum Cãdidati, & apophoreticũ librarum argenti duarum per hominem tuum miſimus, approbare cupientes editioni noſtræ te non animo defuiſſe.

g *al.* duodecim.
h *al.* perſecutorum.

Symmachus Salluſtio. 55.

VTilitati tuæ etiam non commonitus affuiſſem, cuius me habuiſſe rationem dominus & filius meus Patruinus vir ſpectabilis non tacebit. Hunc tu admonere debebis, vt ſui voti cõſuetudine, & meæ petitionis intuitu, deſideria tua iuuare dignetur. Vale.

Symmachus Paterno. 56.

EGo quidem Senatui intereſſe non potui, quo die Thalaſſi filius dignitatis noſtræ muneribus exemptus eſt, ſed ſpem fu-

turæ pro eo actionis non leui apud amicos commendatione ſolidaueram,nec tamen impetrationis gratiam mihi vendico. Iuſtitia poſtulati & interuentus tui deſiderata promouebit. Mea valetudo diu iactata tandem ſe in tranquillum recepit. Quod eo ſcribo, vt auctus lætitia ſalutis meæ, parem voluptatem mihi de propriis tuis referas.

Symmachus Paterno. 57.

PRimis petitionibus noſtris multum ponderis addit iteratio. Et ideo de venatoribus exhibendis repeto poſtulatum, quo faciliùs tibi diligentiam geminata ſcripta ſollicitent. Dies muneris noſtri tempori admouetur: cui largitas Candidati ſola non ſufficit, [a] ſi lautioribus harenariis deferatur.Inepta eſt enim munificentia,quæ præſtatur indignis. Quapropter quæſo te,vt venatorum potiſſimos auctoritate Iudicis & fratris amore cõcedas; multum rebus omnibus additurus, quas ciuium voluptati animoſo impendio præparamus. Vale.

a *Lib. Pith.* ſi aptioribus.

Symmachus Paterno. 58.

OMnes qui aditu tuo cupiunt ſubleuari,non caſſam,quãtum arbitror,capeſſunt viam incundæ gratiæ,cùm me adſtipulatore [b] nituntur. Horum vnus vir probabilis Turaſius familiaris meus,qui indictæ ſibi litis iniuriam fortunæ imputat:gratiam verò boni reditus,de tuo potiſſimùm ſperat auxilio. Tuere igitur æqua poſcentem;& humanitatis tuæ latiùs extende famam; quæ incrementis maximis cumulabitur, [c] ſi Turaſio per te ſecunda ſucceſſerint. Vale.

b *v. c.* nitantur. Horum vnus eſt vir.

c *Ita v. c. vulgò leg.* ſi tuis per te ſecũda ſucceſſerint.

Symmachus Paterno. 59.

RElligio poſtulauit vt ſcriberem,præſertim quum hortaretur familiaris occaſio.Nam homo tuus tabellarium ſe mihi obtulit,cui nihil litterarum dare,ſummam piaculi eſſe perſpexi.Valere igitur te opto, me nuncio; & viciſſim peto, vt nos ſoſpitatis tuæ indiciis munereris. Vale.

* *Symmachus Paterno.* 60.

QVæſtores ordinis noſtri numquam ferarum ſuarum portorium contulerunt. Graue enim maioribus viſum eſt, vt tolerantibus onera Senatoriæ dignitatis ſumptus immodicus adderetur.Hæc mihi proximè,cum gladiatorum munus inſtruerêtur,magis populi Romani quàm meo nomine prærogatiua delata eſt.Nunc à fratre meo Cynegio VC. Quæſtorio Candidato

Confer epi. 63. 7. huc lib.

quinquageſimæ vectigal exigitur, quod ſolos vtſorum negociatores, vt porę quæſtui ſeruientes, oportet agnoſcere. Huius iniuriæ adfectio tuum modetamen expectat. Reſiſte, quæſo te, publicanorum cupiditati, & damna Collegarum recide. Ad geminam tuam gratiam res iſta proficiet; ſi priuilegio honorauetis Senatũ, leuamine iuueris Candidatos.

* *Symmachus Paterno.* 61.

CAuſa amici ſuaſit vt ſcriberem. Sed fatendum eſt maiorem me curam tuæ exiſtimationis habuiſſe. Nam Minucianus [a] VC. exiguo periclitatur argento. Tibi autem non tenuis ad laudẽ reſerabitur via, ſi falſis, vt audio, ſyngraphis calumnia excitata conſederit. Piget dicere, quibus ſtrophis adparitio Itali graſſetur ærarij. Fertur ſub publici debiti ſpecie priuatorum nominũ falſa recitari. Inualidos quippe ſtatim vincit impreſſio. Validiores autem cùm munimenta [b] pro ſe iuris adſciuerint, criminoſis verborum interpretationibus implicantur: vt ad damni patientiã ſeſe inuidiæ timore ſubmittant. [c] Sed VC. Minutianus, tui ſecurus, & lætus, relationis minas amoliri optat examine. Da igitur, oro te, Iudices, quos Vrbanis poteſtatibus Imperialis præfecit electio. Neque enim dignum eſt ad [d] lõginqua cogitationem vocari debitum tenue, & præcipuam dignitatem. Longiùs pergerem, ſi æquitas vellet multis precibus adiuuari. Cauſæ genus relatio publicabit: quæ etſi errorem merebitur cognitoris, numquam tamen poterit emereri, vt illi à te ſine alio diſceptatore credatur.

a Vir Conſularis.

b *Vide notas.*

c *Cod. Pith.* ſed vir Conſularis M. tui ſecurus & legũ, relationis.

d *Puto leg.* longinquam cognitionem vocari.

* *Symmachus Paterno.* 62.

OStentator mei in te ſtudij eſſe non debeo. Officia quippe ex debito relligionis profecta iactationẽ recuſant. Quinimmò vberis gratiæ inſtar accepi, quòd amicitiæ meæ VC. Scipio te myſtagogo vſus acceſſit. Maximum enim lucrum eſt quærere familiaritatem bonorum. Et ſanè ſpero ipſum quoque in omnibus noſtri diligentem futurum, poſtquam cognouerit ſuorum relatu, quid negocio eius cura noſtra contulerit.

Symmachus Paterno. 63.

QVadrageſimæ portorium, ſiue vectigal, non rectè poſcitur à Senatoribus Candidatis: quia noſtri ordinis functiones onerari geminis incommodis non oportet. Hoc tibi etiam pro Cignegio VC. dudum miſſis litteris indicaui. Nunc filij mei

a *vulgò*, depoſcit.

Pompejani,clariſſimi & optimi iuuenis,par neceſſitas [a] depopoſcit,vt repeterem poſtulatum.Quęſo igitur vt humanitatem quę inter virtutes tuas prima eſt, noſtri ordinis editoribus dignanter impartias, & vrſorum tranſuectionem cupiditati mancipũ ſubtrahas.Perueniet beneficij iſtius gratia & ad Senatum, qui leuatur incommodis, & ad populum, cuius voluptatibus præſtatur immunitas. Vale.

* *Symmachus Paterno.* 64.

AMpeli illuſtris memoriæ viri neceſſitudines inceſſuntur lite priuata.Non poteſt ſola parentis recordatione cura pro illis noſtra moueri. Externos quoque, & memorati viri neſcios,cauſæ vrit indignitas. Cuius breuiter,vt poſſum,faſtigia & capita contingam.Ampelius de ſummatibus quondam Senatus, quem famæ celebritate didiciſti, domunculam Romæ de Poſthumio V̄C̄. Porphyriæ herede mercatus eſt. Contractus iſtius origo iuſta. Ætas propè ſęcularis intemptata poſſeſſio eſt. Nunc nuper veterator quidam procuratorio nomine extulit caput, Euſebij ex Notariis V̄C̄. quaſſans vetuſtam petitionem, de impetratis olim Theodoſij cuiuſdam bonis,quibus hoc prædium mentitur hæſiſſe. Theodoſio & Porphyriæ nulla rationum ſocietas fuit, nulla coniunctio facultatum. Res in iudicio Vrbano, & à petitore cœpta, & ipſo fugiente finita eſt. Denuò certè res negocij obreptiua ſupplicatione refouet in flammam, & per diffidentiam iuſti,diuinæ domus pro ſe attrahit actiones: ob inquiſitionem videlicet mobilium, quibus nihil commune eſt cum prædio.Peruestigat iſta legum ordine priuati Rector ærarij.

b iudici, *Lib. Pith.*

Ædium dominos relinquat [b] iudicio ſuo. Duplex itaque cauſa eſt, diuiſa rerum vocabulis, actione diſcrepans, origine non cohærens, ſeparata perſonis. Neque mobile emit Ampelius, neque domum fiſcus inceſſit. Cur Procurator alienus inualidam petitionem publicis viribus iuuat? Cùm fratre noſtro

Spercinus dicitur in epiſt. 52.8.
c ſeruantiſſimus.

Sperthio illuſtri viro quæſo iſta communices. Erit æqui [c] obſeruantiſſimus,& qui libentiùs communi iuri credat, quàm poteſtati ſuę faueat.Scit enim leges honoribus eſſe potiores.Cõfido cùm ſuppreſſa cognouerit,elicitis non defuturam correctionem. Si quæret cur ad eum ſuper hoc nihil ſcripſerim,reſpondeas quęſo, nondum facta inter nos ſtili conſuetudine veritum eſſe,

ne quid

ne quid à principio viderer arguere. Dabit mihi cauſæ huius emẽdatio, ſermocinãdi cũ eo materiã lætiorẽ: gratiarũ actio auſpiciũ litteris meis faciet. Nõ expectabo vltrà, vt alloquij ſui fiduciã præſtet hærenti: ad omne me officium iuſtitia eius hortabitur.

Symmachus Olybrio & Probino. 65.

[a] IVuenilis induſtriæ eſt, excire ſaltibus feras, & liberalia ſtudia ſylueſtri voluptate deſtinguere. Sic olim Marſus impiger, & fortis Sabellus robur habuerunt. Noſtris annis parta proficiant. Eſt hui⁹ indulgẽtię in quibuſdã auib⁹ exẽplũ: vt nutrimenta ſeneſcẽtib⁹ ætas viciſſim ptima cõportet. Sed nondũ cõuenit valetudini meę vti ferinis viſceribus: nec tamẽ gratiã muneris veſtri minuit apud me neceſſitas parſimoniæ. Nã etſi vtendi abſtinẽtia ſanitati meę conſulit, honor tamen muneris animo ſatisfecit. Vale. a v.c. Iuuenalis

Olybrio & Probino. 66.

SVppetere vobis plenam roboris valetudinem feratum indago teſtatur. hæc igitur prima mihi de vobis gaudij cauſa eſt, quòd ruſticis voluptatibus ſanitatem iuuatis. Secundus lætitiæ meæ gradus eſt venatu capta meruiſſe. Nam vt honori numinũ datur cornua ſacrare ceruorum, & aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta ſyluarum. Interea recuſo ſententiam, quæ rem venaticam ſeruile dicit officiũ. Statuerit hoc ſcriptor, ſtilo tantùm probandus: nam morum eius damna non ſinunt, vt ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas. Vos malo cum Atilio ruſticari, & ludũ viriũ ſequi, quàm bonis verbis deduci ad inſtituta deſidiæ. Certè ætatibus veſtris hic labor cõuenit. Diſtinguẽda eſt lectio iuuenũ, nõ alueolo, aut pila, [b] aut trocho Attico, vel Græcis palæſtris; ſed alacri fatigatione, & innocentis audacię gaudiis. ad hęc etiã meũ Symmachũ ſi accreuerit, quãquã vnicũ, cohortabor. Erit olim tẽp⁹, quo renũciare [c] annis greues huic operi debeatis. Tũc ſeruile munus iure habeatur cura venãdi. Famulatus eſt enim quidã, ſi cedẽtibus viribus recuſemus vti laborũ vacatione, quam nobis præſtat ſenectus. Vale.

Vide notas.

b v.c. nec trocho A. & Græc.

c Lib. Scotti, animis grauibus huic.

* *Olybrio & Probino.* 67.

COmmendaſtis mihi vetus iudicium meum, qui eadem de littoris Formiani gratia & ſalubritate ſentitis. Parcè antehac oræ illius bona tranſitus veſter deguſtauerat. Ea nũc penſiùs per moram cognita amari à vobis vſu lõgiore meruerunt. Fero ægrè tanquam veſtri cupiens, quòd procul degitis, & deſiderio in vos

meo indico patientiam. At ſi fors votis effectum ſecundet, opto in illo ſinu agere vobiſcum quod reſtat [a] ætatis; vt & locus mihi præſtet valetudinem, [b] & vos animi voluptatem.

a *Al.* æſtati.
b & vobis.

Olybrio & Probino. 68.

ADitum mihi ad ſcribendum ſerò reſeraſtis. Vos enim oportuit inchoare libamina litterarũ: quia inueterati moris eſt, vt qui ad peregrina diſcedit, alternandis epiſtolis prę̃ſtet auſpiciũ. Ergo abſolutus obſeruatię relligione, & nunc vobis vicem ſalutationis rependo, & in reliquum, ſi [c] fors tulerit commeantes, aſſiduitatem ſpondeo familiarium paginarum: vt vobis poſſit liquere, non in mea culpa, ſed in veſtra mora fuiſſe, quòd ſilui.

c *v.c.* fors obtulerit.

Olybrio & Probino. 69.

SErmonis veſtri aſſiduitate delector, & abundè ex eo munere vſurpo lætitiam. Quod enim veſtri animi ſpecimen, vel mei deſiderij ſolamen poteſt eſſe [d] clarius, quàm vt apud me in dies ſingulos meritorum veſtrorum cultus augeſcat? Amicitia enim quę celebratur [e] certis officiis, numquam certo fine contenta eſt. Atque ideo decet vos in [f] deferendis officiis eſſe promptiores, quum ad ſoluendam viciſſitudinem non probetis immemorem.

d *v.c.* præclarius.
e certis, *abeſt à v.c.*
f *v.c.* def. alloquiis effici prompt.

* *Symmachus Licinio.* 70.

REgilianus amici mei filius, & ipſe ſuæ honeſtatis intuitu iam probatus, dudum tibi litteras meas, quibus commendaretur, exhibuit. Et ideo ſecundæ adſtipulationis auxilium, vt pote iam cognitus, non requirit. Mei igitur ſtudij ratio & conſuetudo exegit vt ſcriberẽ. Neque enim fas eſt, quamuis iampridem ipſe diſſimules, me quoq; huiuſmodi officiis abſtinere. Spero enim quod ſponte amicitiæ tribui ſolet, ſaltem aſſiduitati meæ eſſe referendum.

Licinio. 71.

CVm [g] ad proximam vrbem digrederer, ſcribendis ad te litteris abſtinere non debui, vt te obſeruantia priſci moris abſoluerem. Nam vetere inſtituto, hic vſus [h] increbuit, vt ingreſſi iter, prælibent primitias ſcriptionis. Quare familiaris officij inuitatus auſpicio, fraternam relligionem, quam mihi ſemper mente exhibes, aſſiduo ſermone teſtare.

g *v.c.* ab proxima vrbe digrederetur.
h *v.c.* increbruit.

* *Licinio.* 72.

OCtauo demum die multa reluctatus itineris difficultate larem patrium ſalutaui. Continuò, vt amicitia poſtulabat, conuenit me recordatio mandatorum tuorum. Nam diſcedenti mihi iniunxiſti, vt negocium lectiſſimorum iuuenum Ticiani atque Helpidij fida exploratione diſquirerem. Quorum mihi præceptor vir prudens & neſcius gratificationis adſeruit, eſſe in illis ſcientiam iuris idoneam nimis in hos vſus iudiciarij & forenſis officij. Nunc tuum eſt optimos iuuenes aduocare, quorum indolem militiæ vel honoribus iã paratam non debet vlteriùs procraſtinare cunctatio.

* *Licinio.* 73.

PRomptè fauendum eſt honeſta cupientibus: vt probabiles voluntates alieno etiam adiuuentur adniſu. Quapropter opis indigum eſſe non patiar Felicem ſanctiſſimum iuuenem ad electiora tendentem: qui vbi vrbani fori diſſentiones, vt pote mitis ingenio, exhorruit, modeſtiori cauſidicinę date nomen affectat, quem meus quoque hortatus animauit. Spopondi enim bonæ indoli & moribus defecatis nequaquam defore tuæ mentis auxilium. Ergo exoratus ac facilis non transfugam ſedis alterius, ſed vt[a] affectatorem fori quietioris amplectere: qui tibi beneficiiſq; debebit, quicquid ei ex officio bonæ fortunæ, aut commoditatis acceſſerit.

Vide notas.

a Lib. Sc. affectiorem.

* *Licinio.* 74.

BOnoſo optimo viro, & poſt militiam palatinam gemina adminiſtrationis integritate conſpicuo diſcuſſionem pontis ac baſilicæ nouæ præceptio Auguſta mandauit: quod minus ſumma fide & vigilentia poſſet implere, ſi ſolus iſtiuſmodi examinis ius haberet. Nam Cyriades V̄C̄. comes & mechanicus, qui dudum impenſas operas vtriuſque tractauit, in ſocietatem diſcuſſionis admiſſus, ſæpe, vt dicitur, à Bonoſi optimi viri inueſtigatione diſſenſit. Hinc fit, vt inquiſitio quæ per vnum ſtrenuè poſſet agitari, artificio quodã interpoſiti certaminis differatur. atque ideo metuit vir honeſtus Bonoſus, ne ſibi inuidiæ ſit, quòd tanti negocij adhuc nutat effect⁹. quapropter orat, vt ſi quis eſt, qui V̄C̄. Cyriadẽ putat ei⁹ operis, quod idẽ Cyriades antè curauit, etiã diſ-

Coniunge epiſt. 71. ã. lib. 4.

cuſſorē eſſe debere, [a] ſibi hæc moleſtia detrahatur. Si verò ipſe huic negocio videtur adcōmodus, ad ſe tātùm diſquiſitionis ſumma pertineat. Ergo amore Reipu. cui⁹ vtilitates præcipua & prima complecteris, clariſſimo & illuſtri viro Præfecto dignare conferre, quàtenus lacuna tantorum ſumptuum remotis intentionibus detegatur. Spero enim fore, vt ceſſantibus nouis expenſionibus, vtriuſque operis perfectioni vſurpatorum ſumma [b] proficiat.

a Sic emendaui. Nā in v.c. erat, ſi hæc.

b Sic lego, nō perficiat, vt eſt in v.c.

Licinio. 75.

[c] LOngum ſiles. Sed ego talis exempli imitator eſſe non debeo. Quare in officia primus erupi, téque relligioſa admonitione conuenio; vt litterarum munus quod ſponte [d] amicitiæ noſtræ deferre debueras, ſaltem prouocatus exſoluas. Vale.

c Sic v.c. vulgo leg. Longū ſilēdo degis. Talis.

d Hæc ex v.c. addidi.

Ad Helpidium. 76.

QVæris vt valeam, vel quid rerum geram. Reſpōdeo percunctioni tuæ ex amore venienti: Agri quietè delector. hæc mihi & aëris præſtabit ſalubritatem, & pabulum lectionis. Sæpe oculos paſco culturis, quas hyberna exercet operatio. Tibi & ſecūdare valetudinem, & memoriam noſtræ amicitiæ ſupereſſe, ampliſſimè gratulor. Silentij verò mei non eſt iniuſta cauſatio. Nihil enim quod ſcriberem ſuppetebat: ſimúlque occupato tibi auditione cauſatum, verebar obſtrepere, ne multis negociis tuis onus adderet loquacitas ocioſi. Vale.

Ad Helpidium. 77.

PRæſentiam tuam ſpero. neque enim ſoles promiſſa deſerere. Sed frequens fama eſt, Prætorianas litteras obſtare diſpoſitis. Quare ne hæream diu, expectationis incertus, confirmari ſcriptis recentioribus volo: vt ſciam moræ eſſe precium, ſi affuturus es; [e] aut ſoluar manendi faſtidio, ſi teneris.

e Sic v.c. vulgo leg. aut abſoluar manēdi officio, ſi.t.

Ad Helpidium. 78.

PRoſequor litteris ciuem amicúmque communem: cuius bona, quia iudicio tuo nota ſunt, nō requirunt aſſertionem. Meritò mihi de eo apud ſcientem facilis ſermo & breuis eſt. admoneo tamen vt in gratiam meam validiùs diligatur, meíque apud te curam vigere documento aucti circa ſe amoris intelligat.

Ad Helpidium. 79.

CVm ſæpe occaſionibus ad ſcribendū vtar incognitis, cōmitti in amicitiā puto, ſi domeſticis videar adſtinere. Libens igitur

Aërio honeſtiſſimo viro cultori tuo nũciã ſoſpitatis meæ paginã dedi, cui honorificentiam ſalutationis adiũgo: quæ ſola, & cùm dicitur, & cùm viciſſim refertur, munia familiaris explet officij.

* *Ad Helpidium.* 80.

PLenum relligionis officium eſt, quòd ſponte votum fratris anteuenis. Proximè igitur familiares noſtri ad equorũ coëmptionem cum preciis commeabunt: vt ex omnibus quàdrigis, quas ſcripſiſti eſſe vænales, præſtantiores curſu & genere pollentes defloret electio. Hæc autem tibi cura ſumenda eſt, vt præteritis éditionibus noſtris recens ludorum fama reſpondeat. Imprimis igitur hanc de te gratiam pero, ne magis numerum quàm merita perpendas. Nam cùm de Hiſpaniis copiam mihi equorũ ſpes certa promittat, hos quos de proximo polliceris ſecurior diligentia debet exercere.

* *Helpidio.* 81.

CVram noſtram Senatoriæ functiones ad votiua ſollicitant. Præturam quippe filij mei, ſi fors dictum iuuet, proximus annus expectat: cuius inſtruendi cauſa amicis noſtris negocium dedimus, vt equos ex Hiſpania lectiſſimæ nobilitatis edecument. Experiantur igitur ſuffragium tuum, ſi quid opis & fauoris orauerint. Decet enim te pro amore mutuo mecũ curanda partiri.

Helpidio. 82.

SIlentium meum etiam ipſe reprehenderem, ſi litteras tuas aliquando ſumpſiſſem. Itaque in altero arguere non potes, quod à te [a] admiſſum meminiſti. Ego tamen in hæc officia primus erupi; vt & te ad ſcribendi ſtudium cohortarer, & amicum meũ teſtimonij aſtipulatione proſequerer. Eſt enim eius induſtriæ atque probitatis, vt fauorem tuum iure mereatur. Pro quo ego petitor accedo, præſumens apud animum tuum noſtras litteras plurimum profuturas. Vale.

[a] *Lib. Scotti,* commiſſum.

Helpidio. 83.

QVòd epiſtolas meas condis, amoris eſt tui, qui deſcribenda neſcit deligere. Sed me fucus hic decipit. Nam præcipitor ad ſcribendi fiduciam, placendi ſecuritate: & tamen ſi [b] aliquando reſipiſco, nimis vereor, ne iſta ſimplicitas incidat quandoque in lectorem alterum tibi diſparem. Quare velim tibi habeas, [c] quę incondita proferimus: licèt eadem mei quoque librarij ſeruare dicantur. Sed illi per ignorantiam examinis, quod te facere

[b] v.c. ſiquãdo.

[c] v.c. quæ incogitata pr.

non oportet Mercurialis artis peritum. Nam mediocribus ſcriptis amicorum benignitas ſcit fauere, alienorum inuidia neſcit ignoſcere. Quod ſupereſt, oro iam venias, & præſentia tua honorem augeas feſtorum dierum. Nempe Mineruæ tibi ſolemne de ſcholis notum eſt, vt ferè memores ſumus etiam procedente [a] ætate puerilium feriatum. ad eum diem [b] conuiuium tibi paramus, agreſtibus holuſculis [c] partum; quia luxuries offendit deam ſobriam. Vale.

a v.c. æuo.
b v.c. conuictum. Sicque lib. Pith.
c fortè parcũ. lib. Pith. paſtum.

* Helpidio. 84.

INſidiaris infantiæ meæ, quam rego ſilentij verecundia. Nam ad elicienda reſponſa vêrurum, ſi adnuam, polliceris; cùm hoc tibi facere de proximo quàm ſpondere promptius fuerit. Mihi verò adipiſci gratum, ſperare prolixum eſt, & tamen volũtati tuæ pareo: nec vereor, ne temere à me effuſa verba in paginis librarij tui referas. Nam ſi quid horum, quæ apud te incurioſiùs loquor, cuipiam lectori nauſeam mouerit, non in ſcribendo diligentia diſplicebit.

* Helpidio. 85.

NOſtrorum duriciam ferre non poſſumus, qui cùm reliqua ſuperiora non ſoluerint, etiam penſionem proximi anni ferre detrectant. Idcirco quæſo vt cum homine meo quem ad exactionem noſtrorum miſimus, curam communicare digneris, relligioſam operam libenter adripias. Graue eſt enim nos quidem pro agris noſtris functionibus publicis eſſe munificos. Auctores autem loquor ne id quidem velle redhibere, quod ſciunt per annos ſingulos eſſe ſoluendum.

* Helpidio. 86.

NVllum tempus eſſe patior à meo officio feriarum. Meritò properanti ita tabellario curſim debita verba commiſi, quibus quęſo vt referendę viciſſitudinis curam capeſſas: licèt malim iam reditu tuo, quàm ſcriptorum honore lætari.

* Helpidio. 87.

NOn ex officij raritate amicorum relligio & cura pendenda eſt. plerumque enim ſcribendi cupidis deſit occaſio, nec tamen amicitiæ memoria temporali ſilentio conſeneſcit. Itaque [d] quod huc vſque conticui, voluntati meæ non debet aſcribi: multa enim ſtudium noſtrum fortuita impedimenta frænarunt. Sed vbi tempeſtiuam comperi facultatem, contuli in has litteras

d v.c. quod vſque.

mei circa te propoſiti atque amoris indicium; compenſaturus quòd hactenus ſilui frequētia litterarum, ſi me incentiuo quodā mutui ſermonis animaueris. Vale.

* *Helpidio.* 88.

ATtemptatam denuo valetudinem tuam meorum cura ſuggeſſit. quare ſollicitatus incertis emittere ſcripta non diſtuli; quibus vt læta reſpondeant, præſtabit diuina miſeratio. Erit igitur muneris tui, vt otio meo ſecuritatem tuæ ſanitatis adijcias. Vale.

Helpidio. 89.

ET rebus & litteris partes relligionis exſequeris. Nam & hominibus meis adminicula fauoris impendis, & me ſermonis tui honore participas. Ago igitur atque habeo gratias, daturus operam, ne officiis noſtris viciſſitudo vnquam diſſimilis iudicetur. Vale.

Helpidio. 90.

CVm ad filium meum ſcriberes, ſolùm me ſtili honore fraudaſti. Potui te ſilentij talione mordere, ſed amicorum negligētiæ numquam parem repono contemptum. Atque vtinam redditæ filio meo litteræ, nihil ex cōuentione fraterni debiti habuiſſent aſperitatis. Ego nequaquam mihi viderer omiſſus. Nūc duo pariter acciderunt, vt me & honor officij præteriret, & participata cum filio amaritudo percelleret. Vale.

* *Helpidio.* 91.

COrmianum littus acceſſimus. Hinc Puteolos mox petemus. Graue eſt enim ſub auribus Iudicis Baiiarum appetentiam confiteri. Habes ordinem propoſiti mei. Ipſe memento promiſſi, quo te ob cauſas publicas peregrinationis meæ fore ſolatium ſpopondiſti.

* *Helpidio.* 92.

ROmam regreſſus poſt legationis officiū ſumpſi litteras tuas. Quibus patriæ communi largas rei annonariæ copias pollicetis. Itaque gemino adfectus gaudio, & quaſi ciuis publica ſecuritate, & facti tui gloria quaſi frater exſulto, téque ad hoc ſtudium relligioſa exhortatione deſtimulo, licet bona volūtas, quæ ex ingenio venit, non ſit agitanda calcaribus. Ego lectione ſermonis tui ciuium noſtrorum curam leuaui. Neque enim ſileri debuit tam laudabilis [a] & certa promiſſio. Supereſt vt propoſito

Vide notas.

a *In v. e. erat*, & ceſta. *male.*

relligionis tuæ melior aſpiret euentus, & tibi in poſterum labori reſpondeat.

* *Helpidio.* 93.

MEdiolanum ſum miſſus à Patribus ad exorandam Principis opem, quam communis patriæ ſollicitudo poſcebat. Celerem mihi reditum præfata Dei venia res proſperæ pollicentur. Sed præſentia læta cumulabis, ſi per litteras mihi cognitio tuæ ſalutis acceſſerit.

Helpidio. 94.

ROmam rediſſe me nuncio. Atque vtinam ſanitatis quoque meæ index eſſe potuiſſem, quam labefactauit peregrinationis iniuria, & hyemalis aſperitas. Sed ocio redditus, ſpero meliora. Ipſe vt valeas diuina præſtabunt. Nam vt homines meos ſolito fauore tuearis, poſtulare non debeo; quum incitamentum ſpontanea officia non requirant. Vale.

* *Helpidio.* 95.

MAluerim quidem tuum ſolamen adipiſci, quia litteris ſecūdis ad gratiam locus eſt. Deſiderio tui ſcriptorum compenſatio ſatisfecit, maximéque iuuit animum, quod tecum bonam valetudinem rediiſſe in gratiam nūciaſti. Ipſe Formiis adhuc reſidere conſtitui, vt mitigatis autumni æſtibus ad ſuburbana concedam. Neque enim temporis mei ratio patitur, vt communem patriam mœſtus ingrediar.

* *Helpidio.* 96.

SI conditio temporis mei ſineret, votis me tuis etiam non rogatus ingererem. Qua in re certus animi mei aſſertionem verborum, ſicuti arbitror, non requiris. Nunc fortunæ meæ qualitas intantum nos à feſtiuis excuſat officiis, [a] vt ſolatia inſuper requirat aliena. Ergo quia in manu mea interim non eſt frequentare lætos conuentus, tuæ opis eſt leuare mœrentem. Quorſum iſtud inquies? vt fratrem meum Florentium, clariſſimum atque ornatiſſimum virum, peregrinationi meæ cohærere patiaris. Tantum peto, vt ab eo interpreteris ex hac commemoratione, quam mihi tribuit, quantum ex eius præſentia voluptatis habuiſſes.

[a] *Sic emēdaui. Nam v. c. habebat,* vt ſola inſuper requirit aliena. Ego quia.

Q. AV-

Q. AVRELII SYMMACHI EPISTOLARVM LIB. VI. INCIPIT AD NICHOmachi filios.

Symmachus Nichomachi filiis. I.

DE rebus liquidis atq; manifeſtis rectiùs natura quàm fama cõſulitur. Ergo in tenui Patriæ victu ſuperioris prouidentiæ laudem refotam non ex ore multitudinis, ſed ex ratione ingenij colligamus. Neceſſe eſt enim ſeros æſtimatores beneficiorum, cùm ſuccedant anguſtiæ copiis, diſſimulatam grãtiam conlatione ſentire. Et [a] plebes quidem noſtra paucorum ſtudiis antehac in odium tanti ciuis ſubacta, teſtatur propalàm pœnitendi correptionem. Collegarum verò notiſſimus peruicax liber ſinit fateri, quod cogit veritas iudicare. Quare tam citò afficiuntur rubore, & conuictorum ſimiles perferre nequeunt, quæ ſentire cogũtur. Sed hæc longiùs exſequi non eſt neceſſe. Sufficit enim rediſſe ad conciliationem famæ veſtræ publicum teſtimonium. Iuuat modò, & in patris celebri memoria ſolatium tuum, & in tua ſalute paterna reparatio.

[a] *Sic. v.c.* non plebs.

Nichomachi filiis. 2.

HIlaratus eſt mihi dies litteris veſtris, & feſtiuitatem natalitiã domus noſtræ deſideratus ſermo geminauit. Sed decurſa paginæ lectione conrugauit mihi frontem adiecta ſubſcriptio, quæ vos de peculio Petriniæ agitari iurgiis indicauit. Arbitror tamen ſi Marcianæ ſororis veſtræ non ſit clauda promiſſio, ſucceſſionis ambiguum domeſticæ poſſe remoueri: cùm ad examen meum, quod ipſa delegit, documenta negocij miſeritis. Quæ autem capita quæſtionum pars aduerſa cõmoueat, ſubdita numeratione ſignaui: vt ſancta vnanimitas veſtra informata oppoſitis, inuicem pro ſe reſpondenda meditetur.

Nichomachi filiis 3.

PRæfato opus eſt, ſi ardua poſtulentur. Pronis ac facilibus admoueri ambitum non oportet. Breuiter igitur & ſtrictim quid frater meus Fuluius de vobis fauoris poſcat, aduertite. Sororem

Pompeiam olim viro maturam te auſpice in manum optat accipere,nec genere minor, & re fortaſſis vberior. Nam laudabilis vitæ eius artes,& ex bonorum amicitiis ſpes ſecundas,intet ſpõſalia ornamenta non numero. Sibi enim quiſque habet quicquid ſpei & laudi ducitur. Mihi autem tanta eſt perficiendæ coniunctionis huius antiquitas, vt in graui dono habiturus ſim, ſi illius votis cuta veſtra profuerit. quum igitur res incœpto [a] honeſta,& factu facilis poſtuletur: quæſo vt in promouendo negocio quantum me velle coniicitis, adhibeatis induſtriam.

a *Vulgo*, noſtra *malè*.
b *v.c.* honeſta, effectu facilis.

* *Nichomachi filiis.* 4.

ÆGritudinem meam, quam dexteræ manus dolore ſuſtineo, nunciorũ acerbitate duplicaſtis. Acrior autem me cura diſtringit, quòd ſcio filiæ meæ ciborum & potuum continentiam non poſſe ſuaderi. Anxius igitur vulnere animi & corporis morbo, vſque ad ſubſcribendi poſſibilitatem litteras differre non potui: ſed dictatione properata magis ſollicitudini meæ quàm conſuetudini ſatisfeci. Et primò vt timorem meum reſponſis leuetis exoro. Dehinc te domina filia precor, vt ſaluti aduerſa declines, & interpellatam totiẽs valetudinem repates auxilio temperantiæ. Quia non ſolùm ſanitati [c] commoda, vetumetiam ad teſtimonium prudentiæ pertinet noxiis abſtinete.

c *Forte*, commodat.

* *Nichomachi filiis.* 5.

SEuerianum primorẽ Liternina vrbis à publica interpellatione reuocaui, ne ſancto amico noſtro Seuero inuidiæ aliquid conqueſtio eius adferret. Promiſi autem media vnanimitate tua, decus noſtrum, ſi quid inter eos concertationis eſt, poſſe finiri. atque ideo quæſo, vt viro optimo Seuero terminendæ apud te litis auctor eſſe digneris. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 6.

TAnquam adhuc negociorum veſtrorum neſcij agendis rebus formulas præfiniſtis. At ego vnanimitati veſtræ vtriuſq; exitũ cauſæ iampridem retexui. Et quia credo in manus veſtras per milites vicarianos delata quę ſcripſeram, meritò enarrata & comperta non repeto. Hoc ſolum etiam nunc notitiæ veſtræ
* oſtẽtationis pudore ſubtraxerã, miſiſſe me nec . . . litteras, quibus amici de Tutoris fraudibus inſtruãtur. Et puto, ſi fors incœptum iuuet, decernendum aliquid, quo frangatur obnoxius. Quòd verò iter ad proxima vrbi prædia diſtuliſtis, quamquam veſtri cu-

cupientiſſimus, improbare nõ poſſum. Allegatis enim piam cauſam morarum, atque deſiderio neceſſitatẽ religioſæ affectationis antefero: haud etiam morantibus vobis aliqua inuitatio nos potiùs in Campaniam poſſit educere. Sed hoc relinquatur euentui. Nos interim mutua deſideria ſcriptione foueamus. Solatiis enim leniendus eſt animus, quotiens protelantur optata.

* *Nichomachi filiis.* 7.

TAburnius euocatum me eſſe non ſiluit, & fortaſſe miremini [a] nihil ſuper ea re meis paginis indicatum. Sed multis ac neceſſariis cauſis domi manere decreuerã; inanis eſſe operæ iudicaui, irrita ad vos diſſimulata perferre. Credo autem ſanctæ vnanimitati veſtræ incomperta non eſſe, quæ me peregrinandi cõſilio retraxerũt. Nam & fractam valetudinem meam noſtis, & vnici mei [b] ſolitudinem, & eruptionem fluminum vſque ad metum diluuij comperiſtis. Pontium quoque ruinas, & montium labes apud vos, vt arbitror, fama non tacuit. Ex quo factum eſt, vt ceteri quoque veniam poſtularent, quos ſimilis accitus exciuerat, prȩter Arcentium & Euangelium: quorum alterum vigor adoleſcentiæ, alterum incautus animus obiecit incertis. Intelligo vos profectione hominis non amici poſſe terreri. Sed vt ſcrupulum hunc reiiciatis admoneo. Nam & meis litteris multa curata ſunt, & proficiſcentibus datum negocium eſt, vt æmuli obtrectatio repellatur. Quare curarum vacui agite ocium: méque, vt facere dignamini, ſcriptorum aſſiduitate refouete.

a *In v. c. erat*, nihil ſuperare meis.

b *Fortè leg.* ſollicitudinẽ.

* *Nichomachi filiis.* 8.

REdditæ ſunt nobis litteræ veſtræ, cùm in Hoſtiẽſis viæ ſeptimo degeremus. Et ilico per illuſtrem virum Vicarium petitu meo actorum proceſſit editio. Sed puer veſter inconſultis atque ignorantibus nobis vrbe diſceſſit, vt eſt ſeruis familiaris improbitas. Veſtra in manu eſt, vtrum hoc inultum eſſe patiamini. Interea filiam meam iactari inſtaurato languore non ſiluit. Cuius nuncij vulnus altè [c] incidit pectori meo: nec abolebitur metus, niſi mutua ſcriptione fidem ſanitatis eius accepero. Facite igitur oro vos, vt formidinem meam ſecuritas protinus reportata commutet. Vale.

d inſedit.

* *Nichomachi filiis.* 9.

FRater meus Cenſorinus de confinio Balanorum Prætoriorũ conqueſtionẽ tentat iterare, quam didicit inter me & actores

Confer epiſt. 11. j. hoc lib. 6.

filij mei Pompeiani dudum eſſe finitam. Adhibiti namque inſpectores [a] muro, qui inter ædes à ſummo monte deſcendit, diuidi loca noſtra dixerunt: quorum iudicium nouus poſſeſſor credit poſſe reſcindi. Quæſo igitur adhibito Felice amico noſtro & Caſtore, veri arbiter eſſe digneris, [b] & ſanctitate tua coram locata inanis attemptatio comprimatur. Dehinc cum fratri meo Cenſorino ſatisfecerit præteritæ iudicationis aſſertio. Tunc operi eius & molitionibus nouis decem tantùm pedũ vltra ædificia ſua permittatur adiectio: ita vt partium fines, & placito comprehenſus adſenſus, & conſtructio interiecta diſcriminet.

a *Al.* muri.

b *Lib. Pithœi*, & ſancto cœtui coram.

* *Nichomachi filiis.* 10.

ROgatos nos eſſe audio ad officium Cõſulare. Mihi quieſcere & domi manere ſententia eſt poſt anni ſuperioris laborem. Ipſe quid ſtatuas, altiùs cogita, & ſapienter expende. Præſumo autem eos, qui dicũtur acciti auctoritate præcelſi viri, edecumatos eſſe, & his vnanimitatem tuam conſultò eſſe ſociatam; vt ad agendas gratias ſub occaſione officij Conſularis excurras. Verendum autem eſt, ne ſi excuſandum putaueris, proximi reſcripti impetratione videaris offenſus. Et fortaſſe, quantùm de incertis ſperare fas eſt, error iſte, cùm fœliciter adfueris, corrigetur. Hiſpanum nõ comperi rogatum eſſe. Cõſidera igitur euentũ vtriuſque partis. Ego denuo denunciabo, ſi quid ſuper hoc nouæ cognitionis acceſſerit.

* *Nichomachi filiis.* 11.

MVlta mihi ad vos ſcribenti pauca reſpondes: & moleſtè fero mandatorum veſtrorum calere principia vſque ad ſollicitudinem meam, mox autem per ſilentium frigere proceſſus. Fortaſſe [c] quæratis quid etiam nunc referri [d] in notitiam meam poſtulem. Capuanæ domus precium ſcripſeram cum venditore deciſum. Nihil de eius confirmatione reſcribitis. Samniticæ poſſeſſionis reformatio & vindicta mandata eſt. Tantùm vacuatos dotibus agros ſerò docuiſtis. Adhuc tamen neſcio quid exhibitio iniuncta profecerit: cuius me expectatio [e] rus ire non patitur. Vereor enim ne quod ſæpe factum eſt, clandeſtina aliquid temptet obreptio. Quare aut inſtruite quid ſuperſit negociis explicãdis, aut ſi res in vado [f] ſint, viam mihi vſurpandæ ſeceſſionis aperite. Cum fratre meo Cenſorino non moleſtè fero ſub quolibet diſpendio noſtro de littoralibus ſpatiis iudicatum. Reſtat

c *Al.* quæratur.

d *In v. c. legitur*, innocẽtiam meam. *quod vitioſum putaui, & id confirmat lib. Pith.*

e *Lib. Pith.* neſcire non.

f ſunt.

Confer. epiſt. 9. & 5. huc lib. 6.

vt interiectu muri Prætoria diuidantur: ne ceſſante indicio iudicationis, rurſus vicinæ anguſtiæ in alios ſeſe terminos nitantur extendere. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 12.

AMici litteris delectatus, quarum me lectorem eſſe voluiſti, & velim credas nihil eum de vſurpandi animi remiſſione [a] mentitum. Mihi vir illuſtris Iudex Prætorianus ob conlationẽ Senatus, & alia remedia vrbis Auguſtæ denunciauit offenſas; contriſtatus, vt aſſerit, Curione, quo Præfectus Vrbi ludorũ Imperialium die, cùm à Senatu Curio nobis præſentib⁹ poſceretur, oblationem communem populo publicauit. Hæc omnia ad deſtruendam promiſſorum ſuorum gloriam compoſita ſuſpicatur, & in me ſolum, quia hoc referentibus placet, vertit inuidiã. Reſpondi, vt potui dignitate ſeruata, eius calori. Et quantum legati Orientales aſſerunt, quibus ipſe ſcriptorum meorum fecit indicium, cunctis reſponſa noſtra placuerunt. Sed ne ratione & auctoritate victus ſileret, molliores poſteà litteras miſit, parem quetimoniam continẽtes. Horum tibi omnium tradetur exemplar, vt noueris quibus fluctibus perſtrepamur. In negocio autem ſanctæ vnanimitatis veſtræ, quod præceptio iterata commouit, conſilio trahendæ ſolutionis vtendum eſt; & pars quæ ad germanum tuum pertinet, ſubijcienda actioni: vt huiuſm̃odi iniuria factum iuuenis exaggeret, aut expleat voluntatem. Sed ſcire deſidero, quæ potiſſimum prædia, ad ius ſancti fratris tui pro parte pertineant: ne per ignorantiam, iuris tui corpora apparitionis error adtrectet. Fratrem veſtrum Romæ tantiſper tenebo, [b] quoniam ſubſidia annonæ in dies viginti oblatio [c] prorogauit. Moleſtè igitur filia mea ferre non debet, ſi iumenta itineri eius deputata [d] tardauêre. Cetera Cumazon filius meus, vel quærentibus vobis, vel ſponte narrabit. De legatione mittenda ob anguſtias frumentariæ rei, vſque ad reditum viri excellentiſſimi Comitis tractatus publicus differetur. Conſilium ſanctitatis tuæ ſalubre mihi viſum eſt. Itaque datis ad homines meos litteris, ſtatim iuſſi ex re noſtra Apula ad Campaniam [e] frumenta deferri. Vale.

a *In v. c.* mẽtium. *Sed malè vt puto. Vide notas.*

b *Libr. Pith.* quo ſubſidia.

c prorogauerit.

d tardauero. *Comazon dicitur* j. *hoc libr. epiſt* 42. *& epiſt.* 66.

e frumentũ.

Nichomachi filiis. 13.

ASſiduitas epiſtolarum ſuperiorum ſcribenda conſumpſit. Sola nũc ſupereſt ſalutationis relligioſa generalitas. Et ſanè ſi qua ſuppeterent paginis proſequenda, commeanti rectiùs cre-

Lib.Sc. recipiendis. derentur. Tunc enim ſtilo indulgendum eſt, cùm [a] perficiendis mandatis proficiſcentium perſona non ſufficit. Nunc ſi quid ſcitu dignum putabitis, ſine noſtri ſermonis excurſu pleniùs à commeante diſcetis. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 15.

Vide notas. DVbitare vos video an Rufini pœnam ſecuta ſit etiam publicatio facultatum. Fides præſto eſt Imperialibus ſignata præceptis. Et tamen prædonis annoſi merita pendentibus non fuit ambigendum, quòd ſpoliare vrbis deſideraret ærarium. Atque vtinam tanto gaudio non obſtreperet defectus annonæ, quam nulla producit nouæ frugis acceſſio. Præterea ipſius cibi qualitas gignit horrorem, corrumpit valetudinem corporum: grauiorq; eſt hominibus talis alimonia, quàm pœna ieiunij. Solatur inter hæc populum ſpes frumenti à Patribus oblati, & relligioſa optimatium voluntas tenet concordiam ciuitatis. Nunc votis opus eſt, vt diuina opitulatio inuehat commeatus, dum ſalus ciuium priuata conlatione producitur.

* *Nichomachi filiis.* 16.

IN eas anguſtias communis Patriæ fortuna deducta eſt, vt extrema vitanda ſint. Itaque fratrem veſtrum continuò ad vos opto dimittere, cui Baſternarios mox præbere dignemini, vt feſtinationi eius iumentorum adminiculis adiuuetur. Ceterùm filiam meam vexari itinere, ſicuti antè ſcripſeram, non oportet.
b Quare. [b] Quoniam poſt incommodũ graue valetudo eius ocio & quiete refouenda eſt. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 17.

PRæuidi quem metum meæ ægritudinis vobis fama poſſet incutere. quæ cùm ſoleat ſupra verum de abſentibus loqui, magnitudinem periculi mei ne fando quidem videtur æquaſſe. Itaque vbi primùm mihi formare litteras per valetudinẽ licuit,
c euulgata. non diſtuli lenire apud vos ſtilo, quæ [c] vulgata credideram. Et quamuis modificandæ ſollicitudini veſtrę prior ſermo ſufficeret, ad fidem tamen ſecuritatis atteſtatio ſecunda proficiet. Interea de ordinando reditu facite nouerim quid conſilij cœperitis. Fa-
d *Libr.Pith.* molliore. teor enim [d] molliorem me eſſe affectione poſt diſcrimen ſalutis, nec vlteriùs poſſe ſuadere, vt deſiderio meo veſtrum ocium præferatis.

* *Nichomachi filiis.* 18.

AMicitia animis non annis æſtimatur. Rudis igitur tibi eorũ non videatur affectus, quorum in te cultus annoſus eſt. Hoc eo ſpectat, vt noueris Auxentium & Marianum filios meos prudentiſſimos iuuenes inter laudatores tuos priore loco cenſeri; atque ideò non cognoſcendos nouo aditu, ſed amoris fœdere & relligione recolendos. Nunc illis proficiſcendi attulit cauſam medicorum coactu imperata curatio. Nam Stabias ire deſiderant, vt reliquias longæ ægritudinis armentali lacte depellant. Sed maiorem iudicant in tuo congreſſu eſſe medicinam. Tibi igitur aſſignabitur eorum ſanitas, ſi remediis herbarum ſalubrium fomenta benignitatis adieceris. Vale.

Nichomachi filiis. 19.

a PAſtori noſtro à Campania reuertenti, largiora de domeſticis rebus mandata, quàm ſcripta commiſimus. Plura igitur auribus, quàm lectione noſcetis. Horum pleraque ad ſtatum pertinent Patriæ, quam defectu alimentorum grauiter laborantem periculoſum eſt inhabitare, impium & crudele deſerere. Vale.

a *v.c.* Caſtori noſtro ad Cãpaniam r. l. mandata domeſticis reb⁹ quàm ſ.c. *Caſtoris antẽ mẽtio eſt lib. 8 ep. 15.* j. *& li. 10. epiſt. 43.*

* *Nichomachi filiis.* 20.

GErmano Taburni, cui me auxilio eſſe voluiſtis, etiam ſalutis dubius affuiſſem, ſi eorum præſentiam fors dediſſet, quos ex vſu eius oportuit conueniri. Satisfaciat igitur vnanimitati veſtræ animus meus, etſi voti efficaciam negauerit euentus. Ipſe adhuc inualidus, ſed iam præfata Dei venia conualeſcendi ſecurus hæc ſcribo, tantóque magis aſſurgo viribus, quanto mihi celeriorem ſanctitatis veſtræ reditum ſpes vicina promittit. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 21.

DVdum ſanitatem filiæ meæ integratam eſſe reſcripſeras. Mox ſequentibus litteris ſollicitudini noſtræ recidiuum aculeum ſubdidiſti. Conflictor igitur nuncio recentiore, quia magis aduerſa creduntur. Expecto anxiè, vt ſi quid boni dies attulit, indicetis. In eo autem quòd vos diſceſſus noſter excruciat, habitum mentis meæ agnoſco: ſed adhuc deſideriis mutuis præſtat ſuadere patientiam, quàm pœnitendum aliquid per imbecillitatem affectionis ordiri. Mox cùm germanus tuus de

proximo, vt ais, ſperatus affuerit, & fœlicem vobis & neceſſarium reditum diuidendæ inter vos communionis cauſa præſtabit. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 22.

FRatris mei Entrecij ſpectabilis viri liberos impatientia paterni amoris acciuerat, quibus properandi cauſas inopia vrbis adiecit. Atque ideo recurſum ſine iuſti temporis expectatione moliti ſunt. Quapropter dum nauigatio intractabilis eſt, in oris Campaniæ pauliſper hærebunt. Sed ne peregrinationis amara ſuſtineant, humanitas veſtra præſtabit. Qua re vicem meam ſuſcipe: vt qui nunc à nobis neceſſitate diuulſi ſunt, animũ ſe meũ in te reperiſſe lætentur.

* *Nichomachi filiis.* 23.

Huius epiſtolæ pars tantum antea fuit excuſa.

DVra commotio eſt, quam gignit iniuria, ſed mollire debet dolorem medicina patientiæ. Nec deeſt vobis vſus aduerſa tolerandi. Nam crebrò ictum fortunæ ferre didiciſtis. Quòd ſi in ſecundis rebus ageretis, iure inſolitis malis fœlicitas læderetur. Hæc eo ſcribo, vt miratum me ſcias, quòd conſtantiam tuam lis priuata mutauerit, quam ſub affiniũ nomine (vt opinio mea eſt) Bajani littoris [a] perſultator animauit. Sed illi aliud mercedis erit. Cauſæ autem veſtræ propugnaculum iudiciale non defuit. Impetratum quippe eſt ab altero cognitorum, ne impune ſit quod deſignauit apparitor: ab altero vt hæreditas tuta præſtetur. Ipſam quoque dominam quæſtionis, quum ſe [b] ab agro receperit, admonebo, vt aut deſiſtat incœpto, aut ſibi grauiora eſſe ferenda nouerit. Hæc de rebus domeſticis dicta ſint. Patriæ verò noſtræ inter cetera frumentariæ penuriæ mala legationis ambitus nequiorem facere ſubdidir. Nam principio Poſthumianum & Pinianum [c] duos aulæ ſummates iunxit electio, ſub ea expreſſione iudicij, vt in ipſis ſolis plena eſſe legatio diceretur. Interiectis diebus, cùm mandata ordinis tractatus expenderet, Paulinum illis ſtudia priuata iunxerunt. Hinc orta certatio vſque ad nefarias pugnas me abſente proceſſit. Pudet dicere, quæ in ſe optimates Senatus crimina & maledicta proiecerint. Sed dirimendas partiũ quæſtiones meo dicuntur detuliſſe iudicio. Fors viderit, qui finis cauſam publicam maneat. Interim Senatus fama laceratur, & infortunatis etiam crimen acceſſit. Si in manus meas venerint monumenta

a *Lib. Pith.* perſulcator.

b *v.c.* ex ag.

c *v.c habebat,* duobus aulæ ſummatibus iunxit.

Iunge epi. 27. j. huius lib.

monumenta geſtorum, legendo noſcetis, quæ verborum meorũ verecundia noluit explicare.

* *Nichomachi filiis.* 24.

DEbui litteris abſtinere, ſpectabili viro filio meo Decio commeante, qui de nobis apud relligionem veſtram plura narrabit, quàm poſſet paginarum textus amplecti. Sed iucũditatem, quam vobis tribuet fraterna præſentia, ſtilo augere non piguit. Idcirco vnanimitati veſtræ honorẽ ſalutationis impertio, vt aduentus mei expectatio oris munere mitigetur.

* *Nichomachi filiis.* 25.

SApricius vir ornatus ac mihi familiaris diligentiam ſanctæ vnanimitatis tuæ ſine adſtipulatore meruiſſet. Sed quia primus aditus ſero commendat cognitos, facilitatem ſibi promerẽdæ familiaritatis tuæ per me optauit aperiri. Dignum eſt igitur vt cupidiſſimum tui obuio amore ſuſcipias, & amicitiam poſtulatam non in longi vſus tentamenta procraſtines, ſed ſtatim parili voluntate deſiderio aduentantis occurras.

* *Nichomachi filiis.* 26.

ZEnodorus filius meus nondum te conſuetudine [a] propiore cognouit, ſed fama conciliante iam ſuſcepit. Nam cum properè Lucanos ac Brutios petat honore cogẽte, nihilominus in cõſpectu tuum flexo itinere geſtit excurrere. Hunc in amicitiam tuam tamquam [b] myſtagogus induco, atque in me recipio dignũ eſſe diligas. Si quid igitur Parentis teſtimonio tribuis, adultam mox apud te relligionẽ primus aditus aduẽtantis inueniat, eámque continuò experiatur facilitatem pectoris tui, quam ſcit numquam delatam eſſe nouitati.

a *Sic malim leg. quàm vt eſt in v.c.* propitiore.

b Vide hic *notas.*

* *Nichomachi filiis.* 27.

DIu mecum ipſe contendi, vt ad vos pignus commune dimitterem: ſed vicit affectio, maximè adſurgente ſpecula proficientium conditorum. Nam viginti dies vrbis alimoniis parca interim promittit expenſio. Præterea ampliſſimi ordinis ſecunda collatio acceſſurum ſecuritati aliquid pollicetur. Nihilominus etiam carnis oblatio animos Romanæ plebis erexit. Redire igitur ad nos iumenta præcepi, agens gratias quòd neceſſitatem fratris veſtri congruis adminiculis iuueritis. Legatorum adhuc vacillat electio. Nam Poſthumiano & Piniano, quos à principio mandatis ſuis Senatus agnouerat, tertius Paulinus aſſeritur, & di-

Coniunge epiſt. 23.ī hoc lib. 6.

uiſis in ſtudia partibus adhuc differtur vtilitas, quæ cùm terminum confirmationis acceperit, plena ad te cognitio deferetur. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 28.

VBeriùs ſcribendum eſt, ſi commendentur incogniti. Iuſtini autem grauiſſimi atque honeſtiſſimi viri antiqua nobiſcum familiaritas conciliationis adminiculum non requirit. Satis eſt igitur, ſi ei amorem ſolitum deferatis. Quæ verò ad nos pertinēt, & proximè vnanimitati veſtræ litteris indicata ſunt, & nunc ore ipſius pandentur.

Nichomachi filiis. 29.

SI quid homini tutum eſt, in ſpem vitæ rediſſe me nuncio poſt internorum dolorem, [a] qui me vobis repentè ſubtraxerat. Si quid igitur vobis aſperum famæ licentia nunciauit, antiquet obliuio. Præcipuè autem de vobis impetratum volo, ne improuida ſollicitudine recurratis. Sed quia res verſa eſt ad ſalutem, iuſtis itineris dimenſionibus communi deſiderio ſatisfacere dignemini.

a *Lib. Pith.* qui uobis repentè ſubrepſerat.

* *Nichomachi filiis.* 30.

DIcendæ vobis ſalutis occaſio & quærenda eſt mihi ſæpe ſi deſit, & amplectenda ſi præſto ſit, eo maximè tempore, quo de filiæ meæ ſanitate ſollicitor, cuius valetudinē credo etiā ieiuniis ſociatā. Abſoluite igitur metū noſtrū nūcio proſperorū. Mihi etiā nūc greſſus infirm⁹ eſt. Sed ſi optata de vobis mutuus ſermo pertulerit, protinus corporis mei querela ſedabitur. Non omiſerim iungere huic paginæ, quod Martinianum conuentio iudicialis expulerit, cui tantus terror incuſſus eſt ob omiſſam diu ad Gallias profectionem, vt ei neceſſe fuerit itinere priuato exhibitionis iniuriam. De Atellano quid fieri velimus, amico interueniente quæſiuit auditor. Reſpondi poſt iudicium Sacerdotis ſolam me expectare vindictam conflatæ nuper inuidiæ. Nihilominus in arbitrium tuum ſtatuenda reieci. Quæſo igitur vt inter feriarum moras quid facto opus ſit, digneris aperire, ſimúlque cogites contra interventum tot Antiſtitum quid poſſit magis quàm quid debeat impetrari. Neque enim iuſtitiæ & innocentiæ deferri plurimum poteſt, cùm illis reuerentia religionis opponitur.

* *Nichomachi filiis.* 31.

POſtquam dimiſimus puerum, multus rumor increbruit ſanctitatem tuam ſacris litteris euocandam: ita vt etiam nomen Gratiani cuiuſdã, qui huiuſmodi ſcripta perlaturus aſſeritur, in publico ore verſetur. Hoc etſi adhuc mihi incertum videtur, tacendum tamen eſſe non credidi. Erit ſummæ diuinitatis, ſtatuere circa vos & confirmare ordinem proſperorum.

Nichomachi filiis. 32.

[a] VIr clariſſimus Principius, genere & probitate conſpicuus, commendationem non requirit alienam, cùm tui quoque in ſe amoris atque iudicij teſtimonio glorietur. Cuius bona latiùs explicarem, niſi eſſet operæ [b] redundantis cunctis nota replicare. Hoc vnum adiecisse ſufficiet, quicquid illi honorificentiæ tribueris, ad omnes bonos, qui eum diligunt, peruenire.

a *Sic v.c. vulgo tamen leg.* Vir Cõſularis, præcipuus genere.

b *Sic v.c. vulgo leg.* redundantis cognita repl.

* *Nichomachi filiis* 33.

IN ſuperbano dego ſeceſſu. Nam & vrbanarum tædet moleſtiarum, & villæ autumno commodæ iucunda inſtauratione delector. Præterea frequentiam mihi, quæ ſola Romæ honorabilis iudicatur, amicorum præſtat aduentus. Sed nòn mediocriter nepticulæ meæ Gallæ infirmitas contrahit ocij noſtri ſecuritatem, de qua vt maturè votiua & commoda nũcietis opitulatio diuina præſtabit. Tibi autem Domina filia quantum indies ſingulos refectionis accedat, quæſo curæ habeas indicare. Erit hoc teſtimonium religioſi in me animi tui, ſi & cõſulueris ſanitati, & in notitiam meam placitura pertuleris.

suburbano

* *Nichomachi filiis.* 34.

SI qua adhuc de Sicilia ſperamus, incerta ſunt. Nam cùm litteræ Euſcij nunciauerint dudum Circi & ſcenæ artifices nauigaſſe, & nunc de aduentu eorum rumor in operto eſt, atque ideo apparitorem placuit poſtulari, qui peragratis vbique littoribus explorata in aures noſtras reportet. Creuit autem cura ludorum, poſtquàm frequentibus ludis relationem de Amphiteatro promerendo populus poſtulauit, qui mox Iudicis impetrauit aſſenſum. Dei nutus efficiet, vt ſuper his etiam diuini Principis concordet auctoritas.

* *Nichomachi filiis.* 35.

FRater veſter diu animi affectus dolore ob amiſſum magiſtrũ, cœpit aurẽ præbere ſolãtibus, cuius mœſtitudo me quoq; gra-

uiter ſauciauit præter cogitationem,quæ nos de eligendo præceptore ſollicitat. Si igitur placet communibus litteris ab illuſtri viro Adriano Gallum rhetorem,quem proximè Euſebius noſter ingeſſerat, poſtulemus, ne pignorum noſtrorum indoles in profectu deſeratur.Me futuræ æditionis & labor & ſumptus exercet. In diſponendis enim præmiis quamquam numero veſtium ſatis affluam,nonnulla adhuc deeſſe apparatui deprehendo.

* *Nichomachi filiis.* 36.

QVamdiu iactata rumoribus tempore deferuntur, curarum vacuus ociare.Si quid auditu dignum fideque ſubnixum recentior ſermo peruexerit,neque nunciandi neque ſuadendi [a] partibus abſtinebo.Vnum hoc ante rei neceſſitatem de meo ſume conſilio,nulla ratione te poſſe euocationis honorificentiam deprecari. De fratre autem veſtro præter mandatum nihil etiam nunc opinionis accepimus. Ipſi hæc de nuptiis Hoſtienſibus,ad quas nos viri illuſtris Saluſtij filius iunior euocauit, contulimus in paginam. Sed continuò ob ludorum præparationem Roma repetēda eſt.Diu enim mihi iſta curanda ſunt: quæ facilè, ſi adeſſet ſanctitas veſtra, communis diligentia poſſet abſoluere. Vale.

[a] *Malim leg.* partibus.

* *Nichomachi filiis.* 37.

CVm mihi ſacræ litteræ redderentur,quibus ad officium præcelſi viri Cōſulis euocamur,vidi alias æquè ad tuum nomen emiſſas,quibus te honorificentia Imperialis acciuit. Conſulis quoque ſcripta idem agēs in rebus exhibuit.Suadeo igitur vt maturè iter inſtruas,cui nō cohęrebit Hiſpanus. Aliud quoque acceſſit,quod te poſſit hortari.Nam vir illuſtris frater meus Neoterius,domini fratris mei admirator,ad eandem cauſam rogatus ſolatia tibi & adiumenta præſtabit. Nolo igitur ambigas, cùm ſcias auctoritate præcelſi viri, electas amicorum eſſe perſonas, ſibique hæc prima,poſt dubia fortunæ diuinæ Principis alloquia differri. In negocio autem tuo, quæ per me agi volueras apud ſanctū Tribunum non inuitus ingredior.Interea ad Formianum littus inter promoue, vt cùm ad te delatæ litteræ fuerint,Romā citiùs excurras. Vale.

Longe epiſt. 10. l. hoc lib. 6.

* *Nichomachi filiis.* 38.

DIctionem ſalutis antefero, quæ & voto meo ſupra omnia conuenit,& litterario debetur exordio. dehinc diligētiæ tuæ

domina filia, natalitium fratris tui commendo conuiuium. Homo enim noſter allegat fuga nautarum littora deſtituta. Quæ nos compulit, vt ſanctitati tuæ factu minora committam. De publicis ſcribenda non ſuppetunt, abſque eo quòd in Trajani platea ruina vnius inſulę preſſit habitantes: quod adeò ad fortunam vehiculi publici plebeia vertit inuidia, vt iam priuato rectore vtatur. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 39.

AMicus noſter Seuerus moleſtia publica liberatus in patriæ ocium reuertitur, quem mox apud fratrem veſtrum vicariū ſpectabilem virum, & ſanctitatis tuæ pagina, & veteris inter eos amicitiæ iuuit agnitio. Mea circa Prætorios apparatus cura crebreſcit. Quod eò ſcribo, vt intelligat vnanimitas veſtra adminiculi ſui ſocietatem deſiderari. Nec ſum imperioſus exactor, vt qui ſciam neceſſitates meas poſt veſtrum commodum collocandas. Sed ſi benè æſtimo, ſatisfacient vobis ad refectionem pręſentis menſis induciæ. Paucis habitum propriæ voluntatis expoſui, quid facto opus ſit veſtro relinquo iudicio: vt ſit vobis laudabili*, mihi gratius, quod ſpontaneus affectus elegerit.

* *Nichomachi filiis.* 40.

MIror pueros veſtros, quos diuerſis diebus ad ſanctitatem veſtram miſimus retardari, nec tamen vſum ſcriptionis omittimus, ſcire cupientes quantum refectio veſtra profecerit. Incunctanter igitur expectationi noſtræ ſatisfaciat recurſus alloquij. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 41.

PRima mihi voluptas eſt ſciſcitari, quem ſtatū ſanitatis habeatis: in ſecundis reliqua conlocabo. Quod dudum requirenda duxiſtis, grauibus ciuitas ſollicitatur oſtentis, quorum leuiora prætereo. Illud ante omnia interpretatio triſtis horreſcit, quòd natali vrbis ſuffectum Conſulem currus quo vehebatur euoluit per ferociam bigarum, quæ triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, & Conſularis inſignis ornatu fracto crure ſublatus eſt. Offendit me infauſta narratio, atque ideo in hac expoſitione ſeruabo breuitatem. Tibi in dies ſingulos decus noſtrum domi foriſque fama florentior eſt. Et præſentium quidem rerum nos teſtes ſumus. Externa iudicia Cęcilianus aſſeruit, à quo ſigillatim relata enumerare faſtidium eſt, cùm in ſumma gloriæ tuæ cun-

ęta conueniant. Dominam filiam meā ſalutatam cum dulciſſimis nepotibus volo, quę de contexendis in apparatu ludorum veſtibus relligioſè à nobis voluit commoneri. Sciet igitur ex ſubditis quid in ſupplementum Prætorię largitatis oporteat pręparari.

* *Nichomachi filijs.* 42.

MAlè eſt animo, poſtquam filiam meam comperi conſueto dolore vexari, & iter ad vos inchoare voluiſſem, niſi & me grauedo capitis, & Symmachum noſtrum febris inopina retineret: cuius corporales querelas præſtat ſilere, ne ſanctitatis veſtræ ſollicitudo geminetur. Et certè frater meus Comazon, deſiderio veſtro vrbe digreſſus, cumulatiùs quę tacemus expedier. Poſtulare non debeo, quod ſponte facietis, vt curarum noſtrarum magnitudinem ſcriptis lætioribus comprimatis.

a Huius meminit 5. hoc lib. ep. 12. & 7. ep. 66.

* *Nichomachi filiis.* 43.

EVſebij nuper litteras ſumpſi, quib' aurigas noſtros & aliquos ſcenicos naui impoſitos, & ſecundum pręceptum meum miſſos ad Campaniam nunciauit. Iubeat igitur ſanctitas veſtra diligentiſſimos ſcrutatores vſque ad Salernitanum littus accedere; vt ſuſceptos Neapolin proſequantur, vel aliquod de aduētu eorum ſcrutentur indicium. Felicem quoque communem amicū monitum volo, vt ſi Campaniam fœliciter venerint, annonis & ſumptibus adiuuentur, continua ad nos nauigatione mittendi: quia longè ante ludos & ipſos iungendis equis erudire debemus, & nouitati eorum fauorem plebis allicere. Summa igitur petitionis meæ hęc eſt, vt ad homines veſtros inquiſitio eorū & peruectio [b] celerata pertineat.

b fortè, accelerata.

* *Nichomachi filiis.* 44.

CRocodillos theatrali ſpectaculo publicatos in præſentiam veſtram ſeruare tentauimus: ſed perſeuerante inedia, quę illos per dies quinquaginta producta macerabat, ſecundis ludis congreſſionum more confecti ſunt. Duos etiam nunc ſperantes in veſtrum differemus aduentum: licet eos cibi abſtinentia longum viuere poſſe non ſpondeat. Vale.

Nichomachi filiis. 45.

REddundantis eſt operæ memorē commonere. Sed ſuſcepta amicorum negotia nequaquam nos modum ſeruare patiūtur. Quare vt amici communis Herculi $\overline{VC}$. votiua mādata acriter exſequaris, orare non deſino. Facit autem cum ſtudio ſanctæ

vnanimitatis tuæ aſſenſio propinquorum. Siquidem filius meus Valentinus aſſeruit ſe quoque conſultum litteris Iuliani, eadem quæ volumus, de nuptiarum pactione ſuaſiſſe.

Nichomachi filiis. 46.

POſtquam te iactatum comperi dolore conſueto, omnis reliquarum ſollicitudinum mearum ſenſus euanuit. Nam vt ait Hippocrates, Præſentia hebetantur incõmoda, ſi cui dolor maior acceſſerit. Expecto igitur vt accepto de te indicio lætiore, in priores reuertar curas. Cetera in hac conſternatione animi mei tanquam intempeſtiua prætereo: & tamen commonitorium iunxi, quod velim redacta [a] in tranquillitatẽ ſanitate conſideres. Vale.

[a] *v.c.* in trãquillum. *vt etiam eſt in lib. Scot. & Pith.*

* *Nichomachi filiis.* 47.

NVllas quidem nobis per hominem noſtrum litteras detuliſtis. Sed mihi ſilentium vnanimitatis veſtræ nequaquam licuit æmulari, vel quòd ita ſollicitudo quam de me non fruſtrà geritis poſtulabat, vel quòd me in officia ſcriptionis amor verus impellit. Gratum vobis fuiſſe factum meum reſcripti viciſſitudo teſtabitur.

Nichomachi filiis. 48.

VRbis negocia nec vacat ſcire, nec libet ſcribere. anim' enim meus morbo corporis occupatus, rebus alienis curam neſcit [b] intendere. Vnum hoc ſcio, de ſeditionibus nuncios eſſe mentitos, atque ideo à verò diſſentire rumores, vt numquam maiore plauſu Præfectura celebrata ſit. Itaque ſtudia plebis in Iudicem fauor quoque ordinis æmulatur. Hæc ad nos, [c] ſi qua dolorum intercapedo admittit officia [d] viſentium, pari omnium ſermone perueniunt. Cetera hominum veſtrorum, qui verſantur in publico, ſtilus debet aperire. De me tunc alſena quærenda ſunt, cùm propria aduerſari quieuerint. Vale.

[b] *al.* impendere.

[c] *Malim leg.* ſi qua locorũ interc.

[d] *Sic v.c. vulgò leg.* viſentium. *malè.*

* *Nichomachi filiis.* 49.

NAtalitio munere, quod frequentari à vobis per multos annos communis fœlicitas faciet, noſtrum hilaraſtis animum, veſtrum probaſtis. De quo me prolixè ſcribere verecũdia veſtra nõ patitur. Copioſior tamen in ſenſibus manet gratia, quàm ſermone proferatur. Quæ ad vrbem pertinent, indiculi cohærentis lectione noſcetis. Tibi Domina filia, eadem relligione qua dignũ eſt, iniungo curam iuuandæ valetudinis tuæ, vt omnibus nobis ſanitatis tuæ ſecuritas voluptati ſit. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 50.

HOmine noſtro ad Campaniam reuertente ſcribenda conſumpſi, & tamen ſanctum atque honorabilem virum parẽtem veſtrum Seuerum nolui abire vacuum litterarum mearum: vt & morem ſalutationis exſequerer, & de opere, quod domi cõſtruis, iudicium meæ inſpectationis aperirem. Thermarum mihi & ſitus & amplitudo admodum placuit. In minoribus balneis piſcinalem picturis potius quàm [a] muſibo excoli non probaui. Res admonet, vt profectum Meſſalam nocte ea quam cõſecutæ ſunt nonæ Martiæ noueritis. Legati ceteri mox ſequẽtur. aduerti tamen ex quorundam colloquio in gratiam domus, de qua plerique noſtrates viri edulibus ſarciuntur, quædam eſſe lenita. Sed mea cura non deerit, ne quid mandatis Senatus per coniuẽtiam detrahatur.

a muſiuo.

* *Nichomachi filiis.* 51.

SCribere non recuſo: ſed malui domino filio meo ſibi diu narranda coram per ocium reſeruare. Sola igitur ſalutatione fungetur hæc pagina, cui breuitas & veſtro honori ſatisfaciet, nec illi referenda decerpet. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 52.

PRioribus litteris comperiſtis, quæ nunc reſpõdere potuiſſem, rediſſe non pœnitet. Nam & ſalutis compotes ſumus, & per diligentiam magiſtrorum fratris veſtri profectus adoleſcit. hoc tantùm mordet animum, quòd longo à vobis itinere diſcernimur. Sed ſi ſcriptorum vices frequens vſus exerceat, [b] ſatiemur inter nos præſentiæ voluptatem.

b *fortè*, ſartiemur, *vel*, ſortiemur.

* *Nichomachi filiis.* 53.

ADuentus Domini & Principis noſtri denuò poſtulandus eſt. Theodorus enim vir illuſtris Mediolanenſium legatione ſuſcepta eniti dicitur, vt Senatus petitionibus prouinciale deſiderium præferatur. Præfectus vrbi huic negocio ſanctitatem* tuam optat adhiberi, quem puto ſuper hoc litteras eſſe miſſurũ. Hortor igitur vt ſcripto eius euocat* digneris accurrere ante Senatum, qui Idibus Iuniis erit. Ipſo enim die legatos arbitror eligendos. Multæ ſunt domus veſtræ negocia, quæ à te coram ſub occaſione cauſę publicę terminẽtur. Præterea votiua legatio eſt, quę apud aures euocandorũ amabilis futura credatur. Quæſo ne differas, vt reconciliationem prętéritę gratiæ conſequaris.

Nichoma-

* *Nichomachi filiu.* 54.

MAximum veterem amicum,ſed nouum agentem in rebus, accipite inter tyrones concanitiæ militantem . ab hoc percunctanda direxi,atque ideo mihi fugienda eſt prolixæ epiſtolę gratia. Abſque aduentus veſtri petitione,quam frequẽter exambio,& deſiderium veſtri ſinetet, iam ſilere deberem:quia verecundiam creant inefficaciter poſtulata. Sed amor in vos meus propè impudentiam ſuadet frequenter eluſis. Vereor autem ne ideo veſtrum reditum promiſeritis, vt noſtrum ad vos prohiberetis excurſum.

* *Nichomachi filiis.* 55.

SAlutem vobis precamur, cuius iudicium puero reuertente optamus accipere.Mea valetudo caret interim doloribus, ſed indiget firmitate maximè accedẽtibus curis, quas proximè facta à Senatu auxit oblatio.Ire lõgiùs piget,cùm hæc quoque ſecuris ab animo ingeſſiſſe pœniteat.

Nichomachi filiis. 56.

HEri per hominem meum ſcripſi, metu percitus, poſtquam de valetudine filiæ meæ amara cognitu nunciaſtis,& adhuc pendente reſponſo crucior [a] incertus. Peto igitur edoceri, quid ei ad confirmationem ſanitatis acceſſerit. Rerum verò præſentiũ nullum vobis indicium facere decreueram; ne in aures veſtras redirẽt,quæ probabili diſciſſione vitaſtis. Sed quia ciuicus amor in negocia vrbana curam noſtram reduxit, quædam collata in titulos breuiter percucurri, vt ſine faſtidio lectionis inſinuata noſcatis. Valete.

a v.c. incertis, & lib. Scotti.

* *Nichomachi filiis.* 57.

CRedo nunc ſaltem priores domini mei Præfecti litteras tibi redditas:quæ ſi caſu aliquo aut negligentia portitoris elapſæ ſunt, en tibi aliam ſublimiſſimi viri paginam, cui me hunc ſermonem iuſſit adiungere; vt quid ſententiæ tibi ſit de ſuſcipiendo negocio,cui te optat adhiberi,bis conſultus expedias. Puto enim vos in meliorem valetudinem reuertiſſe,poſtquam mihi feciſtis indicium,quòd reuerſioni veſtræ morbus obſtaret. Et nos quidem maluimus,vt integrato ſanitatis ſtatu reditum ſpondeatis.Sed ſi querelæ corporis votum morantur,euidentibus ſcriptis exſpectationem conſulentis abſoluite.

* *Nichomachi filiis.* 58.

SVperioribus diebus & meæ circa vos obſeruantiæ, & veſtræ expectationi multo epiſtolarum numero ſatisfeci. Hæc verò pagina copiam non requirit:cùm hoc tantùm beneuolentiæ veſtræ pro captu conſilij mei ſuadeã, vt ad Præfectos Prætorij Sicilienſis cauſæ veſtræ actio transferatur; ſi tamen aliquid vobis ad experiendum data oblatio reſeruabit.

* *Nichomachi filiis.* 59.

POſtquam pignus noſtrum Sibidius Romam rediit, & nuncius fuit quantus filiam meam vexet corporis dolor, meus quoque animus ægreſcit:itaque litteras nihil moratus emiſi, anxiè petens,primò vt medica ope & abſtinentia noxiorum ad ſanitatem iuuetur: dehinc vt reſcripti fides abolendæ ſollicitudini meę conſulat.Ipſi poſt legatorum profectionem rus Vaticanum, quod veſtro prædio cohæret,acceſſimus,&,ſi nihil diſpoſita conturbet,in Apriles Kalendas villę ocio defruemur. Iuniorum delectus,vrbanis familiis imperatus, vſque ad æterni Principis reſponſa pendebit. De coniunctis exemplaribus formam præcepti vtriuſque noſcetis.Hæc quia tuis litteris deſiderata ſunt, miſi. Ceterùm mera atque vnica mihi cauſa dictandæ epiſtolæ fuit,vt ad nos ſuper filiæ meæ valetudine certa & amica vota referantur. Vale.

Vaticani ſui ruris meminit ſ. epiſt. 62. & lib. 7. epiſt. 21.

* *Nichomachi filiis.* 60.

ANteriores litteræ tuæ,quas mox aliæ conſecutæ ſunt, ſpem mihi aliquatenus reditus tui fecerant:ſecundæ promiſſa vacuarunt.ita vt poſt multas cauſas negationis meo conſilio ſequẽda committeres. Sed ego cogitans primò filiæ meæ conturbatam valetudinem,quæ ſpoliari ſolatio tuo non poteſt:dehinc ſtomachi tui imbecillitatem, quam eſſe imparem ſcribis itineri promouendo: tum conſilium amici paterni ocium præferentis: dehinc expectationem illuſtris viri,quem diu exiſtimas affuturum: præterea interpretationes hominum, qui te, vt ais, opinantur munus publicum recepiſſe in occaſionem negociorum tuorum, permiſſam mihi deliberationẽ vobis refundo. Iniquum eſt enim tot oppoſitis quæſtionibus obnoxiam fieri ſententiam meam, & fidem ſuadentis incertis futurorum caſibus obligari.Interea conſtituendę rei dies exiſtimo prorogandos, & epiſtolam tuam tantiſper reddere magiſtratui temperaui. Primò quia reuerentia nu-

da eſt. Dehinc quia cauſas negationis infra deuotionis magnitudinem prætulit, & quòd noſſem pluribus legenda quæ [a] ſcripſeras. Volo igitur vt reuerentia cumulatiore & grauioribus querelis excuſationem tuam munias, ſi voluntas manſerit laboris & itineris deprecandi. Vale.

a Sic lego. Nā in v. c. eſt, ſcripſeram. v. i. vt c. cumulatione.

Nichomachi filiis. 61.

PRiſca obſeruantia hunc ſcribendi ordinem fecit, vt domo profecti, officium litterarij muneris auſpicentur. Sed longum viſum eſt operiri [b] vnanimitatis tuæ litteras, quarum nos arguimus tarditatē. Atque ideo mutato vſu in hoc munus erupimus. Supereſt vt libens rependas, quæ inchoare debueras, & prouocatus exerceas indicem ſanitatis tuæ ſtilum. [c] Ipſi in Arabiana Dominæ filiæ meæ expectamus aduentum: licet te etiam decus noſtrum, ſolemnium dierum ratio confeſtim ſpondeat affuturum. Vale.

b Sic v. c. vulgo leg. humanitatis tuæ.

c Sic recte v. c. vulgo leg. ipſius Arabianæ dominæ.

Nichomachi filiis. 62.

FOelix materia eſt ſuadere ociū. Sed hæc [d] exhortatio animum ſui iuris requirit. Nos neque reſidere patitur liuentium factio, nec filij iuuenis inſtitutio longum peregrinari. Quare vt poſſumus, modò abſceſſu, modò reditu, variamus locorum diſtinctionem. Teſtimonio eſt hæc epiſtola: [e] quam è Vaticano noſtro, ſi nihil diſpoſita turbauerit, alia conſequetur. Veſtrum eſt, huiuſmodi abſentiæ noſtræ conditionem litteris frequentibus augere, ſi placet: iuuare, ſi diſplicet.

d v. c. adhortatio.

e v. c. quā de Corano noſtro. Vaticani autem ſui ruris meminit. ſ. epiſt. 59.

* *Nichomachi filiis.* 63.

LEgati ordinis noſtri ex vſu actis omnibus reuerterunt. Nam & tyronum conquieuit indictio, & argenti nobis facta gratia eſt. Super impetratis tamen adhuc ſperatur oratio. Nunc domeſtica & animo veſtro amica iūgemus. Stat nobiſcum valetudinis bonum. Sæpe vrbanam commorationem proximo rure diſtinguimus. Sola nos veſtri macerat abſentia. Sed ſi in conſpectum noſtrum properè veneritis, nos quoque recurſum veſtrum in Campaniam cum voluptate comitabimur.

Vide hīc notas.

* *Nichomachi filiis.* 64.

PEr hominem meum litteras dederam. continuò adfuit Maximus, qui alias poſtularet. quare ſalutationem geminare non piguit. Præterea exigit repens nuncius ſuper aduentum Domini

& Principis noſtri,vt vos de reditu commonerem, quem maturare debetis,ne moram veſtram votiua legatio, iam nunc ex vſu publico iteranda præuertat. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 65.

PVrgatorio medicaméto aluum vacuaſſe te ſcripſeras, vt fluor oculorum tuorum cum cetero onere decederet. Scire poſtulo an prædicta curatio efficax fuerit, nec ne: an ſubegerit cauſa etiã, ſanguinis emiſſione venas iuuari. Par requirit affectio quãtam vobis fidem faciat filiæ meæ ſanitas, vt his ex voto cognitis ſollicitudinum acuta deponam. Nam mihi ob alia quoque ægrè eſt turbas patriæ cogitanti, quas præcipuè [a] moueant in vſum militarem petita ſeruitia. Et nos quidem crebris precibus obnitimur, & diem ducimus ſupplicando, iámque ad precium argenti quinque librarum miſera oblatione peruentum eſt. Sed vereor ne nos alterius rei fuga vtroque deſpoliet. Præfectus agendo negocio ſegnior viſus, Lampadio ſucceſſore mutatus eſt, cuius moribus crediderunt impoſſibilia promoueri. Nunc peto vt me anxium maiore cura, quæ vos reſpicit, eleuetis. Nam adhuc diſcrutior incerto per moram ſeruuli, qui, dudum ad vos ob eadem noſcenda miſſus, necdum reuertit.

[a] *v.s. habebat, moueat. vide notas.*

Nichomachi filiis. 66.

SCribenda non deſunt, ſed horret animus loqui dura memoratu. [b] Video tamen famam rerum vrbanarum nequaquam poſſe cohiberi, quæ vt fieri amat, in maius præſentia [c] nunciauit. Id ne accidat, breuiario addito, noſcenda decreuimus: vt neque litteræ quæ vobis ſalutationem ferũt, de ſollicitis amaritudinem [d] trahant, & nihilominus rumorum [e] licentiam fides ſcriptionis excludat. Sed de his hactenus. Filiæ meæ valetudo grauior mihi ceteris eſt, quibus nunc animus aſperatur. Exſpecto igitur, vt illi Deo adiuuante, ad ſalutem eſſe omnia nuncietis. De qua ſi voto [f] apta comperero, pars iſta ſolatij curarum quoque mearum reliqua mitigabit. Vale.

[b] v.c. videor.
[c] v.c. nunciabit.
[d] *Sic* v.c. *vulgo*, tradant.
[e] *Sic* v.c. *vulgo leg.* licentia fidem.
[f] v.c. aperta.

* *Nichomachi filiis.* 67.

PAucis à patria diebus abfuimus, & theatralibus ludis reditum noſtrum ſuffragia ciuium popoſcerunt. Nos tamen etiã nunc ſuburbanum viæ Hoſtienſis incolimus, recurſum tantiſper

morantes,ne preces exſpectaſſe videamur. Quod ſi facere ex ſententia relligionis tuæ antea voluiſſem, & vitaſſem periculoſa, quæ poſt ſecuta ſunt,& exſpectatio mei plus dignitatis habuiſſet. Sed vna fuit huius conſilij ratio,ne quibuſdam loco pulſus viderer,& verecũda diſceſſio verteretur in notam timiditatis. De Siculo negocio veſtro ſanctus Comazon me quoque aſſentiente reſcripſit.Circa rem noſtram Siculam turbidum eſſe Nectarium indicio erunt litteræ quas nuper Euſcius miſit.Peto ergo [a] vt harum rerum neſcius,qui cubiculo clauſus ocium fouet, ſcripto à vobis coherceatur, ne poſt de Euſcio aliter ſentiatis, ſi validiùs iuſta noſtra defenderit.Ipſam hominis noſtri epiſtulam miſi, vt tentamenti inſolẽtiam de eius moribus æſtimetis, quem certum eſt à vobis nolle reprehendi. Petieram ſuperioribus ſcriptis, vt Puteolani Prætorij mei latus, quo imus ad balneas,diſpoſitione cliui mollioris ornares.Si dilata res eſt,peto rurſus vt facias:ſi impleta,reſcribe quo gaudeam.

Cumazon vocatur 5. hoc li. epiſt. 12.& epiſt. 42.

[a] *v.c. habet,* vt ho.rerum. *niſi malis,* vt horum.

* *Nichomachi filiis.* 68.

VErum eſt nequire hominem cuncta pariter voto amica ſortiri. Quanto luculentiùs natalem mihi diem ſi affuiſſetis, egiſſem? quod in reliquum ſaltem numeroſis annorum proceſſibus fors orata præſtabit. Interea Domina filia honoratum me opimo lanificij tui monumẽto ſatis gaudeo. Vna quippe & amor in parentem tuum,& induſtria matronalis inclaruit. Sic priſcæ fœminæ vitam coluiſſe traduntur. Et illas quidem deliciarum ſterile ſeculum colo & telis animum iubebat intendere: quia illecebra ceſſante temporum [b] viuebatur.Tibi verò & Baiæ appoſitę curam ſobrij operis detrahere non poſſunt.Renuncias ſtagna verrentibus,& reſidens aut obambulans inter penſa & foragines puellarum,has ſolas arbitraris ſexus tui eſſe delicias. Meritò igitur te amo,dignamque viro tuo iudico:quando nobis æquè laus & voluptas ex illius perfectione aduentitia, & ex tua probitate genuina eſt.

[b] *v. c. habebat,* viuitur.

* *Nichomachi filiis.* 69.*

QVamquam ſperem præfata Dei venia, mox in conſpectum tuum mutuum nos eſſe venturos: tamen litteris abſtinere non debui,ne quod tempus familiaribus careret officiis. Sume igitur prælibatam ſalutationem, quam tibi boni auſpicij gratia adhuc ſtilo impendimus,ſed voce proximè deferemus.

Nichomachi filiis. 70.

ELeganti commento ſilentium veſtrum purgare voluiſtis. Allegata eſt enim cautela triſtium nunciorum, quamdiu ſecunda ſuccederent: vt ea quæ intermiſſio ſcriptionis antè celauerat, lætioribus indiciis proderentur. Sed nobis & illa per nuncios incognita non fuerunt, & hæc ſera admodum viſa ſunt. Augebat enim rumorum licentiam ſuſpicio ceſſantis officij. Et tamen ſuccenſere non poſſumus, poſtquam gratia præſentium litterarum memoriam præteriti doloris exemit. Modò memento curam ſtili inter præcipua & prima ſortiri; ne huius exempli recordatio maiores denuò nobis afferat metus, dum credimus ſub expectatione meliorum rurſus aliqua aduerſa reticeri.

* *Nichomachi filiis.* 71.

DIu me ab ſtilo fateor temperaſſe. Nihil enim quod ſcriberemus emerſerat. Salutis autem veſtræ lætam fidem de aduectantium ſermone capiebam. Tandem ceſſationem vicit affectio. Reparamus igitur dicendæ morem ſalutis vacui omnium negociorum. Poſt Tyburtem quippe ſeceſſionem Romæ [a] ocio lenta producimus. Sed non vſquequaque agendarum rerum ſumus deſides. Nam domi corruptorum parietum diſcidia ſarciuntur: quia frequentationem ſoliditati conditor primus antetulit, & antiquior ei viſa eſt celeritas vtendi quàm ſecuritas ſuccedentium. Vos noua & æuum manſura molimini. Siquidem ſermo detulit quædam vos Lucullanis operibus æquanda feciſſe. Nec tamen vobis impendij magnitudine ceſſerimus. Par enim ſumptus eſt ſemel ſolida collocare, & ſæpe integrare cadentia.

a *Puto legẽdum, ocij lenta. Vide notas.*

* *Nichomachi filiis.* 72.

INdulgete deliciis; quãdo ita terræ ac maris copiis redundatis, vt vobis pollucibilem victum vtriuſque elementi miniſtret opulentia. Nobis ſatis eſt, quòd omnium, quæ capitis, parte defruimur, adeò largiter, vt ipſi quoque optimis dapibus affluamus.

• *Nichomachi filiis.* 73.

PAtriæ ac Penatibus redditi, quædam, quibus [b] offenderemur, inuenimus. Siquidem Hoſtienſe prædium noſtrum frequens pulſat impreſſio. Sed ſi vobis proſperè optata procedunt, præſtate litteras, quarum lætitia tergeat nubem præſentis iniuriæ.

b v. c. offendimur.

Nichomachi filiis. 74.

a RENum dolore diſcrucior. Sed ne maior ad veſtras aures perueniat fama, præſentem ſtatum valetudinis meæ breuiter indicaui. Quum læta ſucceſſerint, morem meum ſecutus dabo ad vos paginam lætiorem.

a *Sic v.c. vulgò leg.* Biennium dolore crucior.

Nichomachi filiis. 75.

NOn fruſtrà hactenus reſponſa diſtulimus. Tractatus enim negocij & chartarum inueſtigatio, moram iuſti temporis exigebant. Hæc vbi abſoluta ſunt, ceteris, quę cauſæ poſcit inſtructio, reciprocum litterarum munus adiecimus. Ipſi enim multis obſtantibus curis, iter ad vos nequimus arripere. Conſilium tamen, quod tranſactioni veſtræ poſſemus adhibere, cumulatiùs ex alio parente capietis. Qui etſi adiutore non indiget, dignabitur tamen ob inania fori, & ſutelas veterum formularum, ſanctum b Proſtachium præſtolari; venturum ad vos protinus, quum reliquias malæ valetudinis plena ſanitate limauerit. Vale.

b *v.c.* Proſdocium.

Nichomachi filiis. 76.

FVit animus Fundos oppidum præterire, ſi vos Formias acceſſiſſe didiciſſem. Poſtquam aliter euenit, partiri iter placuit ad minuendum laborem. Erit igitur in arbitrio fortunæ ratum facere, vt ad quintum Kalendas Auguſtas Formiana ſede recreemur. Hæc eſt animi noſtri deſtinatio, nunc in cęleſtium manu eſt effectus optati. Vale.

Nichomachi filiis. 77.

NVllus abſque epiſtolis meis dies labitur. Quid ſi affatum mutuum redderetis? Nec tamen pœnitet diligentiæ, quamuis honor viciſſitudinis negligatur. Nā quæ ex more fiunt, etiam gratuita delectant. Ego ad ſanitatem lento adhuc gradu proueĥor: atque ideo itineris vlterioris ambiguus vſque ad profectum ſanitatis deliberationem ſequeſtro. Quid ipſi de reditu aut ſuburbana commoratione ſtatueritis, auet animus edoceri.

Nichomachi filiis. 78.

ANteueni inquiſitionem, cùm vos ſollicitos fore quòd eſſem morbo attemtatus aduerterem. Et quamuis vltro ſcripſerim doloris mei aduerſa tenuari, abolendæ tamen ſollicitudinis veſtræ cauſa (quæ apud amantes ſemper incredula eſt) nunc quoquę nuncio, ſi dictum nullus fortunæ liuor effaſcinet, in concordiam mecum ſanitatem redire. Sed nondum ſenſum meum

penetrat amœnitas littoralis. Nam vt ex longa maris iactatione ſtabilis greſſus ſerò reparatur: ſic tempore opus eſt mali deceſſio locum faciat voluptati. Ergo neque Formianæ oræ, neque ædificationis meę tãtiſper vllam capio dulcedinem. Sed hęc, vt ſpero, omnia cum bono valetudinis reuertentur, móxque ad lætitiam veſtri animi ſtilo meo communicata peruenient.

Nichomachi filiis. 79.

CVm mihi puer vnam epiſtolam reddidiſſet, [a] vt reſcriberem protinus, tanquam mox rediturus ad vos, incubuit. Sed vt didici, ipſe ad vlteriora contendens, mimica vſus eſt techna, vt paginam noſtram comes eius Ruſticus reportaret. Ille alteram nunc regreſſus accepit. Ridere vos arbitror, quòd ego ſeruili circunſcriptus ſtropha, pro ſorte ſimplici duplum ſoluerim. Nam callidus vernula, quod ſemel pertulit, bis recepit. Pergerem longiùs, ſi adijcienda ſuppeterent. Vos in propinquo vrbis, celebriore fama rerum agitis, & pari ocio. Veſtrum eſt, procul poſitos ditare [b] compertis. Vale.

[a] *Sic v.c. vulgò leg.* vt ſcriberem promptus tãquam. *Vide notas.*

[b] *v.c.* comperti.

Nichomachi filiis. 80.

ÆVum maneat hic dies, qui te nobis filia dedit. Hunc ego & gaudiis mentis, & verborum honoribus, per multos annorũ recurſus vobiſcum opto celebrare, adijcere etiam mihi [c] ingrata, tibi iucunda munuſcula: Vt nunc lineam miſi, cuius poteſt oblatio exigua non videri, ſi magis mei in vos animi, quàm ſui precij æſtimatione pendatur. Vale.

[c] *Sic v.c. vulgò,* mihi non ingrata, tibi. *Lib. Pith. conſentit cum v.c. lineam verò margaritarũ hic intellige, & in l. 26. D. ad leg. falc. & l. 53. D. de furt.*

Nichomachi filiis. 81.

NAtalem Dominæ filiæ meæ, quem per annorum recurſus optamus eſſe numeroſum, vobiſcum agere & participare voluiſſem, niſi propoſito reſtitiſſet imbrium continuatio. Fungimur tamen relligioſo honore, iocunditate munuſculi; petentes vt ſuſceptionis benignitate, oblationis exilitas augeatur. Vale.

* *Nichomachi filiis.* 82.

OMnes ad nos natalitij conuiuij copias tranſtuliſtis. Sed vnum defuit quominus ad noſtrum animum redundaret plena feſtiuitas, quòd non vobiſcum potiùs cuncta ſumpſimus: quorũ contuitus atque conuictus cõmandare nonnũquam ſolet

& parca

& parca conuiuia. Quare & vobis & cōmuni pignori, cuius ſolē-
nem diem ſedula relligione celebraſtis vberes precamur annos,
& recurſum in hęc eadem feſta numeroſum. Decet enim pios
parentes inoffenſa fœlicitas. Nobis Tyburis aura blanditur, ſed
contra exaſperat animum malè geſta ratio villicorum. Neque a-
ger cultura nitet, & fructuum pars magna debetur, nihilque iam
colonis ſupereſt facultatum, quod aut rationi opituletur, aut cul-
tui. Vale.

Q. AVRELII SYMMA-CHI EPISTOLARVM LIB. VII.

Symmachus Symmacho filio. I.

SVME alacer paterni ſermonis auſpicium, & dein-
ceps officij parilis in nos eſto munificus. Simul ac-
cipe quod voto tuo congruit, faſces Præturæ tuæ in
eum annum fœliciter proferēdos, cui aduocata nu-
minum voluntate ego quoque lętus interſim. Opta-
to igitur lætare proceſſu, & præparatos tibi annos vitæ atque ho-
noris interpretare. longiora enim fiunt, quæ differuntur. Nec du-
bites vtrique noſtrum proſpexiſſe fortunā, vt & tuus magiſtratus
iuuetur præſentia patris, & ego feſtorum tuorum coram defruar
voluptate. Vale.

Symmachus filio. 2.

VBI primùm ſcribendi mihi ad vos copiam familiaris ingeſ-
ſit occaſio, non diſtuli deſiderium tui ſcriptione teſtari: vt
ſalutis meæ certus tuam cures, & ſubinde abſentiam meam [a] lit-
teraria voluptate ſoleris. Vale.

[a] *Lib. Sc.* lit-teratoria. *Sicque lib. Pith.*

Symmachus filio. 3.

SECVNDAS ad amabilitatem tuam litteras mitto: vt ſit aſſidui-
tas mei ſermonis vtrique ſolatio. Tu quoque ſtudium meum,
quoties domin[a] & frater[b] meus occaſiones reppererit, æmulare:
vt & ſalus tua mihi ſecuritatem tribuat, & ſcriptorum iocunditas
voluptatem. Vale.

[b] *v.c.* tuus.

* *Symmachus filio.* 4.

CIrcenſium ſolemnitati Conſularis magnificentia ſatisfecit. Ludorum adhuc & muneris ſplendidiſſimæ imminent functiones, quibus ante Februarias Nonas, vt opinamur, impletis, iter ad noſtra relegemus. Hæc eò ſcribo, vt lętitia amabilitatis tuæ ſpe meliore paſcatur. Vale.

* *Symmachus filio.* 5.

CRedo alias litteras meas in manus amabilitatis tuæ antè venturas. Huius namque epiſtolæ portitores lento itinere mulos reduces proſequentur. Ego tamen ſalutationis munere abſtinere non potui. malui enim vt redundaret officium ſerò peruectum, quàm vt deſideretur omiſſum. Tuæ amabilitatis necdum vllam epiſtolam ſumpſi: quæſo vt huius tibi muneris curatio ſit. Ex tuo enim metiri animo potes, quid leuaminis abſentibus tribuat adſiduitas ſcriptionis.

* *Symmacho filio.* 6.

DEſideratas proximè amabilitatis tuæ litteras ſumpſi, quibus indicabatur & ſedulitas animi tui, & profectus ingenij. Sola
a v. s. paterneę epiſtolæ breuitas nequaquā [a] paterno deſiderio ſatisfecit. Quod eò ſcribo, vt intelligas quantum ex ſermone tuo cœperim voluptatis, qui queror copiam defuiſſe. Quis enim optet ſatietatem niſi rerum bonarum? Poſthac igitur indulgentiùs ſcribe, lux mea, vt pleniore ſtili tui munere legentis animus expleatur. Vale.

* *Symmacho filio.* 7.

ACceſſit peregrinationi noſtræ largior dies ex compendinatione ludorum, quos pluuiarum interuentus retardat. Sed volo vt hanc dilationem ſalutis meæ certus leniter feras; & deſiderium tui, quod apud me creſcit ex mora, ſtili aſſiduitate ſoleris. Vale.

* *Symmacho filio.* 8.

COnfido ſolando animo tuo ſermonis mei aſſiduitatem poſſe ſufficere. Nam recentibus ſcriptis hunc addo ſermonem, cuius tibi lectio ſpem reddi muneris mei pollicebitur, ſi fors pręſumpta confirmet. Ratio autem huius æſtimationis in aperto eſt: quia poſt magnificam ludorum Conſularium functionem, ſola adhuc arenæ reſtat editio. Mutetur igitur animus in gaudium, & adeptum eſſe te crede, quod poſſibilis coniectura promittit.

Symmacho filio. 9.

SCintillare acuminibus atque ſententiis epiſtolas tuas gaudeo. decet enim loqui exultantiùs iuuenilem calorem. Sed volo, vt in aliis materiis aculeis orationis vtaris: huic autem generi ſcriptionis maturum aliquid & comicum miſceas, quod tibi etiã credo præcipere vel rhetorem tuum. Nam vt in veſtitu hominũ, ceteróque vitæ cultu, loco ac tempori apta ſumuntur: ita ingeniorum varietas in familiaribus ſcriptis negligentiam quandam debet imitari, in forenſibus verò [a] acuere arma facundiæ. Sed de his non [b] ibo longiùs. Perge interim, quo te ætatis impetus & naturæ ardor impellit. Mei voti caput eſt, vt benè valeas, & ſupra annos tuos litterarum dote diteſcas.

Vide Ennodij epiſt. ad Olybrium, quæ incipit: Vt tradit.

a v.c. quatere arma.

b ibo, *aberat vulgo, ſed erat in v.c. Ita loquitur.* ĩ. *epiſt.* 16. *&* ep. 35.

* *Symmacho filio.* 10.

AMico noſtro* Annio, curſim prætereunti potui ſolam dictionem ſalutis iniungere, ſed debuit tibi ſanitatis meæ fidem facere lectio litterarum. Eſto igitur animo lætiore: & ſpera, decus meum, frequentibus ſcriptis in notitiam tuam ſimiliter ventura quæ gaudeas. Vale.

Symmacho filio. 11.

ASſurgit animus meus, quoties amabilitatis tuæ ſermo defertur. Nã & ſanitatis tuæ apportat fidem, & profectum oſtentat ingenij. hortor igitur, vt me [c] huiuſmodi linguæ tuæ floſculis frequenter aſpergas. Nec vllam ceſſationem tibi vindices, dum me æſtimas breui affuturum. Planiora enim mihi fient & faciliora omnia ad recurrendum, ſi paginis tuis [d] reuertentis animus incitetur. Vale.

c *v. c.* iſtiuſmodi.

d *v.c.* reuertẽtis, *vt & in libro Scotti.*

* *Symmacho filio.* 12.

MAgnum in modum ſollicitauit me inæqualitatis tuæ nuncius, licèt ſecuritas ſanitatis iiſdem litteris eſſet adiuncta. Quare animi incertus appropero, orans diuina præſidia, vt te cõpotem bonę valetudinis & epiſtola mea & recurſus inueniat. hęc enim voti paterni impetratio faciet, vt rediiſſe delectet. Vale.

* *Symmacho filio.* 13.

ITer meum famæ varietas retardauit. Nam dum exploro tuta, & longitudinem vitę dierum interpoſitione diſtinguo, tandem ſextum Kal. Martias Mediolanum per Ticeni longinqua peruени. Nunc laborẽ meum Domini & Principis noſtri blandus ſer-

mo ſolatus eſt. Spero etiam legationem breui in notitiam diuini Principis perferendam. Siquidem vir cuncta præcelſus, cui primas partes cauſæ publicæ noſter ordo mandauit, mox cum præſidiis validiſſimis affore nuncietur. Veſtro ſilentio vehementer offendor: atque ideo peto, vt peregrinationis meæ patientiam crebro iuuetis affatu. Vale.

* *Symmacho filio.* 14.

CVm veredarij deeſſet occaſio, priuato homini reddenda ſcripta commiſi. hunc ad vos arbitror ſerò venturum. Vtriſque autem litteris eadem continentur, quòd ſextum Kal. Martias Mediolanum multo anfractu circumuectus intrauerim, veneratúſque Dominum & Principem noſtrum, cuius ſermo diuinus itineris mei compenſauit laborem. In præſentiam viri cuncta præcelſi Comitis agenda produco, quem mox deo iuuante affore nunciorum confirmat aſſertio. Nunc tuę curę ſit, decus noſtrum, peregrinationis meæ curas ſtili aſſiduitate ſolari. Vale.

* *Symmacho filio.* 15.

AMicitiæ noſtræ contemplatio ſpem mihi aduentus tui fecerat. Propè eſt vt erraſſe me credam, quî te ſperaui in cõſpectum parentis ſponte venturum. Quando igitur ſine ambitu noſtro rectè facere neſcis, oratus appropera. Et ſi te ſuperbum Tybur expleuit, Laurentibus ſyluis amœna cõmuta, nec verearis ruris horridi denũciationẽ. In oculis eſt venãtibus mare. celebri itineri villa præſtringitur. In ipſa igitur ferarum cubilia planus ac patulus acceſſus eſt. Et ſi hæc abeſſent, anteiret nimirum ſermo inter nos mutuus, & litterarum liberalis collatio, Tarentinas aut Siculas voluptates. Quare ſi tu quoque huic ſententiæ manum porrigis, adde te ruſticantium numero, & pauliſper Catones atque Atilios æmulare, [a] quos vomeris ſtiua ad Conſulares miſit ſecures. Vale.

a *Ita repoſui. Nam v. c. habet*, quos vomis.

Symmacho filio. 16.

VIcem ſermonis mei deſideraſſe te gaudeo, ſed amolior inuidiam negligentiæ. Parata enim reſponſa deſeruit tabellarius tuus, excitus, vt fando comperi, valetudinis tuæ dubio. Agnoſcis nempe infucatas eſſe, nec ex alto trahi ceſſationis

[a] meæ cauſas.Non ibo longiùs,quia breuis eſt aſſertio veritatis. Nunc ſanitatem gratulor tibi redditam fore, [b] qua poſt nimium metum cognita,multum diluxit in pectore meo gaudij. Indiciũ autem reſpirantis vigoris,tuarum litterarum iucunditas [c] attulit. Petis namque vt tibi ad confirmandam valetudinem, fili mei remedia ſubminiſtrem. Feſtiuitas iſta Baiana eſt. Nimiis te ſalibus ſinus Lucrinus infecit.Eſtne aliquid in verbis meis,quod aures tuas ſoſpitet,quod medicinam ſenſibus faciat? Credo, conſentio. Nam plerumque amara hauſtu ad ſalutem valent,& ſuccis triſtibus affecta refouentur. [d] Sed quantum auarus es,qui Flauiano meo præſente quicquam requiris,in quo tanta rerum bonarum delinimẽta ſunt,vt mihi quaſi apud Syrenas aut Lotophagos hæſiſſe videaris.Atque vtinam veſtro ocio iungerer. Plus de vobis carperem ſalubritatis quàm tu deſideras,qui à me ſolas litteras popoſciſti. Vale.

a *vulgo*, tuæ.
b *v.c.* quam p.n.m.cognitam. *vt etiam liber Scotti.*
c *v.c* prætulit.
d *v.c.* ſed nimium inquã auarus es,qui.

Symmacho filio. 17.

NE ego fruſtrà hactenus tacui,dum te [e] promiſſi certus operior.Tandem redeundum mihi eſt ad conſueta ſolatia meliorum deſperatione. Et fortaſſe ſuccenſes diuturno ſilẽtio meo. Id verò etiam reliquum eſt,vt irritus ſpectationis arceſſeres. Igitur iuris tui ſuper ordiendo itinere ſtare promiſſis. Me eſſe contentum tali leuamine non pigebit. Hoc certè officiorum commercio,aut ſolabor quòd non venis,aut mœrebor quòd venias. Vale.

e *v.c.* promiſi.

Symmacho filio. 18.

PRoximè de Formiano ſinu regreſſus in larem Cęlium,domo iamdiu te abeſſe comperi.Datum mox negocium eſt Theophilo communi amico, & nunc itineris mei ſocio, vt & ad te in Tyburem agrum reditus mei nuncius pergeret, & ſalutationis verba deferret.Hunc tu,vt es curioſus rerum mearum, quaſi aliqua tibi in nos decreto publico inquiſitio eſſet tributa verſando, palàm facere coëgiſti,quæ foris geſſeram. Nam hoc cõfeſſæ ſunt litteræ tuæ,quas idem vir optimus Theophilus reportauit. Fuerit enim benignitatis tuæ actuum meorum faſtigia & capita diſquirere,vtrum crebra vectatio campi ac maris valetudinem meã iuuerit,an vllus agris noſtris cultus,ædibus nitor,pecori numerus acceſſerit,quid affluxerit [f] edulium copiarum,vtrum Conſularẽ menſam ſuccinxerit modus voluntarius,aut vmquam Formias

f *v.c.* ædiliũ.

vicina vrbe longinquo rure mutauerim. Etiámne explorare te fas fuit, quid procul ab arbitris ſtudiorum meorum cura contulerit in paginas? Verúmne me operatum ceris, ſtãtes plerumque oculi & palloris ſigna detexerint? Exploratorem te ſtilus meus patitur. Doces amicos ſuſpicionum vias, &, ſi dici poteſt, odore atque veſtigiis ſcripta noſtra venaris. Num ego ſcire poſtulo, quid in Tyburtibus pomariis litterarij operis exerceas. Solum hoc fama attulit. Balneum tibi nuper extructum, cui torris vnus aduſti caloris pabulum ſatisfacere narratur. Lectitaſſe autem te in multo ocio vtriuſque linguæ [a] auctores, ipſe index fuiſti. Ego tamen non quæro an aliquid etiam ſcripſeris. Animaduerto enim te conſcientiæ gloria proprij operis acceſſum voluiſſe cognoſcere, an ego quoque idem fecerim. Sed non omiſſis epiſtolis velim redeas: niſi fortè tui balnei breuis ſumptus hortatur, ne deſeras parſimoniæ conſuetudinem. Vale.

[a] *Sic puto leg. Nam v.c. habet*, actore.

Symmacho filio. 19.

Vide notas.

DVo pariter commiſſa in amicitiam redemiſti. Diu epiſtolæ tuæ ſalibus abfueras, nihil ſcripſeras. Quis Colchus aut Theſſalus cantu aut manu has offenſiones leuaſſet? Ergo ob epiſtolæ tuæ delinimentum veniæ precium feres? Sino vt amici tui nuptiale feſtum curæ vacuus exerceas, & vrbem Tyburtem, quæ nuper tibi faces prætulit, communem Iunoni & Herculi facias. Reuerteris, vt ſpero, poſt repotia in Cęlium larem. Vel ſi adhuc iuuat æſtiuos dies in [b] pomariis tuis ducere, iterum tibi indignatio mea litterarum tuarum melle placanda eſt. Vale.

[b] *al.* pomœriis.

* *Symmacho filio.* 20.

VIlla Tyburis, quæ proximè in ius tuum venit, maioris ingenij prædicatorem requirit. Ego tamen linguæ modicus, vt potero, honorem verbis faciam. Quid hîc [c] impoſitu ædium vetuſtatis eſt, quis ſitus, in plana iactus [d] oculorum. Frequentare has ſedes Orchomenias dixerim Deas, atque eas ſedulò [e] adniſas vt te conciliarent ædibus ſuis dominum. Perge igitur vt facis, & victis æuo redde nouitatẽ. Multo hoc factu promptius, quàm quod Heſiodum ferunt poſito ſenio in virides annos rediiſſe. Interea gratulare nobis bonam valetudinem, quæ vt tibi quoque longum ſecundet, inter faſtigia eſt votorum meorum. Vale.

[c] *lego*, in poſitu.
[d] *Videtur deeſſe*, oſtendet, *vel quid ſimile.*
[e] *Sic emendam. Nam v.c. habet*, adniſas vitæ concil.

Symmacho filio. 21.

POſtquam litteras tuas redarius meus mihi reddidit, & ex itinere ſalutatio reportata obſeruantiam noſtram ſoluit relligione, datus eſt aditus mihi crebrò, dum aberis, tecum loquendi. Quare ab his ordior, quæ in voto tuo prima ſunt. Deûm pace, mea atque vnici [a] tui ſanitas viget. Vrbanas turbas Vaticano, inquantum licet, rure declino. Et tamen ſi quando in cœtum vocamur, ad obſequium concilij publici [b] pedem refero. Scio te nihil ampliùs de nobis velle. Tantundem pernoſcere rerum tuarum deſiderij modus poſtulat. Vale.

a *v.c.* mei.

b *v.c.* ſedem refero.

Symmacho filio. 22.

LOnga me deliberatio habuit, an tibi honorem facere ſub iuſta reditus [c] noſtri expectatione deberem. Verebar enim, ne feſtinatio tua ſolatiis obuiis frangeretur. Sed hoc ambiguum ſoluit ratio contraria, quæ ſpem dedit has litteras reuertendi ſtimulorum non frænorum inſtar futuras. Et conſultò affecto breuitatem, ſolam tibi [d] præferens dictionem ſalutis: vt verborum meorum exiguus hauſtus efficacior ſit ad ſollicitandam ſitim quàm explendam. Vale.

c *v.c.* veſtri. *vt lib. Scotti.*

d *v.c.* deferens.

* *Symmacho filio.* 23.

REquirant me credo oculi tui. mens adeſſe non dubitet. Mecum enim diligentia tui peregrinatur, totúmque animi affectione circunfero. Nihilominus exerceo ſtilo amicitiæ voluptatem. Quod ſi tu quoque inuicem feceris, veniet, vt longum fruar ocij poſſeſſione: quia non negabis, quod me poſſit abducere. Vale.

* *Symmacho filio.* 24.

AD Neapolitanam profectus oram, litteras ſumpſi, quibus nos in aduentum tuum Baiis reſidere iuſſiſti. Aſſerebat perlator epiſtolæ imminere excurſum tuum calcibus ſuis. Quid facerem, cùm me nec locus idem teneret? Expeditius viſum eſt, vt à te potiùs gratiam continuandi ad nos itineris poſceremus. Amicos enim non Baias deſideraſti, niſi fortè illo luxuriæ ſinu traheris. Comitabimur te, ſi eò redire malueris: quamuis regionis iſtius cælum ſalubrius, & pares copiæ ſint. Erit optio tua intendere iter, an relegere debeamus. ad defenſionem meam pertinet eò redeuntem te ſequi, vbi aduentantem exſpectare non potui. Vale.

Symmacho filio. 25.

SI reſpondiſſes epiſtolæ meæ, leuaſſes onere conſcientiam tuã: nunc noſtram per taciturnitatem iuuiſti. Repenſa enim officia lætitiam mihi præſtant, negata victoriam. Et ſcio ex abundãti te poſſe facere, quod nos [a] multo labore diſtringit. Sed quia inuides bona verba lectoribus, ne vim facere exiſtimer auaritiæ tuæ, diſpendium meum [b] deuoro. Vale.

a *v.c.* multo ſudore deſtringimus. *In lib. Scot. eſt,* multo ſtupore diſtringimus.
b *Lib. Pith.* deuoueo.

* *Symmachus Macedonio.* 26.

GAudeo te in agrum Lauinatem meum poſt Tyburtes rogare delicias: nec ſum relligioſi deſiderij lõgus precator. Ea quippe inter amicos petitionum debet eſſe conditio; vt præſtantibus prona videantur, quæ ſunt magna poſcentibus. Vale.

* *Symmachus Macedonio.* 27.

SOles affirmare quòd me tibi præferas. Poſſet hoc eſſe credibile, ſi filium meum Attalum ad nos venire patereris. In tuo enim iure eſt: tuis monitis adquieſcit. quod quidem fieri oportere conſentio, ſed non eatenus, vt [c] pontificium tuum in damna noſtra protendas. Parúmne eſt, quod ipſe æquè deſiderandus cõſortium meum deſeris, & inuidis nobis exoptatiſſimam tui ſocietatem? Inſuper alterum quoque delinificis amoris artibus retines. Credo coniuens acceleraturum eſſe me reditum, ſi vtroq; deſtituar. At ego denuncio opus eſſe monitore, qui retrahat hærentem. Nam, vt ſcis, amo ocium: paſcor quiete. Inſtruo itaque te aduerſum lentitudinem meam; ſi abſentis amici iam deſideras reditum, patere breuem præſentis excurſum. Vale.

c *vide hic notas.*

* *Symmachus Macedonio.* 28.

LIcèt grauiſſimis febribus impedirer, non potui denegare tibi honorificentiam litterarum, ne relligionis negligens iudicarer. Nec tamen in multam ſeriem propagare litteras valui: quarum breuitas inculpabilis eſt, cùm ex iniuria valetudinis, non ex voluntate deſcendat.

* *Symmachus Macedonio.* 29.

NEque fratris veſtri $\overline{\text{VC.}}$ Prociliani profectio paſſa eſt vt ſilerem, neque noſtra ſiuit affectio vt officiis temperarem. Cape igitur debitum munus alloquij, &, vt me facias promptiorem, impertiendæ ſalutationis operam frequenter vſurpa.

Sym-

* *Symmachus Attico.* 30.

EST quidem mihi ruris otium voluptati, ſed antiquiorem tibi iudico voluntatem. quare officiis Conſularibus, ſi fors dictũ iuuet, ſpectator & [a] conuiua non deero. Vale.

a v.c. conuiuia.

* *Symmachus Attico.* 31.

REtrahere nos è Campaniæ gremio Tyburtis agri laudibus ſtudes. Eſt ille, vt prædicas, in tuo rure denſus cupreſſis, & fontium largus, & montano ſitu frigidus. Sed hęc mihi deſiderãda, ſi te mora vberiore tenuiſſent. Nunc properato in vrbem reditu neſcio quam mihi faſtiditi loci ſuſpicionem dediſti: habent enim ſæpe voluptates ſatietatem. Quod ſi ita eſt, ſatisfactũ Formiis puto, quibus renũciaueras; cùm tibi etiã prælata diſpliceant. Vale.

* *Symmachus Attico.* 32.

REligere iter, & in conſpectum noſtrum tandem redire meditamur: licèt filij noſtri virium vacui ſint, & me febrium noxa temtauerit; minuetur tamen labor interuallis breuibus manſionum. Spero locorum mutatione proceſſurum aliquid optatis. Curam in me diligentiæ tuæ vſu probatam creſcere in dies gaudeo: cui impenſè verbis gratias agerem, ſi id laudis potiùs affectatione quàm ſincera pietate faceretis. Vale.

Symmachus Attico. 33.

PRoximè ad te indicium ſalútis meæ pertuli, necdum quod inuicem de proſperis tuis legerem reddidiſti. Non piget tamen ante ſolutionem relligioſum fœnus iterare. Tanta eſt enim ſecuritas animi in nos tui, vt [b] penſum putem, quicquid ab amante debetur.

b v.c. repenſum, vt & lib. Sc.

* *Symmachus Attico.* 34.

SAlutationis honorificentiam prolocutus Getulici agentis in rebus exſequor poſtulatum, qui à te iuſtum fauorem per me optat adipiſci. Humanitatis tuæ eſt amplecti probabilem voluntatem; numerũque eorum qui te iure [c] ſuſcipiunt, affectione noui cultoris augere. Vale.

c Malem leg. ſuſpiciunt.

* *Symmachus Decio.* 35.

ANimum meum Campani littoris commemoratione ſollicitas: ſed nobis quoque in Præneſtino rure degntibus non minus ſuppetit voluptatum. Sint licèt plures hominum ſententiæ, quæ maritimis montana poſtponant: ego tamen vitandis

a v.c. in dice. æſtibus magis [a] iudico nemoroſa, quàm cultu aperta cõgruere, adieceras ad irritamentum profectionis noſtræ filium meum Flauianum breui tecum futurum. Huius ego præſentia iamdiu defruor. Ex quo intelligis ſortem meam multo eſſe potiorem. Nam & comparationem loci vtriuſque in ambiguo collocaui,& ſocietatem pignoris mei qua maximè gloriabare, in fructum meum tranſtuli. Ergo tu potiùs remetiri ad nos viam mutata cõditione deberes ad ſatietatem, quam tibi attulit copiarum longus vſus. Nam Campania vt eſt abſentibus deſiderabilis, ita facilè explet morantes. Sed de hoc non ibo longiùs: ne regioni illi, quæ nobis acceptiſſima eſt, denunciare, ſi venero, faſtidium meũ videar. Vale.

* *Symmachus Decio.* 36.

NOndum Neapolitanum littus acceſſimus viſuri arcem deliciarum tuarum. Sed tamen omnia, quæ Tyrrhenus alluit, nominis tui plena ſunt. Quid multa? ſucceſſiſti in famam Luculli. quo magis miror ad alia nonnumquam poſſe tranſire: niſi fortè faſtidio fugis copias,& mutatione caſtigas ſatietatem. Sed nimiũ hactenus affuiſti. Puto iam parſimoniæ diuturnitate conciliatum tibi deſiderium copiarum. Quin ergo ad nos gradum promoue. aut ſi libenter illic noſtræ immoraris frugalitati, redeundum nobis [b] properè eſt, quos non decet alienas affectare delicias. Vale.

b *Sic leg. Nã v. c. habet,* prope eſt.

* *Symmachus Decio.* 37.

VOluptati mihi eſt quod vales. Sed quod Formiis noſtris Neapolitana ora præfertur, animaduerto tui non eſſe iudicij. In gratiam quippe præſentium non ſententiam, ſed verba mutaſti. niſi fortè rerum tuarum collatio facit illud tibi eſſe iucundius, vbi fructus vberior eſt. Sed natura regionum [c] ſuis meritis, non noſtris quæſtibus, æſtimanda eſt. Et quid de hoc multa? Teſtabitur commoratio tua, an ibi libentiùs ocieris: cùm in dubium nõ veniat, quòd à me inuitus abſceſſeris. Vale.

c *Sic emendo. Nã in v.c. leg.* ſuis mitis.

* *Symmachus Decio.* 38.

IOcari mihi viſus es, cùm te ſcriberes obuia militum arma timuiſſe. Credo ne iter tuum in Campaniæ longinqua ſequeremur. Nam ſi ipſe diu verſatus in caſtris, nonnihil timoris expertus es, quid ego togæ aſſuetus amaritudinis incidiſſem? Sed non patior, vt tibi ad moram proſit æmulata trepidatio. Caret Appia

tota militibus,trāſuectis omnibus,qui pacato Africæ ſtatu in obſequium diuini Principis reuerterūt.Quid quod etiam Patria in rebus anguſtis vel opem bonorum,vel ſocietatem requirit? Neque enim præſentiam noſtram ſola proſpera eius expectant.Laudabilioris officij eſt participare dubia cum ciuibus. Sed iam ſpes melior vrbis noſtræ vultum ſerenat:& alimonia interim prouiſo fulta ſubſidio & frugis Lybicæ ſtipulatur aduentum.Vale.

* *Symmachus Decio.* 39.

PLerumque fors diſpoſita conturbat: quod nunc mihi vſu venit, qui Etruſcos vapores ſalubritatis cauſa adire non potui rebus retentus vrbanis. Nulla igitur tibi per me indicitur mora: quinimmo & hortor & poſtulo, vt feſtinato itinere Romam reuiſas,reddáſque nobis iucunditatem præſentiæ tuæ,qua defrui in ſuburbanitate non contigit. Vale.

* *Symmachus Decio.* 40.

IAmdudum curis publicis abſolutis relegere iter potiùs,quàm auſpiciis litterarum lenire amicorum deſideria debuiſti. Nam ſi tibi valetudo ex ſentētia ſuppetit, quid cauſæ eſſe dicam quòd diu in Campania demoraris?An vt nos amantiſſimos tui diu defrauderis bonis, quæ in te ſolemus amplecti? Quinimmo vrbis noſtríque reminiſcere, & dum opportunitas æſtatis inuitat,iter feſtinus vſurpa: vt longa abſentiæ tuæ damna tandem optato reditu ſartiantur. Vale.

* *Symmachus Decio.* 41.

QVò abiit promiſſorum fides? Speranti mihi recurſum tuum, litteraria leuamenta tribuiſti. Potuit iucunda nobis huius muneris eſſe perceptio,ſi nihil grandius ſpopondiſſes.An veritus es deliciarum tuarum Conſularem virum teſtem?Nihil egit hæc cautio.Oculis ſubtracta miracula auribus deprehendo. Nam vt quiſque noſtra offenditur parſimonia,te abeſſe ſuſpirat, atque in contumeliam conuiuij mei palam deſideraris. Sciet hæc Senatus, audiet populus. Neque enim poſſum aliter vlciſci abſentiæ tuæ iuſtum dolorem.

* *Symmachus Decio.* 42.

ABrumpenda ceſſatio eſt, & in affatus mutuos cúra tendenda,ne veteris inter nos amicitiæ memoriam ſcribendi neglectus attenuet. quam vt libėtius dehinc facias à me ſume principium. En tibi litteras ſalutationem ferentes, quas ſenſibus tuis

voluptati eſſe teſtabitur officij æmulatio. Quia ſi etiam portitori fructum patrocinij tui ſermo iſte quæſiuerit, præcedentis ſilentij mei accuſabo diſpendia. Conſtabit enim pluribus me potuiſſe conſulere, ſi te alloqui antè cœpiſſem.

* *Symmachus Decio.* 43.

CVm ruri agerem, libertate cæli greſſum reformãs, cuius me vſus poſt dolorem moratur, familiariſſimus meus ordiendo itineri paratus fecit mihi ad ſcribendum ſui copiam. Ilicò amicã ſtudio meo amplexus communionem, ſcripta non diſtuli: quæ & inter nos agerent commercium relligionis, & commeanti primũ apud te notitiæ limen aperirent. Si probabiles huius epiſtolę putas cauſas, mihi ſermonis tui gratia, illi amoris fructus eueniat. Vale.

Symmachus Decio. 44.

[a] REmuneror dictam mihi à te ſalutem, quamuis diebus proximis vltro amicitiam [b] noſtram ſtili opere frequentauerim. quæ commemoratio non exprobtat officia: huius enim diligentiæ [c] voluptate animus meus paſcitur. Eſt igitur tua optio, an in me velis ſæpe litterarum eſſe munificus, quod quidem maxime cupio. Sed ſi quando nobis fructus iſte defuerit, eadem mihi gaudia tecum loquendi veſter ſermo præſtabit. Vale.

a *Al.* remunerabor.
b *Sic. v. c. vulgo*, meam.
c v. c. voluntate.

* *Symmachus* Decio. 45.

VNa hæc via eſt, qua maximè ciuibus ac familiaribus meis proſim, ſi eos in clientelam tuam quaſi myſtagogus inducã. Quod nunc pro Gaudentio facio viro generis Senatorij: cuius modeſtiam, ſi propiùs inſpexeris, reppereris claris natalibus parẽ. Igitur in obſequia tua incunctanter receptus ante plenam tui fiduciam, quam mox illi morum præſtabit inſpectio, intellegat de ſe teſtimonio meo creditum. Vale.

* *Symmachus* Decio. 46.

SIngularis animi tui bonitas vocat ſæpe ad iuſtas petitiones fiduciam meam. Non eſt igitur mihi commendationum familiarium verenda reprehenſio, cùm ipſe ad hoc meum ſtudium voti benignitate ſollicites. Spes ergo certa eſt gratas tibi fore litteras, quibus ornatiſſimum virum Deſiderium veterem amicum meum proſequor. Domeſtica huic cauſa rumpendi ocij

admouit neceſſitatem. Iam facilè iacturã diſſimulare potuiſſem, ſi admitteret magnum animum anguſta fortuna. Ex ipſo latiùs audies, quicquid epiſtolæ breuitas recuſat abſoluere. Mihi ſatis eſt, pro eo in vniuerſum rogare. Suſcipe oro benefaciendi prouinciam, quæ hominum merita Deo applicat, clarioréſque fruct⁹ ex huius commodo cape. Mihi enim videntur beneficia plus conferre præſtanti. Vale.

Symmachus Decio. 47.

[a] NEc abſtinere litteris poſſum proficiſcente ad vos domino & filio meo Flauiano, quem proſequi hoc viatico debeo; nec aliquid adiungere, quia tua erga eum diligentia non recipit augmentum. Volo igitur noueris non eſſe faſtidij, [b] quòd quàm minimum de eo ſcribimus; ſed ſecuritatis de tua mente præſumptæ. Talis igitur in eum eſſe dignare, qualẽ te vetus amicitia pollicetur. [c] Cui adiecit tui honoris gradus, vt quæ pro eo velle debes, poſſe te non neges. Vale.

a *Sic v.c. vulgò leg.* Nec abſiſtere litteris p.p. ad v.d. & f.m. Hermatico, nec debeo aliquid adi.
b *v.c.* quicquid de eo.
c *vulgo*, cui accedit tui.

* *Symmachus* Decio. 48.

FAuore tuo factum eſt, vt euectionum amminicula ſumerem⁹, quibus familiares mei empturi equos Curules ad Hiſpaniam commearent. Quæſo igitur remiſſos mox tranſire præcipias, lõgo enim tempore opus eſt de ſingulis prouinciis optimos quóſq; excerpat electio, & moroſior cautela perducat. Præterea tibi validiùs obligabor, ſi duobus aliis veredis eorumdem iuueris iter. diuidenter enim ſinguli, vt ex diuerſis prouinciis edecument [d] electores. Erit tui beneficij poſt illuſtrem & præcellentiſſimum virum Comitem, quicquid domui noſtræ Prætoria filij mei editio ſplendoris adierit. Vale.

d *fortè*, electiores.

Symmachus Decio. 49.

CErtiſſimus cõtra omnes procellas [e] animi tui portus eſt: ideo ad te ſororis meæ filius ſpei certus accurrit. Negocij autem genus de humanitate ſeculi expectat auxilium, cuius qualitas virtutibus tuis precum lectione pandetur. [f] Ergo prolixus eſſe non debeo enarrator iniuriæ, quum ſeriem deſiderij fides ſupplicationis exponat. Has autem ſolas partes mihi iniungit affectio; vt pro coniuge pignoris mei, [g] cuius paupertati grauis paratur ruina, ſuffragium tui fauoris exambiam. Vale.

e *Sic v.c. vulgò leg.* animi portus es.
f *v.c.* ego.
g *v.c.* cuius pro paupertate.

* *Symmachus* Decio. 50.

GAudij de te mei nec ipſe oſtentator eſſe per verecundiam poſſum, nec teſtem alterum cito. Sufficiet enim mihi quod amorem meum de tua mente metiris. Debeo tamen lætitiam confiteri, quæ Præfecturæ habenas ad bonam tranſtulit voluntatem. Interea non minore abundo lætitia, quòd domini & filij mei Flauiani prolixus in iudicando labor optata quiete perfruitur. Neque enim differri diu ab hoc pręmio par fuit, neque illum ab ocio retardari. Hoc eo ſcribo, vt noueris nos pro tuo honore agere æterno Principi gratias, te idem facere pro illius ſecuritate debere. Interea quæſo vt in epiſtolis frequentãdis morem tuum teneas, nec priuatis officiis actus publicos obſtare cauſeris. Nam permultis ingis neceſſitatibus par fuiſti: nullúmque experientiæ genus eſt, cuius te poſſit magnitudo vel nouitas à negociis amicitiæ debitis auocare. Vale.

* *Symmachus* Decio. 51.

a Sic ſuppleui ex v. c. quia vulgò hæc imperfecta leguntur.

[a] HAbeant fortaſſis aliæ commendationes meæ interpretationem benignitatis. Iſta iudicij eſt. Trado enim ſancto pectori tuo fratrem meum Seuerum Epiſcopum omnium ſectarum atteſtatione laudabilem: de quo plura me dicere, & deſperatio æquandi meriti, & ipſius pudor non ſinit. Præterea teſtis, non laudatoris partes recepi; tibi reſeruans morum eius inſpectionẽ. Quam cùm penitus expenderis, repperies me ceſſiſſe eius potiùs laudibus, quàm per negligentiam defuiſſe. Vale.

Symmachus Decio. 52.

QVid tibi pro tanta in me meóſque cura dignum rependam? Officia tua reuera æquare non poſſum: ſpondeo tamen, numquam me tibi cultu mentis & affectione ceſſurum. Nec ambigo etiam te pro benefactis ſolam boni animi exoptare mercedem. Sed in hac conteſtatione gratiæ morari me longiùs pudor tuus non ſinit: deberi enim iudicas amicitiæ noſtrę, quicquid ego credo præſtari. Vale.

Symmachus Decio. 53.

b Sic v. c. vulgo leg. per ſe.

PArua eſt commendatio ſcriptorum meorum, quum Euſebiũ familiarem meum vita innocens & annoſa militia bonis quibuſque conciliet. Suo igitur præditus merito, teſtimonium [b] pro ſe meum, non ambitum, poſtulauit. Et tamen abſtinere non debeo tali genere litterarum, magis vt fidei ſatisfaciam, quàm

[a] vt labantem gratificatione ſuſtentem. Hæc igitur petitionis meæ ſumma eſt, vt in præclaro pectore tuo formam circa ſe voluntatis meæ inueniat. Vale.

a *Sic v.s. excuſus habet*, vt laudantem.

Symmachus Decio. 54.

VT es ſollers omnium rerum, ſcis quantum legatio ſollicitudinis habeat, quantum peregrinatio difficultatis. Hæc domino Attalo Senatus deſideria proſequenti, amor tuus leuia & tuta præſtabit. Suſcipe igitur partes benignitati & petitioni meæ debitas, & tuo ingenio congruentes. Satis Attalo meo videbitur, quiſquis erit euentus, officij curam pro ſe meruiſſe potioris. Vale.

Symmachus Decio. 55.

SÆpe nos vt condecet litteris muneraris. Obſoleſcere enim quadam ſilentij rubigine animorum fœdus exiſtimas. Facis officium germanis ſtudijs animíſque conueniens. Pro qua re vicem tibi ſermonis referre non diſtuli. Cuius ea ſolutio eſt, vt me affectui tuo etiam nunc ſentiam debitorem. Omnia enim facili viciſſitudine & compenſatione redduntur. Contractus verò amicitiæ & relligionis æternus eſt. Vale & ad ſcribendum diligens eſſe perſeuera. Nos litterarum ſolatia ſuggerimus; quibus aut animum mulceas occupatus, aut vicem referas ocioſus. Vale.

Symmachus Decio. 56.

TVa nos vetus hortatur humanitas opem poſcentibus non negare. Pro [b] Theodulo autem ſcribendi mihi ad te cauſa propenſior eſt, quum ſit colonus agrorum meorum, atque illi debita magis quàm precaria cura præſtetur. Serua igitur conſuetudinem tuam, & precibus meis, vt mos tuus promittit, inflectere: vt quicquid culpæ aut erroris incurrit, contra illius meritum meo digneris [c] interuentu relaxare. Vale.

b *v.s.* Theodolo, *vt &* *lib. Scot.*

c *v.c.* interuentui.

Symmachus Decio. 57.

ET virtutis & propoſiti tui eſt bonos quoſque ſuſcipere. inter quos Alexander contemplatione honeſtatis iure cenſetur. Hunc & in adiumentum ſui, & amoris in te mei gratia, familiaribus litteris proſecutus impendiò deprecor, vt illi fauorem congruum tribuas, mihi viciſſitudinem ſermonis exſoluas. Vale.

Symmachus Decio. 58.

DVas oratiunculas meas nuper editas ad illuſtres viros, virtutum & litterarum prędıtos ſacerdotio, Felicem & Mineruiū miſi. Harum etiam te, vt amantem mei, ſi mediocribus ingeniis non offenderis, opto eſſe lectoré. Ipſi voluminis copiam facient. Ita enim ſtudioſè famam meam nutriunt, vt ſuffragia bonorum mihi neſciant inuidere. Vale.

Symmachus Decio. 59.

SAcras mihi litteras Iulius agens in rebus exhibuit, leopardorum munificentiam continentes. Idem tuam deſideratam nobis paginam ſimul tradidit. Principe igitur loco ſalutationis tibi ſoluo reuerentiam. Dehinc poſtulo vt pro me gratias agas votiuę largitatis auctori: quæ iucundior erit, ſi ei cōmendationem proſecutio opportuna præſtiterit; & quod verecūdia mea vix implere potuiſſet, oris tui affabilitas proſequatur. Spero me ex menſura affectionis, qua de te mereor, quòd cumulatiſſimè poſſis magnitudinem noſtræ gratulationis implere. Vale.

Symmachus Patricio. 60.

ONerabat verecundiam meam, quòd prior ſcripſeras. Continuò altera epiſtola tua grauatæ fronti duplex fœnus impoſuit. Formido quod cupio, ne mihi ante ſolutionem duorum [a] contractuum tertius à te ſermo tribuatur. Habet quippe [b] hanc impatientiam, quæ in te pollet, oris vbertas; vt interuallum viciſſitudini neget, & officia nondum compenſata præueniat. Vna igitur mihi ad ſatisfactionem via ſupereſt; vt imparem me ſtilo fatear, quamuis cultu amicitiæ parem non negem. Nec contumaciter fieri putes, quòd tibi animi mei diligentiam confero. Alioquin fruſtrà à te diligor, niſi affectione ſaltem nos patiaris comparari. Quare poſt hanc profeſſionem meam laudatæ facūdiæ donum frequenta. me, ſi rarior fuerim, memento ceſſiſſe. An ego aduerſum iudicium publicum prouocem ſcriptis epiſtolarū regiarum Magiſtrum? Noſtrum eſt paſtorales inflare calamos, tuum ſacris tibiis carmen [c] incinere. Nos obtundit ocium, te vſus exercet. Niſi fortè hanc noſtram priuatæ vitæ vacationem magis frequentandis litteris opportunam putas. Vides non eodē motu flumina de ſtagno ſerpere, & de fonte properare. Omne quod in curſu eſt, viget. Continuatio experientiæ vires ſuas renouat. Sublatum tibi eſt, quod reſpondere potuiſſes. Fac deinceps, qui vales

a *Lib. Pith.* tractatuum.

b *Lib. Pith.* hanc impatientiam, quę in te pollet oris libertas, vt.

c *al.* concinnere.

[a] qui vaſes ſcribendi copia: vt tantum mihi adferat facultatis exemplum tuum, quantum ingenium meum non dedit. Vale.

[a] *Hæc addidi ex v. c quæ vulgo deerant.*

Symmachus ad Patricium. 61.

DEnunciaueram tibi quòd rarior in ſcribendo eſſem futurus. Quid amicitiæ faciã, quæ cogit vt mentiar? Deſciui à [b] propoſito: ſed credo te huiuſmodi probare fallaciam. Nunc velim cogites, quàm frequens eſſe debeas, qui ſpei amplius obtuliſti. An non priùs in me iaculatus es oris tui munera? Quibus ego [c] veluti herbam porrigens cum veniæ petitione reſpondeo. Maneas oro promiſſis, & cœptorum tuorũ diligentiam teneas. Fidẽ tuam conuenio, qui me penè iacto mentitum. Vale.

[b] *v. c.* promiſſo, *& lib. Sc.*

[c] *Sic repoſui ex v. c. vulgo leg.* veluti moriens herba cum v.

* *Ad Patricium.* 62.

[d] ADeo amicitia comparatum eſt, vt officiorum vicibus mutua gubernetur vtilitas. In rem præſentem ſpectat præfata ſententia. Præſumo namque eximietatis tuæ ſtudio ſupplicationem fratris mei Calleſtiani atque eius vxoris exſortem ſacri beneficij non futuram, cui & ęquitas deſiderij, & vſitata impetrationis forma ſuffragio eſt. Quando igitur nihil obſtat oratis, admoue iuuandis precibus beneuolentiam. Quæ cùm tibi innata ſit, remittit mihi deprecãdi laborem. Nam pænè iniuriam facit benignitati, ſi quis anxiè petat, quod præſtantis natura promittit.

[d] *Fortè leg.* ideo amicitia cõparata eſt.

* *Ad Patricium.* 63.

TAntum eſſe apud te loci Aurelio meo gaudeo, vt à me tibi traditus inuicem ſub commendatione reddatur. Viciſti noſtram pro eo diligentiam, quam iubes creſcere. Itaque ſum dicto audiens. Nulla enim caritas ita plena eſt, vt augmentum non capiat. me domo abeſſe, & in regione Campaniæ paſci otio libens audies. Nam ſoles amicorum proſpera voluptate partiri. Tibi honor militiæ pariat fructus fecundos: ſit vita noſtra ſecura, veſtra conſpicua.

Ad Patricium. 64.

PRopinquorum meorum cauſas [e] Martyrius proſequitur, qui has à me litteras in ſuffragium ſuum meruit. Quæſo vt effectum ſperati de te fauoris obtineat. Vale.

[e] *Lib. Sc.* Martinus.

* *Ad Patricium.* 65.

IN manus tuas veniet cauſa pignoris mei, adeo vt amica legibus fulciatur. Sed vt eſt multiformis plerumque perfidia tuto-

rum, in varias ſe frequenter artes vertit; obnoxios credo he ſalrem ſacro ceſſuros oraculo, ſi veſtra pietas ſuggerenda celebrauerit.

Symmachus Alipio. 66.

a Sic. v. c. rectius quàm vt eſt in vulgatis. iam aduecto ſecurus.

SAlutationis honore præfato, familiarem precationem tui iam [a] ſecurus adnecto. Agris meis, quos in Cæſarienſi Mauritania poſſidemus, vt fieri per dominorum ſolet abſentiam, nihil reliqui facit officij Præſidialis improbitas. Sæpe ad Rectorem prouinciæ delata querimonia, parui habita eſt, per ignauiam iudicātis. Ergo quoniam remedia minora non proſunt, ad maiora confugimus. Feras opem quæſo te, ne res tot iniuriis exhauſta ſuccumbat. Debes hoc & tuæ famæ, & amicitiæ meæ; vt peculiariter iuuare digneris iuſtitiam poſtulantem. Vale.

Symmachus Alipio. 67.

QVi ſperat breui in conſpectu ſe amicorum eſſe venturum, ſolet ſcribendis epiſtolis abſtinere. Mihi & illa ſpes viſendi te integra eſt, & faſtidium non creat litterarij vſus officij. Celebro igitur honorem tuum ſalute dicenda; nec interim poſco reſcriptum: quia fœnus ſtili mei fabularum munere, & proximo ore penſabis.

* *Symmachus Alipio.* 68.

INtelligo diligentiam, quam ſanctæ domui defero, nimiùm tibi eſſe compertam. Hinc eſt quòd mecum læta communicas, & dominę ac filiæ meæ valetudinem ſtilo indicas in ſpem rediſſe meliorem. Ago igitur vberes gratias, & Deos precor, vt tua ſecūda proficiant. Nobis tardior Africanarum nauium commeatus incutit curas, & ſterilitas conditorum. Quapropter ad collationem vocati remedia patriæ vſitata promiſimus. Sed votis opus eſt, vt voluntariæ ſponſionis ſolutio prompta reſpondeat.

* *Symmachus Alipio.* 69.

Huc refer quod eſt apud Valer. Max. lib. 8. c. 2. inf. & Aul. Gellium lib. 7. c. 15. & l. 78. qui re. D. de furtis.

TRadiderunt memoriæ, qui res ipſas locuti ſunt, in iudicium quēdam vocati, quòd Aricia tenus precarium de amico cantherium mutuatus, vlterioris cliui ardua præteriſſet. Fuerit hæc parſimonia & diligentia pauperis ſæculi, vt prætervectus decretum locum, commiſiſſe in amicitiam diceretur. At ego non vereor, iumēta quæ dederas demoratus, ne in tantis fortunæ tuæ copiis & animi beneuolentia vſurpationis arceſſar. Aſſumpſi igitur quod amor tuus ingerebat, tantúmque à metu ſuccenſionis

tuæ,vt ſperem de te vltro bonam fiduciæ meæ gratiam. Neceſſe eſt enim improbes,quod ipſe feciſſes.Sed quid hęc tã quam purgata produco? De Formiano à te ſcribo integer valetudinis,vnde equorum veſtrorum copulam magis exercitam quàm fatigatam remiſi. Mulos pauliſper tenebo. hanc enim dederas optionem: quam ſi repudiaſſem,viderer libentiùs in vſurpandis vti animo meo,quàm in promiſſis tuo cedere.

* *Symmachus Alipio.* 70.

CVm moleſtias vrbanas retracto,abeſſe delectat:cùm vos cogitatione contemplor,tędet abſentiæ meæ. Medium eſt igitur leuamen in litteris,quas ideo ad te dedi, vt ſimul & amicitiæ ſatisfaciam,& ſecutus exemplum,tuas mihi epiſtolas præſtes, in quibus vides plus eſſe ſolatij.

Symmachus Alipio. 71.

PLurimũ mihi opis atque adiumenti,litteræ tuæ ad confirmationem ſanitatis impertiunt. Primò, quæ te memorem noſtri eſſe:teſtãtur: dehinc, quòd indicia tuæ proſperitatis adportant. Fateor igitur, adhuc infirmam valetudinem meam ſcriptorum tuorum aſſiduitate refoueri:atque ex hoc intelligo, quantum ex præſentia tua commoditatis habiturus ſim,quum tantum ex literis ſalubritatis indicium excipiam. Vale.

Symmachus eiuſdem Fratribus. 72.

MEdiolanum profectus hæc ſcribo, & hinc honorificentiam vobis debitæ ſalutationis exhibeo.Æquum eſt vt mea cura de vobis,relatu piæ viciſſitudinis mitigetur. Vale.

Symmachus Fratribus. 73.

PEruenimus,ſed veniſſe me iam pęnitet.Nam vbi primum ſolum Baiani littoris contigi,ſtatim pedis correptus ſum dolore. Atque ideo pauca dictaui,mox in ſcribendo futurus vberior, ſi me ſanitas optata reſpexerit, & veſtræ inuicẽ litteræ prouocauerint. Vale.

* *Symmachus Fratribus.* 74.

PRimo aduentu,vt ſcripto ſuperiore ſignauimus,valetudo noſtra perculſa eſt,ſeu inſalubribus aquis, ſiue aëris mutatione. Fors viderit.Noſter ſtatus melior cœpit aduerſa tenuare:ſed prę ceteris remedio nobis fuit,quod vos ſaluere cognouimus.Quòd ſi etiam reditus noſtri tempus inquiritis,ad Idus Octobris legere iter,ſi dicto fortuna aſſit,optamus.

Symmachi Fratribus. 75.

SCio & deſiderari & expectari à vobis litteras meas. quia moris eſt vt munus huiuſmodi à proficiſcentibus inchoet. Auſpiciū ego vobis ſalutandi & inter nos ſalutationis emitto, nequaquam dubitans tanquam ſigno dato ad reſpondendum vos deſides nō futuros.

Symmachi Fratribus. 76.

SVbeſſe aliquas ſilentio meo cauſas ſponte æſtimare potuiſtis. nam quando omiſiſſem religionis munia, ſi valerem? noſtrum paulatim dolore cedēte officium ſalutationis deferre non potui: veſtri erit muneris referre mutuam vicem. quæ mihi ſi dies optata pertulerit, ad conualeſcendum fomenta præſtabit.

Symmachi Fratribus. 77.

POſtquam paginam, quæ vobis ſalutationem ferret emiſi, in tempore affuit, qui mihi veſtras litteras exhiberet. Quarum principio præceptione lætatus, vbi commune pignus decubuiſſe cognouiſſem, conturbatus ſum repentè amaritudine lectionis. Sed quia filium veſtrum redditum ſanitati, ſubiuncta docuerunt, in tranquillum denuo animus [a] remeauit. Meæ valetudinis ſtatum ſcriptis ſuperioribus indicaui; cuius denuo meminiſſe non opus eſt, ne vos ſollicitæ ſcriptionis conturbet iteratio. Vale.

a *Lib. Scotti.* remigrauit.

Symmachi Fratribus. 78.

DE reditu filij noſtri Fauſti prænūcias paulo antè litteras miſi, vt accelerata ſecuritas deſiderij veſtri impatientiam mitigaret: ſed munus ſalutationis iterare ipſo etiam proficiſcente non piguit. Capite igitur geminam voluptatem: primò ex ipſius reditu: dehinc ex ſermone fraterno, quo vobis redditos ſanitati cōmunes filios indicamus.

Symmachi Fratribus. 79.

SVperioribus diebus litteras frequentaui, ſed nulla aſſiduitas animum poteſt amantis explere. Puto autem vobis ad cognitionem poſſe ſufficere, quòd valere nos ſcribim⁹: licet commune pignus paucis diebus effuſione vexata ocij noſtri minuerit voluptatem, quę iam diuina ope ad plenam ſanitatem cœpit emergere. Vale.

Symmachus Meſſalæ. 80.

Coniunge epiſt. 82. & 88. ĩ. hoc lib.

FOrtuna cum ciuibus noſtris reuertit in gratiam, poſtquam te ſibi Præfectum indicauit. Annumerandus eſt igitur ceteris

ſperantibus æquitatem iucundus amiciſſimus meus, quem morbo diu iam grauem Præfectus eminens ad cognitionem priuatæ litis exciuerat. Et illi quidem votiuum ſub examine tuo reſpondere propoſitis. Sed valetudo obnititur voluntati, quæ effuſione ſanguinis ſauciata itinerum recuſat incertum. nec deerit ius aduerſantis petitioni, ſi ad vicarium tuum diſceptatio transferatur. Hæc igitur ſumma eſt poſtulati: vt cũ cauſæ nihil de loco pereat, ſalutem homini peregrinatio remota conciliet.

* *Ad Meſſalam.* 81.

INſtruenda mihi atque adornanda Prætura eſt, ad cuius nos editionem magnitudinis tuæ proceſſus animauit. Incœptum enim meum viribus fratris vtetur. Quæſo igitur vt mecum relligioſè votiua officia partiaris, & familiaribus meis ad Hiſpaniæ longinqua pergentibus ob equorum Curulium coemptionẽ ſuffragia promouendi conferre digneris. Longũ fiat, ſi velim litteris res tãtas percurrere. Capita igitur rerũ ſubiecto indiculo ſtrictim notaui. Tibi integrũ erit adijcere beneficia, ſi qua ſtilus petentis omiſit.

* *Ad Meſſalam.* 82.

SI quid pro amico atque vnanimo meo iucundo priora ſcripta valuiſſent, agendis magis gratiis quàm renouandis petitionibus ſermo noſter impenderetur: ſed quia in ciuili negocio auget eius infirmitatem conuentio, non iam pro cauſa, ſed pro valetudine familiaris mei inſtauro ſermonem. Et certè difficilis impetratio mea eſſe non debuit. Poſtquam illi diuinus affatus longæ peregrinationis gratiam fecit: cuius rei executionem miror eſſe difficilem, cùm lenitas tua ſoleat talia etiam ſine reſcripti auctoritate præſtare. Impenſiùs igitur quæſo, vt vicarij foro ſæpe in his iudiciis agitata cauſa reddatur: quando hoc & ſacræ litteræ impetrant, & iudiciorum non refutat auctoritas. *Coniunge epiſt. 80. & 88. j. hoc lib.*

* *Ad Meſſalam.* 83.

PRimam mihi ſcribendĩ cauſam relligio fecit, vt amicitia noſtra litteris excolatur. Secundam ſuggeſſit humanitas, vt viro optimo Thalaſſo familiari meo tua concilietur affectio. Supereſt vt & mihi ſermonis tui viciſſitudo reſpondeat, & commendato ex ſententia procedat optatum.

* *Ad Meſſalam.* 84.

* T mei circa te popoſcit vt ſcriberem, & q c atque ornatiſſimo Euſebio aſtipulatio mea deeſſe non debuit, quẽ probè

de optimis viris emeritum quæſo tua benignitas muneretur. Nã laudabilis quiſque hanc ſolam mercedem pudoris atque honeſtatis exoptat, vt ad intimam familiaritatem bonorum tuique ſimilium pura conciliatione perueniat.

*. *Ad Meſſalam.* 85.

OMnis commendatio amicis teſtimonium tribuit, ſuffragiũ præſtat incognitis. Proceſſus igitur vir ornatiſſimus filius meus, non eſt in ea parte numerandus, cui ex beneficio ſcripta præſtantur, ſed potiùs in ea, cui viciſſitudo ex amore perſoluitur. Puto iam liquere tibi, quę circa illum familiariter tenenda ſit à te forma iudicij, quem ſine fauore commendo. Dignum eſt igitur vt quantum apud me meriti collocaui, tantum apud te benignitas inueniat. *Epiſt.* 86.

NVmidam familiaritas noſtra apud te debet adiuuare. quem tuo trado ſuffragio, vt meritum quod apud nos honeſtis officiis collocauit, tua pro me cura compenſet. Mores hominis ex meo pende iudicio, & in omnibus quæ vtilitas eius exquirit, votum commendantis imitare. Vale.

Ad Meſſalam. 87.

AMicitiæ parentum rectè in liberos transferuntur, vt charitas ſemel inita ſucceſſoribus eorum hæreditario iure proficiat. Quo nomine, optimi quondam viri Gregorij filium, diligẽdum pariter ac tuendum recepi. Fuit enim mihi cum patre eius fidum fœdus animorum, ſed [a] relligionis debitum tecum opto partiri. Quapropter quæſo, vt curam meam pro eo in his quæ vſus popoſcerit, exſequaris. Inter cetera autem vota iuuenis, præcipuum liberalis animi ſignum eſt, quòd cupit foro tuo non [b] obſcurus orator accedere: cui (vt ſpero) & [c] magiſterium ſplendore dicendi, & ſuffragium [d] mentis voluntate præſtabis. Vale.

a *v. c.* relligioſi.
b *v. c.* non obſcurus ortu actor accedere, *vt & liber Scotti.*
c *al.* magiſtrum.
d *v. c. habet.* mentis bonitate, *vt & lib. Pith.*
Confer epi. 82. ĩ. hoc lib.

*. *Ad Meſſalam.* 88.

IAmdudum litteras meas in manus tuas credo perlatas, quibus allegaui, quod iudiciis approbatum eſt, amicum meum Iucundum, quamquam tui examinis cupidum, per valetudinem non poſſe proficiſci. Huius indies morbus augeſcit: & ideo repeto poſtulatum, ne incidat inuidiam contumaciæ, qui miſerationem meretur. Et ſanè ciuili cauſæ nihil decerpit humanitas, ſi ad vicarium veſtrum transferatur examen. Nam pariter & laboranti detrahetur iniuria, & negocio finis eueniet.

A

Ad Meſſalam. 89.

PRobauit effectus non immeritò à me ſperata, quæ præſtare dignatus es, magíſque me culpam potuiſſe contrahere, ſi apud amantem Prætorias pignoris noſtri neceſſitates pudore tacuiſſem. Ornari ergo nos gaudeo frequentibus amoris tui teſtimonijs: & volo ſperes, quicquid gratiæ editio noſtra quæſiuerit, ad tua beneficia me cedente referendum.

Ad Meſſalam. 90.

HOnores quidem ſemper vitæ ac litterarum ſplendore geſſiſti. Sed bonorum nunc omnium gratulatio eſt, etiam publicum tibi decus eſſe delatum. Opto igitur ex ſententia partis fruaris inſignibus, & prouectus in cumulum gloriæ magnitudinem iudicij Imperialis æquipares.

Ad Meſſalam. 91.

OFficij mei eſt nunciare quòd valeam: [a] tui voti vt te ſaluere cognoſcam. Ego indicio proſperorum meorum partes amãtis impleui, tu mihi adhuc debes ſanitatis tuæ gaudia. Quæ vt ſolita fide in notitiam meam veniãt, & Deorum fauor & tua ſcripta præſtabunt. Vale.

[a] *Sic v.c. vulgò leg.* tui vt te valere c.

Longimano. 92.

[b] AMicorum animo gaudia noſtra participas, dum integratũ Flauiani filij mei honorem ſtili gratulatione proſequeris. Dignus es cui læta ſemper eueniant. Hanc autem dignationis tuę benignitatem ſcio ex illius inſtituto venire, qui præſtitit. Laudabiliter igitur magiſteriũ ſequeris optimæ voluntatis. Tene quęſo, vt facis, conſtantiam rerum bonarum. Illum imitare, nos dilige.

[a] v.c. amico.

[c] v.c. Laudabile.

Longimano. 93.

HOnor militiæ veſtræ dãdis [d] beneficiis eniteſcit. Quum igitur te meritorum ratio ſummis proximũ faciat, famæ & gratiæ decus benignitate conquire. Nec procul abeſt, de quo huiuſmodi fructum capeſſas. [e] Iuuandum enim tibi filium meum Deſiderium, litteræ meæ ingerunt, virum pręter fortunam cunctis rebus ornatum, quas ſibi poteſt hominum cura præſtare. Sed illa quoque cum ea in gratiam, ſi faueris, reuertetur. Reſtat vt velis, quod pro [f] loci ac meriti tui viribus potes. Facilè inclinatũ amici noſtri negocium depulſa lite ſanabis.

[d] v.c. benef. ſemper inuigilat. Quum.

[e] v.c. Ea propter reuerendum tibi f.

[f] *Sic v.c. rectè. vulgò leg.* loco ac viribus tui meriti p.f. inclinatam a. n. fœlicitatem dep.

* *Longimano.* 94.

AMplectì amicitias domini & filij mei Flauiani antè dignatus es. Sed nunc tempus datur, vt illi documenta veræ familiaritatis exhibeas. Sacris enim D.N. Honorij Auguſtiſſimi Principis litteris ad officium magnifici Conſulis euocatus, occaſionẽ dabit, qua & ipſius meritum iudicio tuo pateat, & tua in eum clareſcat affectio. Interea partes parentis interuentus meus exſequitur. Nec in dubium venit, quid habeat ponderis pignorum commendatio apud eum qui ſuos diligit. Hæc autem ſumma eſt deſiderij mei, vt in animo tuo repperiat amorem meo ſimilem.

* *Longimano.* 95.

IN fauorem me Dynami cohortaris, cuius tibi amore non ceſſerim. Eſt enim vir artium bonarum cultus ornatu. Libens itaque in tuam concedo ſententiam, dignúmque eſſe prædico, qui noſtro ordini copuletur. Sed adijcienda eſt ei prærogatiua militiæ, vt beneficio allectionis vtatur. His quippe tantùm munia relaxari [a] diualia conſtituta voluerunt, quos caſtrenſis honor illuminat. Si igitur & hoc inſigne detuleris, quod annonarum & euectionum cumulet adiectio, prono curſu in Conſulares legetur. Quare in tua manu eſt, & illius meritum, & meum ſtudium ſupplemẽtis talibus adiuuare. Interea nimis miror, quòd in viro illuſtri Flauiano domino & filio meo, nec gradum honoris, nec ius amicitiæ cogitaſti. Nam cùm præſtans auctoritas tua vinarij tituli debita flagitaret, vſque ad officij condemnationem multa progreſſa eſt. Patienter admitte, neque Præfecturam, neque amãtiſſimum tui virum, tali contumelia debuiſſe perſtringi. Quæſo igitur vt tantum ei poſthac deferre digneris, quantum tibi inuicem conuenit exhiberi. Ego certè amborum parens nihil à te patior ſtridoris emergere, quinimmo officiis religioſis creſcere inter vos cauſas mutui amoris exopto.

[a] *Sic puto emẽdãdum. Nam v. c. habebat,* diualia feſta tota voluerunt. *ſcheda Pith.* diualia ſtatuta.

* *Longimano.* 96.

COepi ex litteris tuis gaudium, poſtquam familiares meos ad Hiſpaniam commeãtes adiutos epiſtolari commendatione docuiſti. Quare acceptam gratiam & mente contineo, & ore conteſtor. Facit autem verecundia tua, vt de hoc parciùs loquar. affectum enim, non verba, deſideras.

Longi-

Longimano. 97.

IAmdudum [a] deſiderabam litteras tuas: nunc immodica animi gratulatione ſuſcepi. Debita igitur reuerentia & amore reſpondens, adiicio poſtulatum: vt in reliquum frequentare digneris munus optabile, quod ſponte tribuiſti. Sed in hac poſtulatione opus non eſt [b] commorari. Neque enim petitio mea debet elicere, quod promittit humanitas.

a *Al.* deſideraui.

b *Al.* immorari.

Longimano. 98.

CVltum amicitiæ libenter exerceo. video enim mihi à te talionem curæ parilis non negari. Magnus autem diligentiæ incentor eſt [c] animus tuus. Quare beneficij loco exprobrare nō poſſum, quod ex debito officio defero. Ipſe enim tibi auctor es officiorum meorum, quæ ſcribendi aſſiduitate ſollicitas. Vale.

c *v. c.* amor tuus.

* *Ad Longimanum.* 99.

SEntio quid mihi affectionis inuicem deferre digneris. Sed vehemēter admiror, quòd dominum filium meum Flauianum, qui te parili amore complectitur, erga amicitiam tuam imparem eſſe ſuſpiceris. Si igitur aliquid in aſſertione mea putas eſſe grauitatis, conteſtor vt huiuſmodi perſuaſionem ne aſſertore quidem aliquo recipias, ſed excluſis aliquorum ſuſurris ſanctis moribus tuis competentes & dignas amicitias. Vel certè ſi quid in notitiā tuam æmulus peruexit, mecum quæſo partiaris, vt commotio, quæ ex aliorum ſimulatione concepta eſt, fidis purgationibus diluatur.

* *Ad Longimanum.* 100.

SAncto Euſebio arbitror pro ſumma commendatione ſufficere, quòd eum mihi profiteor approbatum. & ideo verbis pluribus elaborare non debeo, vt ei tuam conciliem voluntatem. Præſumptum quippe teneo, his, qui mihi fida obſequia detulerunt, fauorem tuum minimè defuturum. Nos ex ſententia valemus; libenter habituri, ſi ipſe ſoſpitatis tuæ litteras non negaris.

Symmachus ad Petronium & Patruinum. 101.

PRo cognitis & probatis pauca dicenda ſunt. Mei enim officij, non ſui meriti teſtimonium ferunt. Quapropter laborare nō debeo, vt præſtantiæ veſtræ domini & filij mei Flauiani merita commendem. ſiquidem vetus inter nos amicitia [d] reuertitur ad vſum familiarem. Mei ſermonis hæc ſumma eſt; vt in patriam

d *v. c.* reuertetur, vt & *lib.* *Scot.*

redux, ſibi perpetunm amorem veſtrum, mihi mutuam reportet ſalutationem. Vale.

* *Petronio & Patruino.* 102.

OPto vt hanc ſalutationem vigoris integri & proſperi lætus accipias. Tradetur autem per optimum virum Deſiderium, cui maximam laudem pura vita conciliat. Teſtis hæc officij mei pagina, relatura ad me plurimum boni, ſi te plurimum in amicitiam tradentis attraxerit. Nam vt reſpondere digneris, enitendũ mihi præ tuo amore non arbitror. Hæc vna voti mei cura eſt, vt tuum fauorem commendatus adquirat, redeátque laudator beneficiorum tuorum, quorum vtilitas ad illius commodum, ad meum ſenſum gratulatio redundabit.

* *Patronio & Patruino.* 103.

VIdeo Flauiani filij mei honorem propterea hucuſque iacuiſſe, vt ei teſtis melior eueniret. Inciderat in tyranni beneficium iudicio bonorum temporum reſeruandus. Sed præſtitit illi [a] amiſſio Præfecturæ, quòd mutauit auctorem. Quæ igitur verba tantum munus æquabunt? Coniungite, oro vos, nobis ad referendas præcelſo viro gratias. Nam cùm ſinguli vincamur rei magnitudine, opus eſt laudatoribus multis, vt numeri munus impleat onus debiti. Et ſanè dominus pectoris mei, à quo profectum eſt beneficium, non ex alterius verbis, ſed ex gaudio conſcientiæ menſuram facti ſui colligit: nec ignorat talia eſſe quæ præſtat, vt vincat ſpem ſolutionis. Nos tamen gratiæ vicem fidæ amicitiæ & obſeruantiæ rependemus: damúſque huic rei obſides animos, quibus ſatisfaciunt liberi lucis auctoribus. Plus enim contractibus amor ſufficit. Vale.

[a] *Ita puto leg. Nã v.c. habet,* amiſſo.

Epiſtola. 104.

AFfectio in te animi mei, non litteris æſtimanda eſt. relligio enim fide pectoris continetur. In verborum officiis latet plerumque ſimulatio. Quare ſi tibi in ſcribendo rarior videor, nihil amori exiſtimes decerptum. Et ſæpe euenit, vt homines tui nec profectionis ſuæ mihi indicium faciant, & mutuas paginas non repoſcant Sed de hoc loqui largiùs non oportet: quia

ſufficit amanti breuis & diſtricta purgatio. Ad ea tranſeo, quæ vtrique votiua ſunt. Hilaratus ſum [a] ſanitate tua, & rependo quo gaudeas. Nam mei quoque corporis vigor poſt infirmam valetudinem cœpit aſſurgere. Vale.

[a] *Lib. Pith.* ſanitatis tuæ nuncio.

Ad Patruinum. 105.

AGendis D. M. Comiti excellentiſſimo viro gratiis, par eſſe non poteſt mediocritas verborum meorum. tibi igitur hoc munus iniungo, vt de impetratis euectionibus in adminiculum Prætoriæ functionis, habitum mentis meæ apud eum plenius exſequatis: ſimúlque digneris eniti, [b] vt in rem miſſis, celer ad Hiſpaniam tranſitus impetretur. Appetit enim tempus Prætoriæ functionis, metúſque eſt mihi, ne equorum Curulium tarda emptio, & moroſa [c] deductio, ſollicitis tardetur anguſtiis. De hoc etiam ſublimem virum & præcellentiſſimum Comitem, ſecurus impetrationis, oraui. Adieci præterea cõmonitionem, cuius ſuffragator eſſe dignaberis: vt ſi moleſta petitio non videtur, familiares meos datis ad potiſſimos Hiſpaniarum litteris proſequatur. Satis dictum eſt. Siquid aliud tuis auribus amicorũ meorum ſermo ſuggeſſerit, oro vt in curam ſancti & [d] fideliſſimi pectoris tui recipere digneris. Vale.

[b] *Lib. Pith.* vt immiſſis. *Sed placet vulgata lectio. Nam ſic loquitur. lib. 2. ep. 29. & 58. & lib. 9. ep. 18. & 61.*

[c] *v. c.* eductio ſollicitis arctetur ang.

[d] *v. c.* fidiſſimi p. t. r. non grauteris.

* *Ad Patruinum.* 106.

AMor mutuus facit vt tibi ex vſu meo agẽda delegem. Cùm igitur filij mei Prætoria inſtet editio, quam vir illuſtris Comes omnium virtutum genere ſublimiſſimus ſuis euectionibus iuuare dignatus eſt, coëmptioni equorum ex Hiſpania celeritas admouenda eſt. Quare quæſo te, vt familiares meos ad Hiſpanias miſſos nulla tarditas demoretur: quos iuuari tuis litteris volo, vt illis merita tua Hiſpanorum mentibus impreſſa ſuffragio ſint. Vale.

Ad Patruinum. 107.

IVliani agentis in rebus modeſtiam noui, natales probo, fortunam doleo. Fatalibus enim malis diu & grauiter exhauſtus eſt. Sed credo cum eo omnia in gratiam eſſe reditura, ſi patrocinio tuo & humanitate foueatur. Plura non dicam, cùm præclaris moribus tuis familiare ſit opis indigos ſubleuare, & huic petitioni meæ etiam tuæ mentis natura conſentiat. Vale.

Hæc ex v. c. addo.

* *Patruino.* 108.

POſt conſenſum partium, poſt vinculum pactionis, allegatáq; in iudicio monimenta placitorum, filius meus Cæcilianus denuò ad incerta litis attrahitur. Nota eſt ibi qualitas cauſæ. meritò omitto comperta ſtilo exſequi. hoc tantùm de ſancto animo tuo impetratum volo, vt iiſdem [a] viribus quibus pro eo luctamina prima ſedaſti, repetitæ medearis iniuriæ: quia iuſtitiam tuã debet acriùs incitare aduerſum fidem placiti rupta concordia. Vale.

a *Al.* iuribus, *quod rectius eſt.*

Ad Patruinum. 109.

APerta [b] eſt improbitas eorum, qui reducunt in quæſtionem pactionibus terminata, & per impatientiam quietis finem iurgij ſecunda lite commutant. Æſtima igitur filij mei Cęciliani dolorem, cui ocium conciliare non potuit damnis patrimonij empta concordia. Nam reducitur in longinqua iudicia, quibus facilè, ſi ſuffragium tuleris, [c] eruetur. Eſt enim in te atque in fratre portus omnium, [d] quos fortuita ſollicitant. Prolixus in petendo eſſe non debeo: quum cauſæ qualitas & tua iuſtitia plus de te fauoris, quàm meus interuentus, eliciat. Vale.

b v.c. comperta eſt.

c *Vide notas.*

d *Lib. Pith.* fortuna ſollicitat.

* *Patruino.* 110.

DVo ad me bona parilis voluptatis recẽtes nuncij pertulerũt: & vos iuſtis honorum creuiſſe proceſſibus, & domino ac filio meo Flauiano fructum priuaci otij eſſe delatum. Sumpta igitur gemina fide veſtras litteras ſuper his expectare non debui, quas æſtimaui per [e] verecundiam differendas. Quare æſtimationem lætitiæ meæ vobis relinquo: quia menſuram eius de veſtro in nos amore colligimus. Sed his gaudiis etiam illa opto coniungi, quæ de Prætoria editione filij mei iampridem poſtulata meminiſtis. Nam vehementer ammiror iuſtis & ſolemnibus deſideriis nondum arriſiſſe reſcriptum. Itaque ſecundis litteris rurſus oraui, vt petitiones nulli graues, mihi verò iucundas, quibus miſſa pariter etiam minorum magiſtratuum ſuffragantur exempla, benignè, vt mos eius eſt, tradi iubeat effectus. Sed beneficentiam tanti viri, cui ſemper voluptas eſt ſupra ſpem magna præſtare, promptiorem ſpero reddendam, ſi vt frequenter popoſci, veſtris ammonitionibus prouocetur. Vale.

e *Ita lego. Nã v.c. habet,* vecundiam.

* *Patruino.* III.

FRatrem meum Seuerum multo ſermone proſequerer, ſi nouo aditu amicitiam tuam peteret, aut prędicationi eius meum ingenium conueniret. Parco igitur copiæ, tuóque cedo iudicio: vt diligentia eius tuæ potiùs voluntati, quàm meis litteris, applicetur. Vale.

* *Patruino.* 112.

CVm tibi omnium meorum cura præcipua ſit, præſumo filio meo Arcentio ſpectabili viro, quem mihi iungit affinitas, intimam familiaritatem tuam poſſe reſeruari; quam meritò illi & vitæ decus & familiæ conciliat antiquitas. His propriis eius bonis etiam meæ preces in augmentum commendationis accedũt: vt planè dubitare non poſſim, cumulatiùs ei & meum teſtimonium & tuum iudicium profuturum. Vale.

* *Patruino.* 113.

DOminum & filium meum Attalum de ſummatibus viris ad Dominos & Principes noſtros ampliſſimus ordo legauit, inſtructum variis de more mandatis, quæ ſpectare viſa ſunt bonum publicum. Huic ſi fautor acceſſeris, futurum reor vt illi pro labore fructus accommodetur. Quæſo igitur vel legationis merito, vel meo nomine in optimum virum bene conſulas; qui ſatis animi confirmatus eſt ſuffragio tuo ſucceſſuram fœlicitatem. Vale.

* *Patruino.* 114.

a BEatum te, qui honorum emeritu ociaris. Nos in patrio ſolo viuimus, & fortunæ fluctibus verberamur. Quorſum iſta protulerim, dominus & filius meus Attalus eloquetur: cui ſpes viſendæ pręſentiæ & prudentiæ tuæ, laborem peregrinationis fecit optabilem. Vale.

a *Lib. Pith.* Beatũ te dico qui bonorum merito ociaris. v.c. ſic B. te qui bonorum emeritus oc.

* *Patruino.* 115.

DVo mihi pariter iucunda delata ſunt. Primò ſermo tuus, qui, etiam ſi poſſet eſſe continuus, faſtidium non moueret. Dehinc fratris noſtri Frumentij exoptatus aduentus, quem ego in numerum eſſe referendum, priuſquàm morum ipſius periculum facerem, ex prærogatiua tui teſtimonij iudicaui: ſed vbi propiore congreſſu probitatis eius ornamenta patuerunt, aduerti eum minùs quàm ratio poſtulabat per verecundiam prædicatum, ne ipſe laudationem ſuam mãdatam litteris videretur ingerere. Pro his ergo muneribus optatum tibi ſoluo reſponſum, quo me agere

ex ſententia,& frui commodo cum mei valetudine recognoſcas. Huic autem rei nihil adiiciendum puto, cùm ſolo noſtræ ſalutis indicio gratulatio fraterna poſſit expleri.

* *Patruino.* 116.

SCis pro inſita tibi humanitate, quid paruulis & parentum ſuffragio deſtitutis benignitatis ac miſericordiæ debeatur. Meritò mihi apud te vtendum eſſe non arbitror longo ambitu litterarum pro illuſtris memoriæ viri Seueri filiis: qui niſi bonorum Iudicum iuuentur auxilio, prædæ atque iniuriæ ſubiacebunt. Quicquid igitur eorum poſcit vtilitas, fauor tuus non grauetur impendere: vt publico ſaltem defendantur adiutu, qui familiaribus adminiculis deſeruntur.

* *Ad Patruinum.* 117.

EXſortem te ſermonis mei eſſe non patiar, [a] neque ab ſcribendi perſeuerantia ſilentij tui imitatione deducar. Scio enim plerumque non amicitiæ negligentia, ſed obſtrepentibus curis officia retardari. Velim credas, & in poſterum curam capeſſas integrandi iſtius muneris, quod ipſe iam pridem moraris. Ero promptior exhibendis litteris, qui ne nunc quidem tempero, cū gratiam mutuam non reporto. Vale.

[a] *ita rectè v.c. lib. Frob. habuit*, neque ad non ſcribendi perſeuerentiā tui ſil. imit. d.

* *Ad Patruinum.* 118.

CErtum habeo nihil apud animum tuum amicorum litteris eſſe iucundius: & ideo promptiſſimè frequento colloquia, quæ ſcio apud eximium virum magni eſſe momenti. Supereſt vt ipſe quàm benignè litteras meas ſumis, tam libenter indicia propriæ ſoſpitatis emittas. Vale.

Patruino. 119.

COrdi mihi eſt frequenter alloqui vos, ne videatur apud me officiorum familiarium cura tepuiſſe. Atque vobis ideo ſalutem votis opto, litteris dico: petens vt ſi quando epiſtolarum mearum vſus interuallo longiore ceſſauerit, cauſam ſilentij non voluntati aut deſidiæ meæ, ſed occupationibus applicetis. Vale.

* *Patruino.* 120.

ATHanaſius V C. peregrinationis iniuriam iuſto dolore ſuſcepit. nam pactæ ei & nobis arbitris iunctæ obligatione pignorum nuptiæ denegantur. Exaggerarem facti huius inuidiam, niſi verba rebus eſſent minora. Ipſe apud te quod quæſito opus eſt, plenius eloquetur. Orare non debeo, vt tuo iuuetur auxilio:

quod ille & amor tuus ſpondet, & munita legibus cauſa conciliat.

* *Ad Patruinum.* 121.

SCio ad indicium amicitiæ pertinere, quòd relligionem tuam participem noſtræ neceſſitatis aſſumo. Suſcipe igitur, quæſo te, procliue mandatum, quod pro mutua diligentia & non rogatus curare deberes. Vt ſiquidem plurimi ad editionem muneris noſtri ex Italia deuehuntur, quos cupimus celeriter in vſum propinqui muneris exhiberi. Dignare igitur eorum tranſitum ſtudio & diligentia vindicare; ſimúlque adhibere cuſtodiam, ne qua eos fraus auara commutet. Maximè autem rumpendæ ſunt moræ: quia dies proximus functionis cogendo apparatui non relaxat inducias.

* *Ad Patruinum.* 122.

PRobo modeſtiam tuã. Sed damno mihi eſſe non debuit, dum ſperata expectat impleri. Et certè nunc poſtquam rei effectus finem ſilentio dedit, diſpendium meum frequentior ſtilus ſarciat. Eſt aliud quo iuncta ſcripta cõpenſes. In agendis D.M Conſuli pro beneficio ſuo gratiis noſtrã ſortire perſonam eo affectu, quo amicorum tibi gaudia vendicas. Sed, vt ſcio, luculentioribus verbis, & propter ingenij tui magnitudinem, & ſine adulationis pudore abſentis gaudium proſequeris. Adde ſi placet quod à me poſtulatum tenes, vt aliarum Lybicarum mihi emptio ſacra auctoritate præſtetur. Quo impetrato omnium perceptionum donum putabo. De iuuene autem meo retexere non laboro, quæ ſponte meminiſti. Intelligo enim remitti modeſtiæ meæ precandi neceſſitatem, cùm libentiùs à ſublimi & magnificentiſſimo viro non expectata præſtentur.

* *Ad Patruinum.* 123.

IN viro optimo & amiciſſimo meo Petrocio Romana ſimplicitas eſt. Taceo quòd illum longa militia & inculpata cohoneſtat. Minora enim cetera facit morum eius inſpectio. Hunc vnanimitas veſtra antè non didicit: iudicium meum ſecuta ſuſcipiat. Si vſu veſtro iam ei opus fuerit, quæſo te vt illi honor teſtimonij mei conciliet apud vos amoris augmentum.

* *Patruino.* 124.

AMicorũ liberis vſui eſſe debemus, quod etiamſi ipſe neſcirẽ, tuo exẽplo & imitatione didiciſſẽ. Ad hãc ſentẽtiã pertinet,

qui tibi litteras exhibebit. Fugitur autem militia in ſcriniis litterarum. cui ſatis opis & fœlicitatis eueniet,ſi ad clientelam ſplendidiſſimæ domus tuæ meruerit peruenire.

Patruino. 125.

a *v.c.ſecuri*⁹. *ſed & lib.Pih. pro* ambus, *habet*,moribus.

ATHanaſium bonis artibus clarum [a] ſecurus amare cœpi, poſtquam de eo iudicium tuum comperi. Magna enim prærogatiua eſt,placuiſſe ſapienti. Quare commendatione eius abſtineo,ne minora afferam quàm te credo ſentire. Illa pars mihi pronior dictu eſt,vt ames in eo ſpem quam dediſti,addáſque inchoato beneficio perfectionem. Quam ſi aliquis euentus eluſerit,effice oro te maiora præſtando,vt illi prioris voti proſit amiſſio. Vale.

* *Ad Patruinum.* 126.

NOn nouum atque intemtatum ad te refero poſtulatum,ſed quod ingeſtum tuis auribus recognoſcas. Illuſtris memoriæ viri Rufini expræfecti vrbi filias paterna affectione defendo: quarum ſolitudinem per vos,quibus Reip. cura eſt,opto tutari. Et ideo precator accedo,vt,quicquid claræ quidem,ſed miſerabilis domus vſus exegerit, facili impetratione, mereantur. Res namque illis eſt per Apuliam, nō tam reditu ampla,quàm cenſu. Hæc niſi bonorum Iudicum fulciatur auxilio,publicis oneribus feſſa ſuccumbet. Opis igitur tuæ leuamen expectat; neque tibi gratiæ faciet debitorem,ſi graui onere vinctas ſalutaris defenſor erexeris.

* *Ad Patruinum.* 127.

PRomptiorem me circa Herennij laudabilis viri defenſionem iudicia veſtra fecerunt. Habet enim plurimum voluptatis electio,& prouocant animum ſperata præſidia. Sed meum non eſt,ſcripto oſtentare quid negocio promouendo cura veſtra contulerit. Narrabit hæc vobis ille quem iuuimus, ſimul ipſius rei exitus officia noſtra teſtabitur. Cuncta enim,quæ direptio ſparſerat,inueſtigata patuerunt, Itaque in ius Herennij reuertetur,legibus quidem debita,ſed patris ſenſu aſſeruata [b] ſucceſſio. Nunc veſtræ de me exiſtimationi gratias ago atque habeo: & ſpero fiduciam noſtri apud optimates viros eſſe manſuram,cuius documenta cœpiſtis.

b *Ita ſcribo ex coniectura P. Pithœi. Nam erat in v.c.* ſeceſſio.

Ad Pa-

Ad Patruinum. 128.

AMor in te meus ex ſummis[a] operibus annititur: in dies enim ſingulos bonorum cultus tibi accedit. Inter quos vir Conſularis Scipio, virtutum tuarum me quoque teſte laudator, ſpoliatum ſe amore tuo per æmulos ingemiſcit. Sed mihi veriſimile non videtur, ſtabilitatem animi tui rumoribus falſis poſſe mutari, cùm bene conſcius vitæ, nihil in ſe maledicis licere ſermonibus debeat æſtimare. Quare hortor & deprecor, deſpuas ſi qua ſunt inculcata mendacia, atque hunc honorem[b] meritis tuis vindices: vt qualis ipſe es, talem te ab omnibus intelligas iudicari. Nemo in te transferat odij ſemina ſui. Iam dudum enim genus eſt artis, ad alendas vires diſcordiæ ſuæ, ſollicitare metum potiorum. Non ibo longiùs, quum impetrationem ſpondeat ſapientia morum tuorum, quam puto eatenus reſponſuram litteris meis: vt non tam ignouiſſe te Scipioni, quàm nihil de eo aſſeraris crediſſe.

[a] *Al.* opibus.

[b] *Lib. Pith.* moribus tuis vend.

Symmachus Sibidio. 129.

CVram de te meam nolo ex epiſtola metiaris. Pauca enim[c] ſalutantis verba ſunt, ſed vota prolixa. Liceat igitur mihi imitari erga te parſimoniam relligionum, quibus[d] iura amicitiæ confers, & officium pium breui pagina tanquam paruo ore perſoluere. Neque enim requirit dictio excurſum. Tibi autem præſcribo ſtili terminos. Erunt[e] tibi quæ de te ſcripſerim nimis magna, ſi læta ſint. Vale.

[c] *Sic v.c. vulgo,* ſalutantiũ. *lib. Pith.* ad ſalutandum.

[d] *Sic v.c. vulgo,* iure amicitia conſeritur.

[e] v.c. mihi.

Sibidio. 130.

ÆGer eſt animus meus, quandiu fides certa ſit, quòd portum ſanitatis intraueris. Huic expectationi ſatisfacias[f] volo. Nõ enim mihi honorem fieri opto litterarum, ſed magnæ ſollicitudinis tribui leuamen exopto.

[f] *Sic v.c. vulgo,* Nec tantũ volo mihi honorẽ fieri obſequio litterario, ſed magnæ peto ſollicitudinis tribui leuamen.

Sibidio. 131.

NVmquam efficies ſilendo, vt me ad parem volũtatem ducat imitatio. Cogito enim non quid temporali cauſæ, ſed quid perenni amicitiæ debeatur. Cúmque ſin mei officij ſeuerus arbiter, curam tuam caſu ſæpius quàm faſtidio credo ceſſare. Sed ne longa colloquij intercapedo quamuis tui amantem cogat temerè neglectum, quæſo conſtanter munia familiaritatis exerceas. Quo enim pacto intelligere poſſum grata eſſe quæ defero, ſi negaueris quæ repoſco?

Q. AVRELII SYMMACHI EPISTOLARVM LIB. VIII. INCIPIT.

Epiſt. I.

Vide Sidon. Apoll. lib. 4. ep. 14.

Compertum habeo quolibet honorum culmine animum tuum non ſolere mutari. Quicquid bene meritis honeſtatis accedit, id ſolutum magis videtur eſſe quàm præſtitum. Et ideo mirari me ac ſtupere confiteor, cur tanta virtute atque humanitate præditus iampridem circa me munere litterarum cauſis occupationis abſtineas. Quod ego etſi occupatione magis quàm voluntate arbitror accidiſſe, tamen orare non deſino, vt cenſurã tuam noſtri memorem frequens ſermo declaret.

Ad Almachium. 2.

Vide notas.

Mihi quidem multa lex à te, & varium munus exhibitum eſt: ſed aduerti verecundia factum, quòd tibi aſſumere noluiſti omnem capturæ ſylueſtris euentum. Nam tua indage captum leporem gloriatus aptum, ſeruiles manus aſſeris incidiſſe. an breuitas feræ indigna tibi viſa eſt, quàm laudi propriæ vindicares? Sed hæc ioci dicta ridebis, nunc alia quę de me requiris aduerte. Diebus pauculis etiam nunc morari Capuæ deſtinaui, dehinc mutationibus vicinorum locorum totum hunc menſem cupio producere, atque, ita ſi dij iuuerint, voluntatem relegere Appiam moleſtiæ [a] acceſſu.

a *Malim*, abceſſu.

Symmachus Fructiano. 3.

Sollicitatus iam dudum litteris tuis tandiu angar, quandiu de te ſecunda cognoſcam. Quid igitur vel medicorum curatio, vel abſtinentia tua ad ſalutem promouerit, opto cognoſcere. Ipſe bonæ valetudinis compos reuiſere patriam fortuna ſuffragante conſtitui, priuſquam labor itinerum proceſſu adultæ hyemis augeatur.

[b] *Ad Lollianum.* 4.

b *Al.* ad Iulianum.

Primas litteras ſponte tribuiſti, ſecundas mea cura debet elicere. Sume igitur ſalutationẽ, quam viciſſitudine munereris. [c] pelliceor enim, reſponſis tuis paria me eſſe facturum. Vale.

c *v.c.* poll. itidem cũ reſponſis.

Ad Priſcilianum. 5.

ESſent mihi gratæ litteræ tuæ, vel ſi nihil de meis apud Africam meritis ac laudibus contineret. Nam vt mihi decus aliquod, ita tibi pro mutua amicitia gaudium præſtiterunt. Hinc factũ eſt, vt epiſtulam lætus emitteres. Exultans quippe animus gloriatur, & oſtẽtatione ſui non poteſt abſtinere. Tanto igitur in nos amore Deorum te benignitas muneretur. Etenim cùm ipſe me non eſſe ſoluendo dignum arbitror, ad vicẽ meæ gratiæ fauorem tibi præſidij cæleſtis exopto.

Ad Seuerum. 6.

GRatæ ſunt quidem ſemper litteræ tuæ, nunc legentis animũ momorderunt, cùm te indicarent morbi diuturnitate macerari. Quæſo [a] cuſtodes bonorum valetudini tuæ medicas applicent manus: ne optimi Senatoris longa vexatio fidem faciat nihil curare celeſtes. à qua ego opinione diſſentio, téque protinus ope ſalutarium poteſtatum ſolidæ ſanitati præſumo reddendum, ſi modò ipſe plenus ſpei lætis cogitationibus elucteris aduerſa.

[a] *Fortè leg.* cuſtodes deos bonorum.

Ad Capreolum. 7.

ADuentante Euſcio ſperaui litteras tuas, ſed fiduciam caſus fefellit. Ego tamen ſilentij tui imitator eſſe non potui. quare indebitis fungor alloquiis: vt qui præſul huius officij eſſe debueras, exempli neceſſitate ad diligentiam prouoceris.

Ad Euſebium. 8.

FVerit verecundiæ tuæ, quòd nihil hactenus nobis alloquij detuliſti. nunc ſume fiduciam, quam tibi ad inuitamentum familiaritatis ingerimus, & gratas tibi fuiſſe litteras meas ſermonis aſſiduitate teſtare.

Martiano. 9.

SCriptionis auſpicio fiduciam tuam prouoco. quare familiaritatis noſtræ aditum ingredere ſecurus. Viciſſitudo officij tui faciet, vt inchoata per me amicitia conualeſcat. Vale.

Ad Ireneum. 10.

EXpectaſſe te arbitror litteras meas, vt in mutua officia prouocatus erumperes. Sume igitur ſermonem cuius ſequeris exemplum. Ero poſthac in ſcribẽdo diligentior, ſi cœptis noſtris viciſſitudo reſpondeat.

Epiſt. 11.

AFfectio in te animi mei non litteris æſtimanda eſt. relligio enim, fide pectoris continetur. In verborum officiis, latet plerumque ſimulatio. Quare ſi tibi in ſcribendo rarior videor, nihil amori exiſtimes decerptum. Et ſæpè euenit, vt homines tui nec profectionis ſuæ mihi indicium faciant, & mutuas paginas non repoſcant. Sed de hoc loqui largiùs non oportet: quia ſufficit amanti breuis & diſtricta purgatio. Ad ea tranſeo, quæ vtrique votiua ſunt. Hilaratus ſum ſanitate tua, & rependo quo gaudeas. Nam mei quoque corporis vigor, poſt infirmam valetudinem cœpit aſſurgere. Vale.

Paccato. 12.

ET in deferendis & in rependendis tibi litteris deſidem me arbitror non videri. Quare & ſi memini ad te diebus proximis officia noſtra manaſſe: curaui tamen etiam debito fœnore ſermonis abſolui. Sed ſi vnquam breui interuallo vſus iſte ceſſauerit, velim cogites amicitiarum non frigere reſpectum. Relligio enim magis fide animi [a] metienda eſt, quàm oſtentatione verborum.

a v. c. metuēda ſed malè.

Ad Apollodorum. 13.

PErueniſſe arbitror famam, quæ te abſolutum non modò honoris, verumetiam curarum faſce vulgauit. Si ita eſt, ero tibi nunc cōfirmator boni olim deſiderati. Mea cum filio ſanitas ope diuinitatis in ſolido eſt. Tibi autem ſalus valida, & reditus fœlix ſecundet, tam noſtra vota quàm tua merita præſtabunt.

Epiſt. 14

ABundo lætitia, poſtquam valere vos didici, noſtræ amicitiæ inter negociorum dura meminiſſe. Sed quando fiet, vt ſolatiis litterarum damnā [b] abſentiæ farciantur? Ego autem vos Prætoriis meis faſcibus primos intereſſe voluiſſem, feſtiſque communibus decus facere. Sed feram neceſſe eſt anteferri mihi cauſam Senatus. Quare in ſuperioribus verbis deſiderij magis conteſtatio eſt, quàm querela diſcidij. Præſtabit cœleſtium fauor, vt mādatis patriæ abſoluti, iter fœlix ad ludorum noſtrorum ſolemne relegetis.

b Ita lego. Nā v. c. habet, abſinentiæ.

* *Allenio.* 15.

EX debito venit ſermo,qui redditur: ex beneficio,qui ſponte defertur. Secundæ igitur mihi partes relictæ ſunt, poſtquam ſtilus tuus mea ſcripta præuenit. Nunc vice ſalutationis repenſa operam tuam curámque depoſco in his,quæ Caſtor ex vſu atque vtilitate noſtra promouenda ſuggeſſerit.

Carterio. 16.

GRatum habeo de teſtimonio meo non eſſe dubitatum: receptúmque eſſe in familiam tuam Auxentium, filium noſtrum [a] lepidiſſimum iuuenem, in meo ære duco. Quo nomine amicitia noſtra in arctiora fidei iura conuenit. Et præſtabit vſus longior, vt cùm in eo bona plura cognoueris,adſtipulationem meam de merito eius, infra terminos veritatis [b] ſtetiſſe fatearis.

a v. c. lectiſſimum. *li. Sc.* d. ctiſſim. ū.

b *Sic v.c. vulgo*, fuiſſe fatearis.

* *Ad Rufinum.* 17.

PRouinciali actione decurſa,quæ ad ſacri auditorij [c] cognitorem neceſſaria prouocatione peruenit,delectatus ſum fide ac diligentia tua: & fortunam negotij non defenſoris inſcitiæ,ſed voto Iudicis imputaui. Hortor igitur vt amicitiæ meæ fiduciam geras,& teſtimonij interim noſtri adſtipulatione contentus, domum noſtram,quæ multis circumlatratur iniuriis,forenſis induſtriæ tuearis officio. Nos vt ſæpe gratiam nudo & ſimplici proteſtamur alloquio: ita ad referendam viciſſitudinem, ſi fors iuuerit,pares eſſe nitemur.

c *Ita lego. Nā v.c. habebat*, genitorem.

* *Ad Patruinum.* 18.

IN agro me eſſe miraris. At ego iuſtiùs ſtupeo ad communem te patriam ſpreto ruris ocio reuertiſſe,niſi quòd cauſam tibi reditus iterata lis attulit. Alioquin, vt eſt mens tuæ quietis cupida, mallet negociis ruſticis immorari. Mihi ſuburbanitas pedum ægritudine laboranti magis ſolatio quàm voluptati eſt. Nullam iucunditatem triſtis morbi ſenſus admittit. Sed ſpero ſi innocentiam diuina reſpiciunt, & te forenſi obſeruatione cariturum, & me valetudinis reconciliatione ſanandum. Gratus & facilis erit, aut in Romam reditus; aut tibi ad agrum, in quo nunc diuerſor, excurſus.

Ad Patruinum. 19.

[a] IPſum te malo, quàm delinimenta verborum. Tu contrà epiſtolis abſentiæ moras redimis. Quid ſi tibi reſpondiſſet opimitas ſegetis, aut vindemiæ arriſiſſet vbertas? Omnium temporũ vices in ocio ruris [b] exigeres, qui patriam fame in agris dominãte non reſpicis. An ſolo iuuaris aucupio, cuius me parte donaſti? Sed his quoque gulæ illecebris Romæ poſitus largiter vtereris. Nam ſimul tibi & coempta ex foro cupedinario, & ex ſuburbano tuo prolata ſuppeterent. [c] Quid quòd etiam iactari morbo matronam tuam ſimulas, cuius valetudini, ſi vera prædicas, ſolitudo non competit? Plura enim Romæ ſalubritatis inſtrumenta ſunt, maior medentium numerus. Vide igitur ne aliud genus ſuſpicionis incurras, ſi obſeſſam à morbo cõiugem vacuo ſeceſſu, [d] diutina ablegatione maceraueris. Vale.

Epiſt. 20.

PRæ ceteris temporum vicibus æſtate delector. Non quia diurnas horas longior Solis meta producit, nec quòd res rationéſque noſtræ noua fruge diteſcunt: ſed quòd [e] pacata nauigatione deſideratas mihi litteras tuas frequens inuehit commeatus. Quid enim mihi [f] vel animi voluptate iocundius, vel ad officium amicitiæ accommodatius præſtari poteſt, quàm vt te mei amantem vſu crebri ſermonis experiar? Ergo dum [g] anni tempus inuitat, dum peruium mare eſt, pabula quædam & nutrimenta mutuæ affectionis veluti in hyemem [h] congerantur. Quũ hæc ſcriberem, ſalus mihi ex ſententia ſuppetebat, tuis videlicet adiuta votis. Neque enim alia nobis de cauſa arbitror optata ſuccedere, quàm iudicio [i] & amore Carthaginis. Vale.

Epiſt. 21.

INdulgere te ocio, opinionis falſus putabam: tu verò animum lectione, labore corpus exerces. Hoc indicant ſcripta & munera tua, ſtilo exſculpta, & parta venatu. Mihi Flaminia emetienda eſt, ad nouos faſces generoſi Conſulis euocato. O ſi reditus tuus anteaperet profectionis meæ molitiones, iuuari me ampliſſimo viatico crederem. Sed quia multo itinere diſcernimur, & neque mihi mora, atque tibi properatio commoda eſt, verbis meis pagina noſtra fungetur. Præfata numinum venia, prætorem Symmachum meum mox vrbanum tribunal accipiet. Feſta eius frequentari potiſſimis amicorum, quibus annumeraris, exopto. Da

a *Ita v.c. vulgo malè.* Ipſũ autẽ te epiſtolis quàm delenimento verborum abſentiæ moras redimere malo.

b *Sic v.c. vulgo*, ageres. *mox lib. Pith. habet*, qui patriæ famam demorando non r.

c *Ita v.c. vulgo.* Quinctiã morbo.

d *v.c.* & intuta ablig.

e *Lib. Sco.* placata.

f *Lib. Pith.* vel communi voluntati iocundius.

g *Sic. v.c. vulgo*, annuũ.

h *Sic v.c. vulgo leg.* cõgregantur.

i *Lib. Pith.* & amore caritatis.

iſtam gratiam procul affuturo [a] iiſdem in rebus. Gratius eſt, quod deſertur abſentibus. Vale.

Ad Martianum 22.

IN tuo ore vernat Cecropia muſa, mihi lingua [b] Latialis eſt. Ne deſideraueris æqua ſtili mei munera. Litteris vincimur, amore certamus. Sed hæc meritò reſcriberem, ſi mihi ſolam epiſtolam detuliſſes. Tu verò mihi, vt es amicorum diligens, Bibliothecæ noſtræ carminum tuorum diuitias intuliſti. Quid tibi pro hoc dignum rependam, tenuis ipſe [c] facundiæ & pauper ingenij? Tradam publicæ admirationi, quæ legenda miſiſti. [Et [d] quanquam laudator impar, bonum ſæculi publicabo. Nihil ex hoc derogabitur operis tui gloriæ.] Nam & Homerum nouimus à diſſimilibus prædicari. Careret quippe fama magnorum virorum celebritate, ſi etiam minoribus teſtibus contenta non eſſet. Sed quid hæc longiùs traho, quum breuitatem verecundia tua poſtulet? Cura vt valeas. Et ſi quid ſtilo adieceris, cum mediocri iudice [e] & non ingrato lectore participa. Vale.

a *v.c.* habet affuturo iiſdem diebus. Gratius. *& ita eſt in lib. Scotti.*

b *v.c.* Latiaris.

c *Sic v.c. vulgò*, facundia, & p. ingenio.

d *Hæc ſequẽtia addidi ex fide v.c. quæ vulgò deſiderabantur.*

e *Lib. Scotti.* ſed non.

Andronico. 23.

DEos oro, vt quæ mihi interim valetudo eſt, eadem tibi ac tuis ſuppetat. Videor plenè hoc anteloquio ſcribenda complexus de tua ſanitate, votum de me ac ſtudium. Sed epiſtolas breues eſſe non pateris. Quæ igitur ὑπόθεσις erit paginæ longioris? Vbi ſim, quid egerim (nam præcipuè amicitia rerum talium curioſa eſt) ſi placet proſequar. Principium voluptatum de Formiano ſinu naſcitur, quę ciuitas quondam Lęſtrygonum populo fertur habitata. Hos ventri & gulæ vſque ad feritatis inuidiam legimus obſecutos. Pluſculos in eo littore dies deliciarum parcus exegi, tantam cæli ſalubritate & aquarum frigore ſuadentibus moram. Affuerunt pignora mea, quorum cupiens noſtra vrbe proceſſeram. Nec fuit operæ mox vlteriùs iter aggredi, cùm prę ſto eſſent deſiderati. Illorum dehinc arbitratu legi oram, quę Formias & Cumanum littus interiacet. Nunc mutuis inuitationib' aut in Baulos, aut in Nichomachi Gaurana migramus. Amicorũ ſubinde mihi affluentium largiter eſt. Non vereor ne me laſciuire in tanta locorum amœnitate & rerum copia putes. Vbique vitam agimus Conſularem, & in Lucrino ſerij ſumus. Nullus

in auibus canor, nulla in conuiuiis [a] helluatio, nec frequentatio balnearum, nec illi iuuenum procaces natatus. Scias nullum eſſe in luxuria crimen locorum.

a *Ita emendat P. Pithœus. Nã v.c. habebat,* belluatio.

Ad Maximianum. 24.

NIhil inter te & parentem tuum optimum, re aut affectione diuiſum eſt. Ergo & litteras quas ad eius reuerentiam miſi, vt omnium particeps, in acceptum referre potuiſti. Sed iam colendus es nobis etiam tuo nomine. [b] Præterea caui, ne reſpondente vno, imputaretur mihi viciſſim munus duorum. Conuenit tamen breuitas huic paginæ, quia relatu digna [c] præcerpſi. Quare ſermonem iſtum, tanquam amoris in te noſtri interpretem, tenebis. Verùm te in reſcribendo decet eſſe prolixum. Neque enim par conditio eſt iterati à me, vtrique autem noſtrum ſingularis laboris. Duos meatus repleri vno fōte, difficile eſt. vni alueo abundè influũt duplicata principia.

b *al.* Propterea.
c *al.* decerpſi.

Ad Albinum. 25.

CRedo arbitreris circumſeſſum me Campaniæ amœnitatib[9], ſcribendi ad te [d] hactenus negligentem fuiſſe. Non eſt ea fortuna horum locorum, vt ſeriam curam ſepeliant voluptates, inſolitis omnia neceſſitatibus ſtrepunt, & oneri ceſſēre deliciæ. Quare negocium pro ocio repperi. Nec poſſum facilè ad hæc amicitiæ tuæ munia animum retorquere. Spondeo tamen reuerentiæ tuæ, quæ litteris meis præferas. Relegere ad vos iter auidiſſimè ſtudeo. [e] Eadem quippe cauſa, quæ me vetuit ſcribere, cogit redire. Vale.

d *Sic v.c. vulgo,* caten[9].
e *v.c.* Eadem me quippe cauſa vetuit ſcribere, quæ cogit redire.

Gregorio. 26.

DEdi ad parentem tuum litteras, quibus contentus eſſe [f] potuiſti. Nam vt eſt vtrique veſtrum vnus animus, ita ſatisfaciet idem cultus ambobus. Sed metui imitationem, ne mihi alter è vobis, duorum vice & ore reſcriberet. Quare, vt in [g] honorem numinũ fieri ſolet, litationi addo [h] donarium: breue fateor, & quod tu prolixius eſſe voluiſſes. Sed in adiectis, menſura non quæritur. Ipſe copiã redde breuitati, quia familiares paginas eos oportet extendere, quibus non eſt neceſſe geminare. Vale.

f *al.* potuiſſes
g *v.c.* honore.
h *Al.* donatiuum.

Cenſorino. 27.

PRompta & auida manu litteras tuas, cùm mihi offerrentur, inuaſi, vt proſpera cogniturus. Sed cùm percurrerem lectione enumerationem diſpendiorum tuorum, voluptati ſucceſſit offenſio.

ſenſio. Et illa quidem aduerſa quæ cum plurimis pertuliſti, more humani ingenij habent aliquod de ſocietate ſolatium: hunc verò piraticæ deprędationis ictum, quem ſpeciatim caſus tibi durus adiecit, impreſſum altiùs puto: quia [a] neque habet participem, & geminauit dolorē. Cōtra hæc fortuita, virtute atq; ratione anim[us] armandus eſt, ſpes quoque aſſumenda eſt meliorum. Sæpe titubantia [b] in ſolidum conuerſa ſunt. Nihil hominibus æternum eſt. Voluunt mortalia vices crebræ: & omnium rerum fuga fit. Paucis iſta perſtrinxerim, quum tibi pro eruditione plura ſuccurrant. Nunc ad [c] alia reſpondeo, quæ de me ſcire voluiſti. Quamprimū Neapolim petitu ciuium ſuorum viſere ſtudeo, illic honori vrbis relligioſæ interuallum bidui deputabo. Dehinc, ſi bene deſtinata Dij iuuerint, Capuanō itinere venerabilē nobis Romā larémq; petemus. Inter hæc, ſi mihi euenerit aſpectu & colloquio tuo [d] defrui, explebor gaudij ſacietate. Sin maior neceſſitas negauerit nobis tui copiam, velim curarum nube deterſa eam ſapienter reſumas animi alacritatem, quam tibi congreſſus noſter ſedulò cōciliare potuiſſet. Vale.

a *Al.* nec habuit.

b v. c. in ſolidum reuerterunt. Nihil.

c *Al.* ad illa.

d *Ita v. c. vulgò*, frui.

***Ad Romanum.* 28.**

MEminiſſe te ſcio, quòd me quoque idem de amico dolor perculit, ſed iam nobis ſermonum vices debent eſſe ſolatio. Scribo igitur, vt reſpondere cogaris, & à funeſtis cogitationibus redeas in officia viuentium. Fecerat relligioſa cauſa, ne prior ſcriberes: non eris tam irreuerens, vt prouocatus abſtineas. Vale.

***Saluino.* 29.**

VIdi in litteris nuper mihi redditis relligioſum pro nobis animi tui gaudium, & apertiſſimè deprehendi quid ex amicorū proſperis rebus voluptatis vſurpes. Promptiùs igitur & diligo, poſtquam hoc votum bonæ mentis inſpexi. Et quamuis ipſe domino pectoris mei excellentiſſimo viro ſcriptorum gratiam pro Flauiani fratris tui honore detulerim: nihilominus tamen quęſo, vt etiam magnitudinem gratulationis meæ apud auctorem tanti beneficij digneris aſtruere.

***Ad Iouium.* 30.**

INterfuit publicæ vtilitatis, vt tibi maiora negocia crederentur. Quare prolixa [e] non debet eſſe gaudij mei atteſtatio, ne adulationis ſuſpicio deueſtuſtet iudicij veritatem. Opto igitur, vt tibi ſuſcepti officij curſus arrideat. Quamuis dubitare non poſſum,

e *Ita v. c. vulgo* nō eſt, gaudij.

nec mutari poſſe probitatem, & bonas artes ſtimulo præmiorũ fœlicius incitari. Vale.

Eudoxio. 31.

EXultaui gaudio, ob amicitiæ honorẽ, quum litteras tuas ſumerem. Sed vbi [a] Annęus noſter quàm ſis dubius valetudinis indicauit, in grauem curam lætitia deriuata eſt. Video enim peregrinationi, quæ morbi inſtar eſt, damnum ſanitatis [b] additum. Solatur tamen ſollicitudinem meam, quòd parſimonia tibi familiaris eſt, quòd [c] cognata ſapiẽtia & aduerſis fortunæ animus ingentior. quæ bona reducere ſolent valentiam corporis, & vigoris ſerenum. Spero igitur de te cognitu lætiora, & aures iam fœlicibus nunciis paro. Faciet iuſtitia, quę pios reſpicit, vt poſt huius incommodi citum tranſitum, vitæ tuæ proſpera longiùs porrigantur. Vale.

a *v.c.* Annius.

b *v.c.* adiectũ.

c *Ita rectè v.c. vulgo*, cognita. *vide notas.*

* *Ad Vrbicum.* 32.

AVſpicium mihi ſcribẽdi prior, vt mos eſt, facere debuiſti: cũ te huius diligentiæ domeſtici tabellarij reditus commoneret. Quia nobis vel obliuio vel occupatio relligionis tuę deſideratum munus inuidit, ego vſurpo principium: æſtimaturus in reliquum de raritate vel copia ſcriptorum tuorum, vtrum voluntate litteris ordiendis an magis neceſſitate defueris.

* *Ad Iuſtinianum.* 33.

SCio me in ſcribendo tardum fuiſſe. Conſulto diſtuli ſtilum, dum refoueo itinere tenuatum vigorem, quo tibi de me læta cupienti voto ſimilis pagina traderetur. Fiat igitur ex optimo nũcio moræ compenſatio. Certè ego ęam dico legem litteris amicorum, vt aſſiduitate illorum animos probent, meum bonitate delectent.

* *Ad Euſebium.* 34.

SCribere ad te antè voluiſſem, ſed commeantibus multis fidã occaſionem debet excerpere ſcribentis electio. Accepiſti cauſam tardioris officij: quæ ſi animo tuo ſatisfecit, curare dignaberis, vt ad me quoque reſponſa tua idoneis commiſſa perueniant.

Ad Ioannem. 35.

QVòd ſerò ad te ſcribo, amicitiæ tenacis indicium eſt, cuius memoria repetitis ex interuallo probatur officiis. Ipſe quoque ſilentium tuum non aliter interpretor. Nam cùm ſtili honorificentiã quæro, certus fidei tuæ, etiam de tacito amore non du-

bito. Sed vereor, ne iſta ſententia tibi ſuadeat negligentiam ſcriptionis, & hæc amicitiæ munia iudicij mei ſecurus omittas. Hortor igitur quæſoque, vt illam [a] potiùs cogites partẽ, quæ aſſiduitati gratiam parit, non quæ [b] permittit veniam raritati. Vale.

a *Al.* potiùs quæras partẽ. b *v. c.* promittit.

Ad Quintilianum. 36.

AD indicium mei circa te amoris hæc ſcribimus, & vt ipſe ad reſpõdẽdũ prouoceris exẽplo. Cũ igitur ego partes relligionis impleuerim, exſpecto vt ipſe etiã viciſſitudinis ſolutione fungaris.

Criſocome. 37.

PRoximè penatibus meis redditus, etiã nunc te mẽte & cogitatione reſpicio, atque omnem illã iucunditatem, quam corã de ſermone tuo hucuſque capiebam, voluptate compenſo. Cui ſi mutua cura reſponderit, tum tanta mihi delata amicitiæ ſcriptio gratiam tribuet, quanto ampliùs relata præſtabit.

Ad Romulum. 38.

SAlus pignoris communis in tuto eſt, cuius ſtudia ſollicitudini meæ delegata proficiunt. Meæ quoque valetudinis eſto ſecurus, & ad vicem talium nunciorum curam de te meam ſimilibus abſolue reſponſis.

Dunanio. 39.

QVæri de ſilentio meo nõ potes, qui nihil ſcriptorũ mihi huc uſq; tribuiſti. Sed ſi ſimile ſtili oppeſiris auſpiciũ, ſume exẽplũ relligioni officij, quod debeas æmulari. Ero deinceps ad exercendũ ſtilum prõptior, ſi me fructu mutui ſermonis animaueris.

Ad Auentium. 40.

SEceſſionẽ tuam etiam tacitus adprobaui. Nam cùm interueniente diſcordia ſupremis cõgeneri intereſſe nõ poſſes, ea mœſta profectione viſus es ſatisfeciſſe pietati. Ipſe quantum ciui optimati fuerat deferendum, triduo domi commoratus impleui, non famam captans, ſed humanæ fortunę vices cogitans. Quid enim tam rationabile eſt quàm tribuere collegæ, quod tibi quandoque bonos cupias exhibere?

Anthiocho. 41.

NVnc primum honoris limen ingreſſus nimis immaturè aduentũ ſucceſſoris exoptas. Agnoſco impatientiã græcis deliciis cõgruẽtẽ, à qua velim toto anni orbe diſſimules, ac te migraſſe in trib[9] Romuleas recorderis. Quid enim dignũ cõqueſtione perpeſſus es? Nondum te militares contumeliæ perculerunt,

Vide notam.

nondum catervas mulierum ſciſſa veſte fugiſti, nondum ante ianuas eminentium poteſtatum vigilem noctem ſalutator expertus es, & iam delicato faſtidio renuis magiſtratum? Commuta ſi vales animum, téq; in annum vel biennium obdura. Quis enim Siciliam recto itinere petens, ſermonem meum poteſt reddere in longinquis [a] ſtudiis conſtituto? Sed deſinit. Tene curã circa te meam de numero epiſtolarum non debere perpendi. Diligentia enim mea erga amicos iugiter manet: occaſionum verò raritas ſcripta diſtinguit. Sed de his ſatis dictum puto. Nunc elegantia mihi ingenij tui & inuentionũ ſubtilitas prædicanda eſt. Nouum quippe muſiui genus & intentatum ſuperioribus reperiſti, quod etiam noſtra ruſticitas ornandis cameris tentabit affigere, ſi vel in tabulis vel in tegulis exẽplum de te præmeditati operis ſumpſerimus. Vale.

a Fortè leg. ſtudiis.

Ad Calliſtianum. 42.

INter cetera parentum decedentium bona, amicitiæ quoque affectanda ſucceſſio eſt. Et fortáſſe ſtudio validiore captanda familiaritatis hæreditas: quia facultates fortuna præſtat, charitas iudicio [b] fœderatur. Volo igitur inter nos promptiùs conualeſcat [c] familiæ tuæ propagata coniunctio. Conſentaneum quippe naturæ eſt, vt officia à te inchoata, à me probata [d] coaleſcãt. Ergo in reliquum, ſermonis eſto munificus: mea cura non deerit, quæ te ſtili viciſſitudine [e] muneretur. Vale.

b v.e. fœderat.
c Lib. Pith. familiaritatis tuæ.
d Al. conualeſcant.
e v.s. muneret.

Ad Paſtinatum. 43.

LIteras tuas agrorum fructibus iure contulimus. Nam vt illorum prouentus non fallit temporis ſui debitum: ita fidem noſtræ expectationis annuus dignationis tuæ ſermo nõ decipit. huius nunc mihi per homines noſtros apportatio ſatisfecit. Lectis igitur paginis valere te gaudeo, & alloquiis tui honore delector. Nec me arbitror in reſpondendo imparem iudicari. Præſtabit diuinus fauor, vt has inter nos officiorum vices ætas prolixa multiplicet. Vale.

Ad Plerium. 44.

REdditum mihi eſſe annuum quodammodo ſermonis tui debitum, tibi quoque gaudium ſolemne de nobis hæc reſponſa præſtabunt. Quæ quia propter tantam longinquitatem frequentare non poſſumus, de bona fide certis temporibus exhibemus,

Maneat igitur hic vſus, & quodam ſalutis indicio mutua inter nos ſecuritas recondatur. Vale.

Ad Strategium. 45.

AGis mecum deſiderio amantis vt redeam: iamdudum hoc animus meus veſtri expetitor efflagitat. Sed valetudo ſaucia obſtrepit volũtati. Humor enim noxius articulis illapſus etiã nunc me tenet lectulo,& vix littorali ſiccitate tenuatur. Tribue igitur tempus refectioni,quod ego vendicaueram voluptati. Præ me autem fero,quod tibi in tanta bonorum multitudine poſt diſceſſum meum nihil vt antè iucundum eſt. Sed puto quia pia affectione fallaris: quia paruum eſt in amante iudicium. Et ego quidem non ex his primùm litteris quid de me ſentias ſcio. Prope eſt tamen vt agere gratias abſentiæ meæ debeam: quia mihi ſyngrapham quandam teſtimonij tui præſtitit. Verùm hæc miſſa faciam. Non morabor expectationem tuam poſt conciliationem vigoris. Sed quia hoc longum eſt, diligentiùs his quæ in proximo poſſidemus,reditum maturabo. Spero enim tantumdem acceſſurum ſanitati meæ ex conſpectu veſtro,quantum ſperari poſſit ex ocio. Vale.

Ad Valerium. 46.

VEllem ſedatam filij mei ægritudinem nunciare, ſed nihil proſunt figmenta ſollicitis. Audeo tamen ſperare meliora. imminutio enim febrium,Deo autore,ad fiduciam ſanitatis cœpit accedere. Tuæ pro nobis ſollicitudini gratias ago,& cæleſtem [a] comprecor maieſtatem,vt tuo circa amicos animo,proſperorũ omnium viciſſitudo reſpondeat. Vale.

[a] *v.c.* comprecor poteſtatem,vt tibi circa.

Ad Maximilianum. 47.

SOles in ſcribendo eſſe prolixus pro ingenij tui viribus. Poſtquam te honor aulicus in procinctum vocauit,tu quoque verba ſuccingis. Tanquam leuis armaturæ miles rurarius æmularis. Quid faciam ſenex garrulus, cui mẽſura ſermonis,à iuuene præſcribitur? Trahit nos vitium ſenile [b] verboſitas,ſed occurrit exẽplum,& faſtidia aurium tuarum de ſtili breuitate coniecto. Non enim violanda eſt interim mihi paginæ tuæ formula. Expectabo tamen an copiam de me exigas,cui rarè ſcripſeris.

c *Sic ſcripſi. Nam v.c. habet,* vboſitas.

Ad Vitalem. 48.

DIu ſanitati pariter ac venuſtati litterarum tuarum, mediocris eloquij conſcius,reſpondere dubitaui: ſed relligio rupit

timorem. Malui enim tibi ſtilo quàm ſuperbia diſplicere. Quicquid igitur hoc eſt quod tenet pagina, quæſo vt boni conſulas, téque ſubmittas ad mediocritatem ſcriptorum meorum: [a] ne retundatur officium meum, dum deſperatur iteratio. Vale.

[a] *Sic v.c. vulgo*, non retúdatur.

Ad Iouium. 49.

IAmdudum datis ad te litteris mutua ſcripta non metui, & tamen propoſitum meum ſeruans, honorificentiam ſcriptionis inſtauro. Credo enim quod negatam primo officio vicem, vel nunc impetrare poſſit iteratio.

Ad Maximilianum. 50.

ASſiduitatem ſcriptorum meorum tibi eſſe faſtidio, prope aſſerit raritas tua: es enim præter ſolitum parcus eloquij. Sed tueor conſtantiam diligentiæ, nec à propoſita argumentatione deducor. Erit poteſtas tua, hunc animi mei habitum vel augere ſilentio vel litteris amouere. Vale.

Epiſt. 51.

QVatenus me abſentia tua contriſtet, intelligis. Nam ideo neceſſitatem tibi à filio meo ſcribis iniunctã, vt publici negocij excuſatione purgeris. Alterum igitur relligioni meæ ex vtroque faciendum eſt, vt aut ceruorum aut aprorum copiam mittas, aut in conſpectum amici celeriùs reuertaris. Nulla enim ſatiſfactio iuſtitia ſupplebit, ſi & illi venatum & mihi ſolatium denegaris.

Leporio. 52.

DEbitum tibi rependo ſermonem. dudum enim parem mihi ſcriptorum tuorum honorificentiam communis amicus exhibuit: cuius verecundia & honeſtate diligẽter inſpecta, dignũ eſſe quem diligas approbaui.

Marciano. 53.

SEras tibi videri arbitror litteras meas. Sed ſi itineris mei dies numeres, ratio moram diluet. Interuenit [b] præterea ex humore ſolito dolor corporis, officiorum familiariũ ſequeſtrator. Nũc quia labori & valetudini quies reddita eſt, ſalutationis verba non differo, preciũ laturus obſequij de remuneratione reſponſi. Vale.

[b] *al.* interea.

Ad Maximilianum. 54.

SI bene in te animum meum noſti, dubitare non potes aduerſam valetudinem corporis mei ſcriptitandis hucuſque litteris obſtitiſſe. Hac parte purgatus ſalutatricem tibi paginam reddo,

quæ teſtabitur eſſe me ſoſpitem. Poſtquam ſanitas ſilentij excuſationem remouit, venturum te ad Campaniam filij mei aſſertione cognoueram. Hinc factum eſt vt ſcribendis litteris abſtinerem. Sed dum te aut curæ vrbanæ, aut voluptates morantur, pænè culpam ſilentij expectatio noſtra contraxit. Fungor igitur erga te ſalute dicenda, & tibi eligendum relinquo, vtrum mihi aduentum præſtare malis, aut reſponſum perſoluere.

* *Ad Romanum.* 55.

SEruo obſeruantiam, quã mos priſcus inſtituit, vt domo profecti litteras auſpicentur, & ſaluere me nuncio. Ex debito venit, vt te emiſſo à me muneri ſoluas amica reſponſa.

Ad Valerium. 56.

FIlium meum Romulum ego acceſſo: tu retines. Ego in eum mihi [a] perſonam parentis arrogo: tu ius affinis exerces. Mihi ex voluntaria ſponſione præſentiam ſuam debet: à vobis ſpe ſociandi itineris [b] retinetur. Sed quum mihi etiam tuus promittatur aduentus, quæſtuoſa taxatio eſt moræ, quæ mihi pro vno vtrumque promittit. [c] Cedo igitur voluntati tuæ, & paucorum dierum patientiam non nego. Fratri quoque tuo Romulo nimis gratulor, cuius nobis ambo ſolatium pio & amico certamine vindicamus. Vale.

[a] perſonam, *addidi ex v. c.*
[b] *v.c.* retentatur.
[c] *Lib. Scot.* Credo igitur.

* *Ad Marcianum.* 57.

FIlius meus cum bona Dei venia periculo caret, ſed defectum virium patitur propè vſque ad ægritudinem. Redire cõſilium eſt, paulatim mãſionibꝰ in ſpatia minora diuiſis. Ego quoq; meorum contagio ſocius acceſſi. Credo ex vigiliis nocturnis, quatum impręſentia exiguus fuit vſus, noxa pòſt cruduit. Comprimere tamen nitor diligentia & parſimonia ingruens malum. Ergo cæleſtibus aduocatis iter paramus ordiri. Veſtræ in nos diligentiæ grates referrem, ſi ſe amor ſperatus & ex mutuo, lactari laude pateretur.

* *Ad Romanum.* 58.

AD ſcribendum creber eſſe voluiſſem, & hoc ſperãdum eſſe promiſeram: ſed valetudo filij mei diu in dubio verſata, ceſſationem mihi ab huiuſmodi officiis imperauit. Qui vbi primùm ſuffragio ſalutarium poteſtatum cœpit emergere, ſecutus eſt ilicò ſcribendi vſus ſecuritatem. Accipe igitur libens à me dictam ſalutem, quam, ſi fors optata iuuerit, mox ſequemur.

* *Ad Seruium.* 59.

OPperiris, vt intelligo, litteras meas: quaſi ipſe familiaris officij præſul eſſe non debeas. Fortaſſe allegatione moris veteris, quoniam pleriſque perſuaſum eſt auſpicium ſalutationis profectis eſſe capiendum. Abſoluo te conſuetudinis obſeruantia, aut lege pigritiæ. Satis erit mihi ad plenam ſatisfactionem, ſi auerſat⁹ ſcribendi occupare principium, ſaltem ſequaris exemplum.

* *Amicis* Romam. 60.

ITer Capuam promouemus: forſitan ſuſpicemini interuenturam ſoliti in vos officij obliuionem per lõgitudinem viæ. Vide notas. Vulgati quippe prouerbij eſt, Enauigato Maleo oblimari eorũ memoriam quos domi reliqueris. Me quoquo verſum pedem tulero, amicorum cura comitatur. Sperate igitur honorẽ huius muneris circa vos eſſe manſurum, ſi optatis fortuna conſenſerit.

Ad Romulum. 61.

a v.c. ſpectari. Non ſum opinionis ambiguus, [a] exſpectari litteras meas: nam ego quoque parem deſiderij impatientiam de epiſtolis tuis patior. Vna igitur eſt noſtri cauſa ſermonis, vt tuũ merear: cuius, vt in potu fontium, ideo maior eſt ſitis, quia ſapor dulcior. Vale.

* *Ad Lampadium.* 62.

AMmonueras cum proximè vrbe digrederer, ſi vellem tibi aditum ſcriptionis aperire, vt prior litteras inchoarem. Satisfacio voluntati tuæ, quæ obſeruantia priſci moris amplectitur. Abſolut⁹ igitur hac relligione, erumpe in familiaris ſtili munera, mecũmque communica, quicquid in amminiſtranda vrbis tutela ex bono publico feceris. Necquidquam verò ſcribentis detrahat pudor, ne voluptati meæ damno ſit epiſtolæ verecundia.

Ad Dionyſium. 63.

Vide notas. OFfenderat bonos, quòd immaturè antè diſceſſeras. Diluit fortuna peccatum ſuum, quæ bonis te pari feſtinatione reſtituit. Sed quid me iuuat amici reditus abſentem? Solare hunc litteris frequentibus caſum. ſcribe etiam, quid tibi apud vrbẽ mãdata cura permiſerit: vt quum mihi ſpem viſendæ eximietatis tuæ promiſerit dies [b] longior, ego quoque vix poſt vrbanas moleſtias vſurpato ocio longiùs fruar. Vale.

b v.c. largior.

* *Ad Lampadium.* 64.

INdicio quietis vrbanæ tempus quodammodo vſurpandi ocij prorogaſti. abeſſe enim longùm placiditas me ciuium ſinit

conſiliis

conſiliis tuis parta, quibus plebs redacta eſt in pœnitendi verecundiam. Nec ergo poſt curarum omnium fugam producere mihi ferias, vt ita dicam, pingues licebit? Quamuis præcipere animo tuo incerta non debeam, qui ſim mihi conſcius teneræ in vos affectionis, & illius deſiderij, quo cũctis vitæ voluptatibus patriã meam diligo.

* *Ad Herculium.* 65.

AGerem tibi largiter gratias, quoniam me haud dudum à vobis profectum dicenda ſalute præueneris, niſi hanc ſibi gratulationem meam ſpes auctoris beneficij vendicaret. Ipſe enim diceris affuturus. cuius rei nomine vadari me tibi in maioris gratiæ modum fateor. Velim tamen ſcriptis tuis ſperato bono aſtrui fidem, vt qui tali opinioni delector, multo amplius gaudeam confirmationis ſecuritate.

Dynanio. 66.

LItteras meas amore deſideras, ſed infrequẽtem me videri cõmunis filius facit, qui reſcripta non repetit. hoc tamen ſtrictim dixiſſe ſufficiat, ne illius verecundiæ oneri ſit noſtra purgatio. Nec tibi honorem ſalutationis impendo, nec expoſco, quod ſponte facturus es, vt nos mutuis alloquaris; quum mihi hanc vicem, & relligio animi tui, & conſuetudo promittat. Vale.

Ad Ticianum. 67.

DEſideratas quidem litteras tuas libens ſumpſi, ſed cognitio actuũ tuorum, quorum teſtis atque narrator [a] Euſcius fuit, vberiorem mihi attulit voluptatem. Itaque hortor ac moneo, vt benè cœpta non deſeras, & præmium laudis honeſtate ſecteris. Subiungerem curam meorum, ſi mihi eſſet alius alloquendus. ſed quum facias vltro quæ meus ſermo poſſet expetere, partes commendationis omitto: quia quicquid [b] ex fiducia amicitiæ præſumitur, plus habet gratiæ ſi ſponte præſtetur. Vale.

a *Al.* Fuſtius, *al.* Euſtius.

b *Sic v. c. vulgo*, quicquid ex fiducia præſumitur.

Ad Valerianum. 68.

RVſticari te aſſeris, & ducendis vitibus aut arboribus inſerendis crudam ſenectutem fouere. Nam hoc litteræ tuæ ſapiũt, niſi forte Gallia tua dedux Heliconis. alios ſulcos ſtilo intermoues, alios ordine pangis. Ego autẽ quoniã ſcire noſtra deſideras, in domicilio Latiaris facundiæ ocio & ſtudio torpeo. Dij dabunt incrementa annorum paruulo meo. Ipſe me præfata fortunæ venia ad ſtudiorum ſuorum ſocietatem vocauit. Interea frequenti-

bus epiſtolis deſideria mea ſtimula. Vnum quippe hoc litterarum genus ſupereſt poſt amaros caſus orationũ mearum, quod me ad vſum ſcribendi poſſit allicere.

Ad Romanum. 69.

NVnc demum affluo voluptate, quòd te curarum vacuum nunciaſti: nam me hactenus rerum tuarum amaritudo mordebat. Itaque ſalutis præſides deos comprecor, ne vnquam paginas tuas mens triſtis infuſcet. Interea talibus litteris precium rependendũ eſt. Quare viciſſim ſume, quo de me gaudeas. In bono ſtatu valetudinis ſumus, & relegere vrbi propinqua meditamur. [a] Sinat fortunæ benignitas hoc inter nos manere commerciũ, vt proſperis ſcriptis reſponſa [b] conueniant. Vale.

a *Ita v.c. vulgo*, Vult nanque benignitas hoc.
b *v.c.* obſentiant.

Ad Preturam multos inuitat. 70.

PRæfato diuinitatis fauore, vrbanæ Præturæ faſces filius meus Symmachus Kalendis Ianuariis ſortietur. Præſentia tua ornari eius officium participata petitione depoſcimus.

Similis. 71.

DIuinitatis honore præmiſſo, filius meus Symmachus Kalendis Ianuariis Præturæ Vrbanæ accipiet magiſtratũ. Quæſo vt præſentia tua feſta noſtra cohoneſtet.

Ad Marcianum. 72.

SIlentium mihi [c] duci vitio non oportet, familiarium quippe vſus officiorum, inter aduerſa negligitur. Sed quia ſpes datur Symmacho meo integrandæ paulatim bonę valetudinis, [d] redit animus ad amicitiæ munia: vt ſi quem tibi taciturnitas mea motum fecerat, ſermonis ſecuritas abſoluat. Vale.

c *v.c.* dici.
d *Ita v.c. vulgo*, redij ad a. m. vt quem t. t.m.m.f. ſecuritas abſoluat.

Anthioco. 73.

CErtum habeo nihil te litteris meis antiquius æſtimare: nam mihi quoque eadem de tui ſermonis iocunditate ſententia eſt. Meritò amicitię munus arripui, Quod ſi pari lãce reddideris, ſtudium meum incitamento religionis acuetur. Vale.

Q. AVRELII SYMMACHI EPISTOLARVM LIB. VIIII.

CONTINENS COMmendatitias.

Ad Palladium.

SI amicitiæ veteris memoria perſeuerat, nec vlla obliuione tenuata eſt, credo quòd literas meas libenter accipias, quas fiducia mutui [a] amoris emiſi: multum relaturus gratiæ, ſi officio meo viciſſitudo reſpõdeat. Nunc te pro amico meo Benedicto oratum volo, quem gradu atque honore militiæ fortuna magis quàm culpa priuauit: vt innocẽti fautor arrideas, nec eum publicæ fœlicitatis, quæ ad vniuerſos pari ratione manauit, ſolum exſortem eſſe patiaris. Intereſt enim ſereniſſimorum temporum gloriæ, vt ſicut omnibus in hac vita poſitis ac locatis communis eſt cæli ſpiritus, lux dieiq; ita clementiam maximi Principis noſtri ſentiant vota & facta cunctorum. Vale.

[a] amoris, addidi ex v. c.

Ad Iamblicum. 2.

PLeriſque amor eſt vndique gẽtium precioſa conquirere. Me iuuat ſtudioſos ſapientiæ viros in amicitiæ poſſeſſionem vocare: quorum te eſſe ſummatem iamdiu atteſtantur experti. Imprimis familiaris noſter cunctis probatus Eudoxius, diligens iudex bonorum, qui deguſtatis propius virtutibus tuis ceteros æquè ad honeſta tendentes laudare didicit. Ille deſiderium doctrinæ vitæque [b] tribuens tibi perfectionis. Inuitatus igitur conſenſu famæ, & optimorum teſtium fide, amicitiæ tuæ dexteram porrigo; ſimulque opto, vt mihi epiſtola à te relata declaret concordiam voluntatis tuæ, & [c] mutuam in nos diligentiæ impetrationem. Vale.

[b] Fortè, tribuit.

[c] Al. mutuæ.

Ad Zenoderum. 3.

REpetenda mihi apud te non inchoanda eſt Fuſcij commendatio. Nam cũ Romæ ageres, meo precatu in eius ſuffragium prouocatus, libenter partes beneuolentiæ recepiſti. Tempus eſt

igitur vt meas vtilitates in Euſcio iuues: cuius modeſtia ita negociis noſtris aderit, vt famæ iudicis nihil deroget. Vale.

Ad Dionyſium. 4.

IAmdudum te mihi & morum & medicinæ fama commẽdat. Hortator igitur laudis vtriuſque amicitiæ tuę manum porrigo, & te ſponte ad fidem noſtræ familiaritatis inuito. Dabit autem tibi iudicij mei non mediocre documentum, quòd his, quos erudiendos miſimus, arti medicinæ præceptor exhiberis. Repende igitur mihi pignus mutuæ voluntatis, & ſuſcipe in diſciplinam medendi, quos & fidei tuæ & honeſtati Euſcio tradente committimus. Vale.

Ad Auxentium. 5.

AMicitias inter nos, cùm Romæ ageres, inchoatas munere ſcriptionis adcumulo: vt fidem tibi animi mei faciat collati in abſentem pignus officij. Tuam circa nos diligentiam priuatim litterarum viciſſitudo, publicè forenſis pro Euſcio cura teſtabitur. Vale.

Ad Carterium. 6.

ACtores abſentium, quibus res longinqua remittitur, tãquam ſoluti legibus viuunt: quoniam procul poſitis nullus damnorum terror incurrit. Opus eſt igitur iudiciali vigore, vt locationibus aſſcripta perſoluant. Quare quæſo vt ſuggeſtiones Notarij mei, cui adhibenda nonnulla ad Prætoriam functionem & debita ab obnoxiis ſeruis eruenda mandaui, iuuare digneris; & vicem ſollicitudinis meæ in curam tuam recipere non recuſes. Vale.

Ad Vincentium. 7.

PRo filio meo Auxentio, parentis relligionem, petitoris ambitum, fidem teſtis in me recepi. Si quid igitur tantarum rerum autoritas apud te ponderis habet, admitte quæſo in familiam tuã iuuenem cunctis vitæ bonis & fortunæ muneribus excultum. Vadem me tibi in omnia ſpondeo, quæ ſolet parentum ſollicitudo trutinare, licèt nouerim futuros generos moribus æſtimari. Et tamen huic poſt ornamenta naturæ etiam cenſus ad honeſtatem redundat. Poſſem de eo copioſiùs loqui, ſed non vult veritas verbis iuuari. Quare ſi tibi videor non inanis aſſertor, perpende hominẽ de teſtimonio meo: & ei, quem pignorib' meis libenter adnumero, dignare filiæ tuæ ſpondere coniugium. Credas velim,

cùm vota proceſſerint interuentu meo, non minorem te gratiam, qui rogaris, quàm iſtum, quem [a] commendo, conſecutum fore. Vale.

Ad Pompeianum. 8.

ARguere diuturnum ſilentium meum non potes, qui me in ſacro comitatu hactenus fuiſſe didiciſti; vnde nuper regreſſus honorificentiam dicendæ ſalutationis exerceo. Viciſſitudo teſtabitur, quòd paginam meam libẽter acceperis. Interea commendo ſcripta reddentem. Mihi enim proficiet, ſi quid ſuggeſtioni eius fauoris impenderis. Vale.

Ad Vincentium. 9.

PRobo homines, ad clientelam tuam pertinere cupientes. Nã quædam ſcintilla ſapientiæ eſt virtutum [b] luminibus applicari. Et ideo amici mei Zenodori laudabilem volũtatem [c] commendare non differo, eundemque in domus tuæ ſacrarium tanquam myſtagogus induco. Fac quæſo, vt & meo ſtudio & ipſius voto impetratio prompta reſpondeat. Vale.

Ad Leporium. 10.

FOrtunæ telo grauiter ſauciatus, nũc primùm epiſtolæ mœſta verba committo. Neque enim diu ab officio debui temperare, cùm tanti vulneris dolor nulla temporis diuturnitate poſſit aboleri. Saluto igitur te, ſimul amiciſſimum meum Syluanum diligentiæ promptus commendator inſinuo: qui refouendi patrimonij mei gratia laborioſam peregrinandi neceſſitatem recepit: eóque dignius eſt boni cuiuſque ſuffragium, nullis edictis, quod per deſignationem perſonarum videmus expreſſum. Sed principalibus & tabulariis liberum eſt alios à diſpendio vindicare, aliis indebitum munus imponere. Vnde quæſo, vt hanc partem & noſtræ vtilitatis [d] & tuæ laudis conſideratione diſcutias. Poſtulant enim [e] capitulani taxationem tyronis ab hominibus meis, nulla ſuper hoc publicæ vtilitatis monumenta promentes. Vnde mĩhi non iniuſta ſuſpicio eſt, quòd in excuſationem ſui aut ſuorum, noſtros quoque homines falſa aſſcriptione ſubdiderint. Et ideo dignum eſt, vt prouincialibus vel edicto vel ſubſcriptione tua inſtructio plena [f] pandatur, ne tabulariorum & curialium vaga & libera exactio quæſtum præſtet licentiæ. Vale.

a *Sic v.c. vulgò*, commiuo

b *al.* liminibus. *ſed malè.*

c *v.c.* commendatione.

d *Lib. Pith.* & tuæ ſalutis. conſid.

e *Quidã leg.* capitularij. *Sed excuſa lectio congruit cum v c.*

f *Sic v.c. vulgo malè,* pendatur.

Symmachus Marcello. 11.

CVm vicem præſentiæ meæ & poſſit & debeat tuus interuentus implere, miror ſuggeſtionibus Amazonij occupationes noſtras frequenter onerari. Exſequere igitur, oro te, partes amicitiæ congruentes: vt auxilio tuo tutata poſſeſſio, & ipſa à moleſtiis vindicetur, & nobis aliquid commoditatis exhibeat. Inter reliqua autem, quæ idem Amazonius intimauit, magnopere deprecatus eſt: vt vrſum, quem dudum domui noſtræ cum familia ſua dicit obnoxium, ab omni publica conuentione ſecernas. Sed maior ei opitulatio ex tuo arbitrij fauore proueniet, cùm cauſæ eius etiam iuſtitia non deſit. Circonſcriptus enim, quantum res docuit, improuida cautione, non debet noxam ruſticæ [a] fœlicitatis incidere. Vale.

a *Sic v. c. po-ſto leg.* facilitatis.

Ad Perpetuum. 12.

VOtiua domus meæ functio tua adiumenta depoſcit. Proximè enim ſi optata noſtra fauor diuinus adiuuerit, filius meus Præturæ editione fungetur, cui equorum Curulium paranda nobilitas eſt. Si quid igitur apud te valet amicorum abſentium cura, quæſo te, vt ex omnibus gregibus, quibus pollet Hiſpania, lectiſſimos genere & velocitate præſtantes diligenter edecumes: quos amici mei in rem miſſi iuſta pretij definitione mercentur. Stabit apud me igitur beneficij tui gratia, ſi huic negocio ſtudiũ, quod relligio mutua promittit, impenderis. Vale.

Symmachus Valeriano. 13.

INgeniorum video inter nos eſſe certamen in eo negocio, quod ratio, amicitia, tempus abolere debuerat. Modum igitur [b] expoſtulantibus mutuis facio, ne amariſſimę ſcriptionum vices ſine fide procedant. Munus totius Liuiani operis, quod ſpopondi, etiã nunc diligentia emendationis moratur. Sed à te prædicti muneris poſco vectorem, quia meos Prætorios apparatus pars in longinqua egit. Vale.

b *leg.* expoſtulationibus.

Symmachus Appollodoro. 14.

CVrarum tuarum me eſſe participem iure præſumis, quas ego animo meo etiam non commonitus pro amicitia vendicarem. Pars igitur ſollicitudinis tuæ filia mea aduentante .... quam proximè Roma ſuſcepit, dimiſſura in conſpe-

ctum tuum, cùm ſe interpoſita refectione recreauerit. Interea de communis patriæ victu celeriter inuehendo, ſilere me apud te nō ſinunt anguſtiæ conditorum. Quæſo itaque te, vt vigore, quo præditus es, annonarios vrgeri iubeas paratus. adijciet enim plurimum gloriæ tuæ Romana ſecuritas. Vale.

* *Symmachus Geminiano.* 15.

CONſuetudinem meam ſeruo, & relligioſa in amicos inſtituta cuſtodio. Quare ſalutationis honore præfato, mutuum depoſco reſponſum: &, ſi memoria viget mandatorum meorum, vt ſecurum me de apparatu Prætoriæ functionis facere digneris, exhortor. Creſcit enim per dies ſingulos cura apud me: quoniam propinquat editio, & nihil de veſtibus atque animalib᷒, quę olim ſub æſtimatione ac definitione tua per meos coëmi debuerunt, miror exhibitum. Et quoniam ſollicitor tarditatis, Notariū meū miſi, qui tuis præceptis & monitis obſecutus deuehenda cuncta ſuſcipiat. Tandem igitur partes relligionis exſequere, vt exemplo diligentiæ tuæ in officiorum viciſſitudine prouocemur. Vale.

* *Sapidiano.* 16.

LEontius agens in rebus & honeſtatę vitæ, & militiæ exercitatione bonis quibuſque placitus, meum quoque iudicium aſſidua diligentia prouocauit. Inter amicos igitur ac familiares meos iure numeratur. Hunc tibi in manum trado, petens vt exēplum noſtræ circa eum affectionis imiteris: quod te ſedulò præſumo facturum. Intereà de animalibus ludorum apparatui præparandis ammonitionem frequentare non deſino, cùm in eam ſponſionem tu me huius curæ vacuum reddidiſti. Mandaui tamen Leontio monitoris officiū: cui aurem præbere dignaberis, ſi quando ipſe publica & maiora tractanti hanc quoque petitionem domeſtica inſinuatione ſuggeſſerit. Vale.

* *Ad venuſtum.* 17.

INtegrum mihi ſitum Prætorij mei, & picturam quandam fabrilis operis ante oculos conlocaſti. ita adaperta diſtributio, vel adhuc adſurgentia, vel iam abſoluta ſignauit. Diſſimulo igitur meorum tantiſper accuſare ſignitiem, qui in iiſdem molitionibus fabricatione hæſerunt, dum ſuauitate paginæ tuæ

mulceor. Volo tamen relegendo . . . . cà-ſtiges vicem mei fellis exerceas: vt de tua obiurgatione conijciat, quanta illi pernicies, niſi omiſſa curauerit, ex mea indignatione metuenda ſit.

Symmachus Pompeiæ. 18.

VOtiua mihi emerſit occaſio, quæ tibi ſalutationis apportaret obſequium. Nam cùm ad Præturam filij, familiares noſtros [a] ad Hiſpanias miſimus, quibus equorum Curulium mandauſmus emptionem: litterarum cultum tibi par fuit exhiberi, ſimúlque adijcere poſtulatum; vt nobiliſſimos quoſque de tuis gregib' equos digneris excerpere, quos in rem miſſi ſub iuſta taxatione mercentur. Quæſo igitur, vt ſi qua apud te memoria domus meæ reſidet, rem tibi factu facilem, mihi verò iocundam atque honoratiſſimam, promptiſſima beneficentia dignetis annuere.

a *al.* ad Hiſpaniam.

in rem miſſos *etiam dixit* 5. *libr.* 7. *ep.* 105. *& hoc lib.* 9. *ep.* 12.

Baſſo. 19.

SAlutationis honore præmiſſo, ſubtexo neceſſarium poſtulatum. Filij noſtri inſtat editio. Huic equorum Curulium parãda nobilitas eſt. Quapropter ad Hiſpanias fideliſſimos cum copioſis ſumptibus miſimus, vt generoſas quadrigas ſub diligentiſſima electione mercentur. Sed quia veremur, ne equorum tranſitum hyemis interuentus excludat: quæſo te, vt ſi neceſſitas poſtulauerit, tribus aut quatuor [b] hyemis menſibus pabula illis in re tua pro numero iubeas miniſtrari: vt incipiente temperie, ſine vexatione peruenïant. Præterea adiumentum meis oro decernas, ad equorum coëmptionem, ſi quos in [c] Arelatenſi vrbe curſu & genere præſtantes meorum cura reppererit. Amplectenda eſt enim viciñæ emptionis occaſio, ſi eximium aliquid caſus obtulerit. Stabit apud me iugis memoria beneficij tui, cùm votiuæ editioni noſtræ fraterna, vt ſpero, cura profuerit.

b *Lib. Scot.* hybernis.

c *v. c.* Aurelatenſi.

Symmachus Aureliano. 20.

DOmum noſtram in apparatu eſſe ludorum, quos Deo iuuante filij mei Prætura depoſcit, quantùm credo, didiciſti. Miſſurus igitur ad Hiſpanias meorum aliquos, qui curules quadrigas ex omni gregum nobilitate mercarentur; iam nunc in fauorẽ prætereũntiũ curam tuã prouoco, vt illis & velocitas tranſeundi, & euectionum præſtetur adiectio. Hoc interim pro tempore prælibauimus. Sed plura tribues, vel tuo prouiſa ſtudio, vel illorum ſuggeſtione comperta.

Symma-

Symmachus Marcello. 21.

REquirunt te per Hiſpanias aliæ litteræ meæ. Illic enim te degere ob rei familiaris amplitudinem didiceram. Poſtquam te in auitis penatibus ociari conſtantior fides attulit, egi huic errori gratias, qui mihi præſtitit vt te rurſus alloquerer. Et tamen iſta geminatio quamuis ſatisfacere animo tuo debeat, nondum meo ſufficit. Vellem quippe ita continuè honorare amicitiam tuam litteris, vt mente iugiter colere numquam diſſimulauerim.

Symmachus Baſſo. 22.

MVltam capio animi voluptatem, quoties ſermonis tui munus accipio. Eſt enim [a] in illo & ſanitatis tuæ & amoris indicium. Præterea lætitiæ mihi eſt, [b] quòd breui te affore pollicеris. Quo magis autem [c] redire deproperes, nuncio filium meum (ſi fauor diuinus arriſerit) Prætorios faſces [d] anno ineunte ſumpturum. De qua re ad familiares meos pleniùs ſcripſi, quibus equorum de Hiſpania mandauimus emptionem. Sed quia ſuadet occaſio, nunc quoque repoſco poſtulatum. Et quæſo te, vt ſi fortè [e] equorum reditum intemperies hyberna retardauerit, ſtabulari in agris tuis equos noſtros paucis menſibus iubeas, atque ad nos inde, verno tempore incipiente, proficiſci. Interea hominum tuorum cura ſubmota eſt, quos & præſentia mea, & iudiciaria tuitio defendit. Denunciaui enim litem mouenti, quòd ad me cauſa pertineat, nec defuturum [f] me actionis eius auxilium. Quod non dubito etiam præſtantiæ tuæ homines indicaſſe. Vale.

[a] *v. c.* in illis litteris & ſanitatis. *vt etiã eſt in lib. Scot. & Pith.*
[b] *Sic v. c. vulgo*, quòd in breui te.
[c] *v. c.* venire.
[d] *v. c.* anno veniente.
[e] *Al.* eorum reditum.
[f] *Al.* me ad eius actionis auxilium.

Ad Vincentium. 23.

FAcio officium meum, ſi quando te cultu ſalutationis impertio. Nec diſſimulo referre grates, quòd inuicem me frequentet remuneratio ſcriptorum tuorum. Sed hæc produci longiùs non oportet: quia bonæ amicitiæ iactationes recuſant. Illud nunc de te impetratum volo, vt litteris & apparitore decreto iuuare digneris curam meorum, quibus

a Vide notas.

[a] emendas ex Hiſpania curules quadrigas in apparatum prætoriæ functionis iniunxi. Exambirem ſuper his nimio precatu gratiam tuam, ſed apud verecundas aures tuas ſimplicitas efficacior eſt: & libentiùs pudor annuit, quod cum fiducia poſtulatur. Velim tamen teneas nunc quidem in petendo eſſe me parcum, ſed fore in agendis poſt impetrationem gratiis copioſum.

Aureliano. 24.

IVuat animum meum, quòd ſæpe mihi vitio vortis ſcribendi ad te negligentiam. Amoris enim tui ſignum eſt viciſſim deſiderare quæ [b] præſtas. & tamen diſſimulandi deſtinatio me contriſtauit: quia nec tibi conueniens eſt, nec mihi, deſperata iactatio irriti beneficij. Ne quid igitur ingenua verecundia ſimile reſcriberet, malui premere mutuum dolorem. Nam inter abſentes alterna epiſtolarum decertatio plerunque ad odia procedit. Nunc redeo in vſum ſimplicis ſtili, gratus magis voluntati tuæ quàm reus caſui. Te oro vt iam deſinas amicitiam meam, quæ nihil tibi [c] induxerit oneris, damnoſam putare.

b Ex v. c. lacuna liquet hic aliquid deeſſe.

c v. c. indixeris.

Alexandro. 25.

SIlentium circa te meum nullo iure culpabis, ſi tuum cogites. Et fortaſſe iuſtiùs tibi huius rei ſubeunda eſt verecundia, qui ob rem [d] Romanam ſæpe litteras mittens, amicitiæ circa nos munia præteriſti. Meos autem ſola ferarũ emptio Aquileiam compulit præterire. Nec tantum ſuccenſionis meretur vnius occaſionis obliuio, quantum laudabilitas tua inter aſſiduos commeatus tuorum ex contemptu mei contraxit inuidiæ. Sed ſit venia vtriq; noſtrum, quamquam imparis negligentiæ ſimus. Poſthac & ipſe omiſſum munus inſtaura, & nobis reſcribendi per eoſdem copiã præſta. Difficilis eſt enim pergentium inquiſitio. Denuò ſtili ceſſabit officium, niſi ad te redituri ſuſceperint. Vale.

d v. c. Romã, vt etiã lib. 5c.

Maximo. 26.

AGitare te venatibus feras, & hybernis menſibus Apennini gelida luſtrare, valetudinis tuæ æſtimatione numquam putaui. amicior enim litteris quàm laboribus videbaris. Horum alterum diu de te ignoratum, munus ſylueſtre patefecit: alterum benè creditum, paginarum tuarum cultus aſſeruit. Quare inter ſodales Apollinis ac Dianæ, ſectator vtriuſque numerabere, etſi te magis, vt ſcripta teſtantur, venaticæ artis gloria iuuat. Nam cũ

te niuoſis ſaltibus inerraſſe [a] deſcripſeris, ſupra epiſtolæ temperamentum verbis tripudiaſti: nimirùm lætus ex arduo, & adhuc calens montani operis euentu. Interea ſatis fuerat Apennini ſpolia miſiſſe. Adiecta autem [b] de corte plura faſtidio eſſe potuerũt, niſi amor tui remouiſſet ſatietatem. Vale.

a v.c. deſcriberes.

b in lib. Pith. de hac arte plura.

Symmachus Leoni. 27.

OPto quidem te in tantum copiis pecuniæ familiaris affluere, vt poſſis opima prædia cõparare. Sed mallem ſine amicorũ noxa atque iniuria oculum te ac deſiderium nouis emptionibus admouere. Nam ego Poſtumianenſem rem iure optimo ſine vlla mentione conſortij tui ab antiquiſſimo poſſeſſore mercatus, nũc primùm tua ammonitione conueniot, vt prope iam inueterata poſſeſſione decedam. Cuius precium non eius mediocritatis eſt vt emiſſe delectet: adeo cùm poſſim tibi legibus obuiare, & deſiderio tuo, cuius res aguntur, obſiſtere; copiam tamen facio, vt quòd argẽti dedimus venditori, id homini meo Euſeio, cui ſumma comperta eſt, digneris expendere. Si tamen præoptas noſtra mercari, quàm tua nexu obligationis abſoluere.

Ad Carterium. 28.

QVod defendẽdum ſocero erat, cuius te momordit querela, competẽter in Epictetum commotus impleſti. Caret foro, & inconſultæ linguæ precium tulit. Ac, ſi quid mihi credis, contumeliæ talionẽ correctus eſt. Nunc ingenium tuum moréſque conſiderans, flecte ad veniam placabilem voluntatem. Scis cauſidicorum ſæpe improuidos lapſus: & cùm ornares tribunalia antè defenſor, poſt cognitor iurgiorum, talis aduocationis errori reſtitiſti. Sed quia nunc aliqui, quorum tuta flagitia ſunt, Epicteti amici mei ſilentio claruerunt; quæſo ne diu infortunato potiùs, quàm innocenti patiaris illudi. Faciet vir ampliſſimus, cõmunis frater, quidquid te velle cognouerit. Erit etiã ille prõptus ad reſtituendum ei munus orandi, ſi voluntatis tuæ ſumat indicium. Tu modò benignam mentem litteris meis applica, & qui togæ amicus es, cuius laude ſupra alios ſplenduiſti, & honeſto ordini notam detrahe & homini, [c] pars mea, puta togatus ignoſſe.

Cõfer cũ epiſt. 39. 5. lib v. ad Neoterium.

c Sic lego, vide notas.

Ad Ianuarium. 29.

SOlebas antehac, cùm tribunalibus præſiderem, fori tyrones commendare iudiciis: quod nunc officium verſa conditione ſuſcepi, qui magiſterio tuo cauſidicinæ inſinuo candidatos. Qua

in te meum neceſſe eſt ſequeris exemplum: vt qua facilitate oblatos à te frequenter admiſi, eadem relligione ſuſcipias meos me aſſertore productos.

Epiſtola. 30.

ASſectatores diligo litterarum: non quòd mihi cum talibus ſtudiis ſit vlla cognatio, ſed quia profeſſio bonarum artium quaſi pulchritudo in alieno etiam corpore locata delectat. [a] Meritò Valentinianum congreſſu mihi primore compertum litteris proſequi officium meum duxi: vt ei apud te primam ianuam meus ſermo reſeraret, ſua vita atque eruditio conciliaret amicitiam pleniorem. Vale.

a *Ita v.c. vulgo leg.* Meritò Valentini cõgreſſum mihi primo repertum litteris proſ.

Epiſt. 31.

RElligioſa cura eſt, quæ amicorũ liberis exhibetur: præſertim ſi familiaritas delata maioribus cumuletur meritis poſterorum. In rem præſentem ſpectat præfata ſententia: Nam Lampiũ C.M.V. non vſque [b] adpenſi habui, vt ſolet eſſe multorum caduca & fragilis affectio: ſed ex eo genitos, & in bona paterna nitentes propagato amore contemplor. Hos tibi trado ab omni iniuria vindicandos. Quæſo vt vicem meam, ſi vſus tulerit, iuſtus arbiter exſequaris. Multum huius beneficij impetratio in tuam laudem, in meam gratiam promouebit.

b *Forte*, adeò penſi.

Epiſt. 32.

MVltas inter nos officiorum vices ſcribendi cunctatione perdidimus. Nõ ſinam produci longiùs commune delictũ. Aſſumo igitur mihi relligioſi muneris partes priores: & ſi referre verba diſtuleris, nõ mutabo propoſitum. Tuæ deliberationis erit, intercapedo reſcripti: modò vt memineris, acceleratum gratię recurſum voluntatis ſigna præferre, ſerum neceſſitatis. Satis mihi videor de inſtaurandis commerciis litterarum [c] locutus. Aliquid ſermo noſter portanti litteras meas vtilitatis debet adferre. Eſt enim mihi familiaris, dignúſque patrocinio tuo: quem ſi placido ore reſpexeris, fortunas ſuas creuiſſe gaudebit.

c *Sic eſt in v.c. vulg. leg.* locutus. Denique probum familiarem tuóque patrocinio dignum. Si placido. o. r. f. ſuas gaudebit reuixiſſe.

Epiſt. 33.

TAceas licèt, & ſalutationi reſpondere diſſimules, nũquam me à relligioſo [e] ſtudio dimouebis. Extũdam quandoque, vt hac obſtinatione decedas. Interea nundum recuperata fiducia tui, audax munus [d] aggrediar. Commendare enim tibi hiſce ſcriptis ſtudeo Victorem, iuuenem grauitatis exactæ, mihíque dudũ

d *v.c.* officio dimouebis. Excudam quand.

e *v.c.* ingredior. *C.c.* tibi huius ſcripti rectorem.

probatum per honeſta documenta, nec inexpertum (ſi rectè æſtimo) iudicio tuo: quia ſecurus vitæ & militiæ [a] veteris, numquam [b] refugit examen ſuperiorum. Sed fac mediocriter à te bona hominis eſſe perſpecta. Fas non eſt, ſi quid tribuis amicitiæ noſtræ, vt poſt teſtimonium meum tâquam nouus amicus tibi accedat.

a *v.c.* vetus. *vt lib. Scot.*
b *Sic v.c. vulgo leg.* refugit ſuperiorem.

* *Epiſtola.* 34.

PEndo animo vſque ad [c] valetudinis tuæ nuncium: nam infirmis adhuc viribus tuis laborem longi itineris addidiſti, nec poſſum ſuper hoc commeantium ſermonibus eſſe contentus. Siquidem maior affectio falſis accepit dubia rumorum. Expecto igitur litteras, quarum fides adportet mihi de te certam ſecuritatem. Si quid ipſe meorum actuum ſcire poſtulas, ab epiſtolæ perlatore recognoſces. Eſt enim nobis conciliatiſſimus ob vitæ integritatem, dignúſque, me teſte, qui ſedulò domus tuæ cultoribus [d] inferatur.

c *Sic lego. non vt eſt in v.c.* valedunis.
d *Fortè*, inſeratur.

* *Epiſt.* 35.

ANtiſtianus vir ordinis noſtri, olim mihi probitate vitæ complacitus eſt, & honeſtis carus officiis. Quod me ex vero potiùs quàm in gratiam eius adſerere, qualitas præſentis deſiderij oſtendit. Nam diu patriæ ſuæ functus defenſionem, deſiderat tandem portum priuatæ quietis adipiſci. Quæ res tibi commendabilem [e] faceret, etiamſi meus non interueniret affatus. Soles enim pro tua virtute diligere cupidos ocij, & neſcios ambiendi. Oratus igitur litteris meis, dignare concedere optatam requiem vacare cupienti. Nec deerit ſubrogandus, cùm facilè ex tot optimatium numero parem fide atque induſtria virum tu edecumare poſſis.

e *v.c.* facere.

Epiſt. 36.

DEſiderium mihi amicitiæ frater meus Nicias, cum primis philoſophorum numerandus, [f] incutit: poſtquam nobis per epiſtolam fecit indicium, quòd ei filiam tuam fida pactione deſponderis. Quæ res teſtimonio eſt ſyncerum tibi ineſſe iudicium: & propterea familiaritatem tui vltro omnes bonos debere ſectari. Aſſerit enim probabilem mentem talis electio. Quare optimæ voluntati tuæ calcar admoueo, téque hortor vt quamprimùm laudatiſſimum generum Diis iuuantibus ſortiaris. Cuius acceſſio tibi & [g] conciliet gratiam plurimorum, & decus affinitatis [h] adijciat. Vale.

f *v.c.* incuſſit.
g *v.c.* conciliabit.
h *v.c.* adijciet.

Epiſt. 37.

[a] RAtio quidem iuſtitiæ ſeriò habenda eſt. Sed circa nobiles probabileſque perſonas plus debet eſſe moderaminis, vt perſpiciatur in diſcretione iudicium. Hoc eo prologuor, vt interuentum meũ generalitate commendem. Genus autẽ petitionis huiuſmodi eſt. Agri ſororis meæ Italicæ, illuſtris fœminæ, cultore [b] euacuati, oppreſſione munerum publicorum, iudiciaria auctoritate refouendi ſunt. Hanc ego opem de tui animi æquitate promiſi. Certa eſt enim de bonorum merito præſumptio. Sponſioni igitur meæ, ſi tibi [c] cordi ſum, fidem præſta: & quicquid rebus atque rationibus matronæ abſentis accommodum eſt, nutu facili tribue, meæ imputaturus gratiæ quicquid illi fauoris impenderis. Vale.

a v.c. Rat. q. ſemper habẽda iuſtitię eſt.

b v.c. vacuati & feſſi onere munerum p. alij lib. leg. cultura, vt P.

c v.c. concordi ſum.

Epiſt. 38.

SIlere non debui eo commeante qui tuus eſt. Siquidem neceſſitudo inter vos futura perſuadet, vt vtrique veſtrûm à me diligentia deferatur. Quare ſalutationem litterarum tibi defero, & hortor, vt virũ deuotiſſimum Ticianum, mihíque amiciſſimum, promiſſæ coniunctionis quamprimum compotem præſtes.

Epiſt. 39.

Vide notas.

FRuctus laboris eſt placere melioribus, & pro induſtria atque animi integritate palmam iudicij promereri. [d] Quapropter Benignus V.C. filius meus, rei frumentariæ negocium peruigili animo & puris manibus executus, ſolam de te mercedem iuſti laboris exſpectat. Teſtatur inſomnes curas eius imbecillitas corporis. Nihil enim de Sardinia reportauit, niſi bonam conſciẽtiam, & malam valetudinem: horreis autem tantùm frugis inuẽxit, quantùm illi prouinciæ anni fortuna contulerat. Nullus de eo rumor aduerſus, nullæ conqueſtiones ſemper ad arguendũ paratæ. Horum omnium locupletiſſimum præmium eſt, ſi amicitia tua dignus habeatur. Quod decliue ad impetrandum mihi videtur, ſi, quod neceſſe eſt, te delectet eorum probitas, quorum non fefellit electio.

d v.c. amoris.

Epiſt. 40.

REligioſa potiùs quàm inuidioſa quæſtio eſt, quæ fidem pactarum repetit nuptiarum. Nolo igitur exiſtimes culpabiliter ad [e] me delatum, quòd pactas filiæ tuæ nuptias cum [f] Herculeo amiciſſimo meo hæſitatione ſuſpendas. Sed ceteris, quos

e v.c. me eſſe perlatum.

f v.c. Herculio.

matrimonij de te impetrari vel adiutores ſcit fuiſſe vel teſtes me quoque voluit admouere: vt ſuſpenſa diu vota noui hortatoris [a] impulſu acceleret. Maneat oro te ſtabilitas promiſſorum: nec ſenatoriam fidem voluntatis mutatio deuenuſtet. Proſit etiam pacto fœderi, meæ pro illo petitionis adiectio: cui non ſine contumelia placita denegabis, quum promptè [b] nobis deferre etiam intentata debueris. Certè ea viri modeſtia, ea in foro Romano dignitas eſt, vt quantum ei gratiæ tribuiſti, tantum ornamenti ex genero conſequaris. Vberes laudes eius, & vitæ honeſtamenta proſequerer, ſi tu nouum aliquem videreris admittere. At quum tibi eius bona eſſe comperta euidenter aſtruat dudum recepta conditio; non debeo eius protelare præconium, quem tibi ſuſcepti [c] fœderis genus indicat iam probatum. Vale.

a v.c. impulſus acceleret. Maneat igitur oro te.

b Sic v.c. vulgò leg. nobis deſerta etiam.

c v.c. fœderis pignus inductum cõprobauit.

Epiſt. 41.

DIſarius medicinæ profeſſor, vir ſanctæ memoriæ atque illuſtris, patrem tuum . . . . Et quia ei cohærere decreuerat, rerum ſuarum in Aquitanicam nonnulla præmiſit: nec contra bonorum omnium votũ tanti viri obitu deſtitutus relegere ad ſuos iter, vt parens adteſtatur eius, exoptat. Iuua quæſo te piam iuuenis voluntatem: & quæ ei pro inſita moribus tuis fidelitate reddenda ſedulò ſpondiſti, iube ociùs reportari, ne illi ſupra vulnus amiſſæ ſpei, iniuria longæ peregrinationis addatur.

. . . . *Epiſt.* 42.

PEruectæ ſunt ad me litteræ tuæ, quum in Campanis littoribus ociaret. Credo autem te fando lectioneque didiciſſe, quanta ſit huius regionis venuſtas. Vicit epiſtola tua appoſitas voluptates. Spretis igitur ceteris quæ ingerebat loci gratia, totum animum recenſendæ paginæ vſque ad memoriam mancipaui. Vtinam plura dictaſſes. Mihi tamen ſæpe petita inſtar multorũ fuerunt. Poſthæc caue parciùs promas, quod ex abundantia ingenij tui naſcitur: ne me quoque, cui ſtilus pauper eſt, in arctum reuocet voluntaria frugalitas tua. Quod reſtat, Aurelium tibi denuò in manum tradimus. non quòd inefficax fuerit prior commendatio; ſed vt meritum eius noſtramque curam teſtetur iteratio. Vale.

Epiſt. 43.

QVisquis à nobis in commendationem ſui litteras petit, præſtat gratiam. . . . . accipere. antiquior eſt enim mihi

amicitiæ cultus, quàm illis præſidij impetratio. Rependę igitur huius pro me opere mercedem ſcripta [a] reddenti, & pro mediocritate fortunæ hominem munerare. In tuo iure eſt, an etiam me tui officij honore digneris. Neque enim verborum fœnus exerceo, vt te de ſolutione conueniam. Graue enim eſt te ad leges debiti redigi, qui me officiis voluntariis [b] ſæpe ſuperaſti. Vale.

a reddendo, in lib. Pith.

b v.c. ſæpius oneraſti.

Epiſt. 44.

BOnorum virorum curam tibi eſſe non ambigo. Mores enim tuos neceſſe eſt ſimilium virorum coniunctione gaudere. Si quid igitur mihi tribuis, amplectere amicitias, quæſo te, domini & filij mei Flauiani: quem non ſolum parentis, verùm etiam teſtis fidelitate commendo. Reperies in eo mentem [c] dignam meliore fortuna, licet ſacri beneficij magnitudo caſibus eius occurretit, & ad cumulum lenitatis adiecta ſit euocatio. Vnde æquum eſt, vt quem reſpicit Imperiale ſuffragium, familiaritas [d] veſtra non deſerat. Vale.

c In lib. Sc. dignā amore tuo & meliore fort.

d al. tua.

Epiſt. 45.

AD poſteros amicorum curam transferre debemus, ne fides cum hominibus interiiſſe videatur. Exigit igitur à me memoria Petronij ex Conſularibus, cui lar apud Ariminum fuit, vt eius filios hęreditario amore defendam. [e] Horum .... militaribus habitanda decernitur, & ni publica ſuccurrat auctoritas, extremum patietur excidium. Si quid igitur interuentui meo tribues, datis ad Ariminenſium magiſtratus atque ordines minacibus litteris, arceri ab ea hoſpites iubeatis, & reſtituere penatib9 paruulorum priſcam ſecuritatem. In iudicis enim iubentur eſſe tutela, qui à parentibus deſeruntur. Vale.

e Fortè leg. Horum domus hoſpitibus (vel iis) militaribus, &c.

Ad Iuſtum. 46.

VOto ac deſiderio ſuo me adiutorem Seuerus vir honeſtus aſciuit. Cuius cùm petitionem probabilem iudicaſſem, toties flagitatas litteras negare non debui. Summa autem petitionis huiuſmodi eſt: vt filio eius coniunctionem filiæ tuæ ſpondeas: cuius rei impetrationem facilem fore perſonarum promittit æquatio, & honeſtate & poſſibilitate [f] congruens. Exſpecto igitur vt reſponſio tua teſtimonium meum vires apud te habuiſſe declaret. Vale.

f v.c. habet, congruitis. lib. Sct. congruitas.

Ad Caci-

* *Ad Cæcilianum.* 47.

QVantum domui tuę cultū Lucillus quondā pictor adiecerit, cum potiſſimis amicorum noſce te certū eſt. Huius filiū, per naturam quidem & per neceſſitatem procul [a] poſitum, iniuſta ſollicita certo certamine inter numerarium quondam & opinatorem dudum ſupradicti poſſeſſoris colonum, qui ſuperiorum temporum ratiocinia in Lucilli . . . . poſco non gratiā, licèt interuentui meo etiam voti & ſtudij acceſſio debeatur. Et primo loco poſtulo, domus viri prudentiſſimi longéque degentis per officia publica & ordines tuta præſtetur. Dehinc vt ſi quid inter illos decertationis eſt, tuo cedatur examini: ne quando alteri Iudici ſeruata cognitio recidiuam Lucilli filio gignat iniuriam.

[a] *Puto emendandum ſic.* iniuria ſollicitat, certo certamine, *&c.*

* *Pollodoro* 48.

QVintus & Felix Ippomenſium curiales, has de me litteras ſummatibus viris interuenientibus impetrarunt. Debui enim probitatem hominum de teſtibus æſtimare. Intereſt igitur amicitiæ noſtrę, ne ſpes eorum, qui me ad impetrationem validū crediderint, decepta videatur. Quare ſi quid eorum poſcet vtilitas, benignitatem adde iuſtitiæ. Credo enim talia eſſe poſcenda, quæ nec interuenientis petitionem, nec præſtantis iudicium decolorent.

Vide notas.

* *Maximiliano.* 49.

ME ex ſententia valere ſignifico, tibi ſecunda opto [b] ſuperpetere: poſthac de te poſtulo, quod ſpontanea benignitate feciſſes, vt conductorem rei meæ Sicilienſis, ad prouinciam reuertentem, celeri tranſcurſu ad deſtinata dimittas. . . . .

[b] *Fortè,* ſuppetere.

* *Epiſt.* 50.

ASſiduæ ſcriptionis nullum poteſt eſſe faſtidium. Fungor igitur apud te ſalute dicenda, ſimúlque hortor & deprecor: vt hominum meorum curam gerere non graueris, quibus non ſolū tribuenda eſt fiducia, ſi quid vſus deſideret ſuggerendi, verumetiam neceſſitas admouenda. Hæc eſt enim natura ſeruorum, vt adire metuant profuturos, dum culpam ſuam metuunt deprehendi.

* *Ad Pœmium.* 51

TAcenda ſunt damna fortunæ, ne ſera [c] conſultatio ſcindat præteriti cicatricem doloris. Rectiùs ergo te cum filij noſtri

[c] *Malim leg.* ſera conſolatio. *vide notas.*

Nemeſij ornatiſſima indole, vel potiùs fœcunda laudum fruge contulerim. Habes virum, digniſſimum pro numeroſa prole cenſeri. hunc tibi in manum reddo, quod facere de vtroque voluiſſem. Æſtimabis de cultu morum eius ac litterarum, quantum illi ſtudiorum mora potuiſſet adiicere, niſi reſpectum paterni deſiderij timor noſter habuiſſet.

* *Ad Euſebium.* 52.

COmmunis amici Euſebij merita longo ſermone proſequerer, niſi probitate eius atque militia plura ſentires: qui nunc de loco ſuo anxius, poſtquam de eo comperit eſſe dubitatum, allegationes ſuas properauit aſtruere lectione publici ſcripti, nũc aſſertione verborum. Qui in re & fautor .... liberis: quorum alterum nobis tua amicitia promiſit, fides alterum pollicetur. Nam dudum eum ad ſcholam Gallicam palatij tranſlatum eſſe meminiſti. quod ideò te credimus ipſo abſente ſiluiſſe, ne exiſtimaretur gratioſa eſſe ſuggeſtio. nec maiore fiducia aderis veritati, cùm allegationes præſentis adiuueris. Vale.

* *Geminiano.* 53.

FElix cùm & domus tuæ cultorem ſe diceret, & humanitatem commendationis meæ amicis interuenientibus poſtularet, deſiderio eius familiarem paginam non negaui, qua principe loco fungor apud te ſalute dicenda. Dehinc proſequor [a] recepta eſt quæ ſupradicto. ſi nondum tibi cognitus eſt, præſtet clientelæ aditum: ſi iam notus, augmentum. Vale.

[a] *fortè*, recepto eũ quẽ ſupradixi.

* *Quintiliano.* 54.

MOris mei eſt benè cognitis approbatiſque ferre ſuffragium; nec perſonas hominum, ſed vitæ merita cogitare. Cùm igitur Aſſellus domeſticus noſter in vrbanis caſtris militiæ ſtipendia ſine offenſione confecerit; quæſo vt admiſſus in cliẽtelam tuam, & meum ſibi patrocinium profuiſſe, & tuum acceſſiſſe lætetur.

* *Ad Cæcilianum.* 55.

INteruenire pro iuſtis debitis non recuſo. Malitiæ enim repudiare locum gratiæ in his .... Formianis ad egeſtatis leuamen certum ex Africa olei modum decreuit antiquitas. Poſcunt à te morem longa ætate ſeruatum, cui debet adiicere celeritatem præſentis humanitas.

* *Ad Iouium.* 56.

NOn nouum vel incognitum,ſed compertum iam fide & antiquitate militiæ Euſebium amicum meum promptus commẽdator inſinuo:quem ad hoc æui nulla actuum culpa fœdauit, ſed abſentia,quę pleriſque occulit merita,ſi teſtimonio pręſentiũ deſeratur. Locum eius dicitur in ancipitem ſtatum deduxiſſe fortuna. Singularis tamen animi tui æquitas non patietur,vt ſpero,aduerſum ſtipendiorum prærogatiuam caſum valere. Et mea igitur hortatio & ipſius fiducia iudicium tuum reſpicit. Quæſo vt cauſa cognita veterum eius ſtipendiorum iuſta confirmes,pręſtaturus & nobis amicis ſecuritatem, & honeſtũ collegis eius de optimi viri retentione conſortium. Vale.

* *Ad Probinum.* 57.

OMnibus, qui occaſionem ſcriptionis impertiunt & commendationis,quandam rependo mercedem. Nunc optimo viro Petrucio factum volo, quem ſcio hanc epiſtolam non tam ſui commendatione quàm mei officij gratia poſtulaſſe: cuius operã verſa vice numerandam...... popoſcit litteras, vt tibi probaretur impenſiùs.Ego contrà ideò ſcripſiſſe me fateor,vt tibi ille acceptior redderetur.

Ad Vacatum. 58.

VIx adducor vt credam litteras meas ſæpe repetitas nihil Leontio remedij cõtuliſſe.Quia ſi nihil virium frequens interuẽtus noſter habuiſſet, deſiſteret ſuffragium meum toties eluſus optare. Quum igitur apud me querelæ iſtius fides dubia ſit, experiri volo,cui potiſſimum parti dubitatio mea debeat applicari.Eſt igitur in manu tua,vtrũ poſthac tenere in ſcribẽdo morẽ meum debeam,an verecundiæ noſtræ continua etiam taciturnitate conſulere.

* *Romulo.* 59.

TV quidem paterna affectione pignus commune commendas.Sed illi efficaciùs ſtudia & amorem bonorum probabilis vita conciliat. *Vide notas.* Habes iuuenem,cuius debeas fruge gaudere: etſi ſcio patres auaros eſſe voti, nec vlla filiorum bona putare eſſe perfecta,deſiderio & cupiditate potiore. Fortè lætari animum tuum iudicas dulci potiùs nuncio quàm fideli.[a] cùm fore tibi eius reditum fauor diuinus adnuerit,vt in illis meritis deprehendas mei teſtimonij veritatem.

[a] *Videtur leg.* confido ſi tibi eius.

* *Pacato.* 60

INcitare debueras. Sed prolixus in hac conqueſtione eſſe non pigeo. Itaque ad commendationem viri deuotiſſimi Olympij amiciſſimi mei flecto ſermonem: tèque ſedulò rogo, vt eum ſecurus teſtimonij in penetralia familiaritatis admittas. Repperies in eo morum bona, qualia iudicij tui [a] circumſpectio conſueuit elicere.

a *v.c.* circunſpectionis, *habebat.*

* *Lenio.* 61.

VEhiculi rotæ cuius debeāt eſſe menſuræ, epiſtola miſſa teſtabitur. Supereſt vt omne carpentum adfabrè & firmis compaginibus explicetur. Si parte precij ad hoc opus eſt, quod dandū ſcripſeris, iubebo numerari. [b] Humanitas ſemorum tuorum debet eſſe moderatior. Relligio enim animis potiùs quàm muneribus æſtimatur.

b *fortè leg.* Immanitas munerum tuorum.

Epiſtola. 62.

ET quiete prouinciæ & vigoris tui delector laude. Nec quicquam magiſterio meo vēdico, quum omne quod ſpectat ad gloriam, tuæ potius indoli debeatur. Macte igitur primi honoris auſpiciis. [c] in vberiorem gloriam fœlices tēde conatus, vt & tibi ad celſiores gradus ianuam pandas, & Romanum nomen claritudine adminiſtrationis illumines.

c *Lib. Sc.* & ad honorem & gloriam. *Sicque lib. Pit.*

Epiſt. 63.

SOleo amicitias optimorum primus expetere. Nunc fortunæ meæ inclinatio, [d] vt præuenirer, effecit. Tribuenda eſt igitur [e] venia tarditatis, non negligentię, ſed mœſtitudini meę: & bono omine familiaritas copulanda, cui auſpicium fortunatius præſtitiſti. Sed licèt me [f] ipſo officij ordine & dignatione præuerteris, in poſterum tamen nequaquam reſidem iudicabis: vt animorū noſtrorum conciliatio, quæ tuo inuitamento ſumpſit exordium, meis litteris [g] cumulata frequentetur. Vale.

d *v.c.* ne præuenirem.
e *Sic v.c. vulgo leg.* nota tarditatis.
f *v.c.* ipſe.
g *v.c.* frequētata curetur, *lib. Pith.* frequentata cumuletur.

Epiſt. 64.

MAllem quidem reditum tuum quàm litteras impetrare. Sed habent ſolatia locum, quoties fraudamur optatis. Vereor autem ne te diu [h] ad vrbem protermines. Namque hoc nobis minatur traditatis tuæ elaborata defenſio. Quare velim noueris, nullas moræ allegationes deſiderantibus iuſtas videri. Quicquid igitur ipſe cauſationis attuleris, ſurdis, vt aiūt, auribus ingeretur.

h *v.c.* ab vrbe. *Sicque lib. Pit.*

Hæc interim [a] ad quartum Latinæ viæ, mox agrum Laurentem petiturus [b] mitto. Eſt enim familiare mœrentibus, animi curas migratione diſcutere. Vale.

a v.c. de quarto. & lib Pit.
b v.c. emitto.

Epiſt. 65.

ACcuſarem ſilentium tuum, niſi te in fratre vidiſſem. Ille & officij tui ſatisfactionem, & præſentiæ tuæ imaginem mihi ſolus exhibuit. Nam omnia bona in eo agnoui, quæ in te dudum probaui. Amo igitur [c] venam familiæ veſtræ. De vobis etiam, qui adhuc comperti non ſunt, prærogatiua optimi generis laudabiles iam videntur. Supereſt nunc mihi ſolemnis illa efflagitatio litterarum, quam nec omittendam penitus exiſtimo (ne remiſſiùs cures quam putas non deſiderari) nec magnopere perurgendam, ne tibi perpetua conuentio ſpontanei gratiam decerpat officij.

c Vide notas.

Epiſt. 66.

QVamuis relegere iter, atque ilicò parem [c] rure deducere, hoc ipſum tamen breue interuallum diei vacuum eſſe litteris non patiar. Primùm vt officium ſcriptorum tuorum viciſſitudine ſermonis æquiparem. Dehinc vt expetitas amicitias relatu gratiæ intelligar munerari. Poſtremò vt indicio aduentus mei, pauxillum de te, ſi mox abire decreueras, reſidendi tempus obtineam. Ob has cauſas epiſtolam venturus ipſe tanquam præſulē miſi. Sed in his præcipua mihi fuit ratio non ſilendi, quòd prior votum ſanciendæ familiaritatis habuiſti. Vnde curare me decuit, ne culpam faſtidij contraherem diſſimulando reſponſa: atq; mallem ſemper mea opera amicitias inchoari, tantum abeſt vt pigrè & negligenter accipiam munus relligionis oblatæ. Ago igitur gratias bonæ voluntati tuæ; & curabo ſedulò, vt officiis meis credas potuiſſe me ſcribendi ordine præueniri, diligentia animi non poſſe.

d Poteſt legi, rure decedere.

Epiſt. 67.

ALexandrum, ſicuti loquuntur hiſtoriæ, grauis momordit inuidia, quòd Achilli fortiſſimo æui ſui Homerum præconem fortuna tribuiſſet. At mihi animus gliſcit gaudio, quòd euentus Reip. proſperos pari ſtilo tuo ſermone ornaſti. Vnde factum eſt vt noſtris quoque obtutibus, qui procul agimus, quædam geſtorum facies ſubderetur. Quare & fortunæ tuæ gratulor, quæ talium negociorum magnitudini orationis grauitate reſpondit.

Vide M. Tullium pro Arc. poëta, & Flau. Vopiſcum in Probo.

Cæleſtis nutus efficiet, vt ornatiſſimæ linguæ tuæ promptuario numquam deſit materia talium nunciorum.

* *Epiſtola.* 68.

CVra anxius eram, priuſquam litteras tuas ſumerem, vtrùm commodè peracto itinere ad deſtinata perueniſſes. Sed vbi certior factus ſum nihil valetudini tuæ ex labore itineris deminutum, animus ad ſecuritatem reuertit. Præſtabit diuinus fauor, vt ſicuti de abſentia tua optata cognouimus, ita tuo reditu gaudeamus.

Epiſt. 69.

EDitionibus noſtris amicam operam polliceris. Intelligo litteris beneuolentiæ tuæ effectum reſpondere potuiſſe, ſi honoris tui tempus fœlicitas prouinciæ prorogaſſet. Sed quamuis depoſitis Reipub. habenis, nequeas promiſſis terminũ dare: ego tamen fateor ita me vadatum gratia, [a] ceu ſperata perfeceris. Voto enim fauentis, non exitu rei animus obligatur. Interea [b] abundè gaudeo, quòd tibi omnium rerum fama floret, & in partem [c] quæſitæ antè laudis accedo. Vale.

a *v.c.* vt ſperata. *lib. Pith.* vt ſi ſper.
b *v.c.* abundo gaudio.
c *v.c.* quæſitæ à te laudis a. *Sicque li. P.*

Epiſt. 70.

BEaſti curiam noſtram forúmque Romanum: de quo ſortiri Sicilia magiſtratus, anteriorum recordatione metuebat. Ades igitur nobis expectatus, illis deſiderandus. Et præſumo tibi accepto ferendum, ſi prouinciæ [d] commodauerit poſterioris imitatio. Auctor eſt enim bonorum ſequentium, qui relinquit exemplum. Vale.

d *v. c.* commoda erit poſterioris mutatio.

Epiſt. 71.

QVerebar tacitus ipſe mecum de ſilentio tuo, ſed amicam [e] ſuccenſionem recens ſermo placauit. Ergo in vſum veterẽ reuertamur, & mutuam diligentiam religioſis ſalutationibus excolamus. Vale.

e *Sic v.c. vulgo leg. malè,* ſucceſſionem

* *Epiſt.* 72.

SCripta tua plurimum mihi tribunt voluptatis. Sed ſi paululũ Romæ reſidere voluiſſes, multo ampliùs nobis præſentia tua quàm ſermo gratiæ contuliſſet. Fero tamen æquo animo, quòd deſiderio noſtro amorem patriæ [f] contuliſti. Et ſpero viſendi filij tui gratia, qui nunc liberalibus ſtudiis eruditur, reddendam mihi ſæpius tui copiam. Interea dum abſumus, frequentanda tibi eſt

f *Malim leg.* prætuliſti.

opera ſcriptionis, vt meus etiam ſtilus ad viciſſitudinem prouocetur.

Epiſt. 73.

CRedo miraris, quòd adhuc crudo fortunæ meæ vulnere ſilentium ruperim. Hæc ſolatia mea, his paſcor, his recreor. Etſi illa duco maiora, quæ mihi ex tuo pectore & ſermone redduntur. [a] Nolo tamen exigas à me litteras lõgiores. Breues ſunt doloris induciæ, & mox in miſeras cogitationes recurrunt diſſimulata paululum mala. Ergo tua redundet potiùs oratio, quæ & tibi laudem [b] pariat ſeruatæ amicitiæ, & mihi ſolamen adferat præſentis [c] ruinæ.

a *v.c.* Sed nolo tantiſper à me exigas litt. long.
b *al.* parat.
c *v.c.* ærumnæ.

* *Epiſt.* 74.

VTinam te melior cauſa tenuiſſet: facilè abſentiæ tuæ damna ferremus. Vtrumque tamen deſiderium tui litterarum ſolatio mitigaſti: quas frequentare dignaberis, ſi qua tibi adhuc morã neceſſitas familiaris indixerit. Vale.

* *Epiſt.* 75.

ET ſancti animi tui affectione & ſermonis aſſiduitate delector. Ne illud quidem beneficij minoris exiſtimo, quòd ad ſcribẽdum mihi idoneas tribuis facultates. Spero enim vel has litteras meas tibi poſſe reſtitui, quas repoſcunt, qui tuo iudicio portitores huius officij deliguntur. Ea verò quæ pro mutua amicitia dignaris iniungere, libenter exſequenda ſuſcipio, quotiens deſiderant operam meam, quos commendatione proſequeris. Sed ſi quid aut negligentiùs aut ſeriùs ſortitur effectum, eorum diſſimulationi, quos commonendi cura deſerit, oportet aſſcribi. Cęterùm tam iuſta & honeſta ſunt, quæ ipſe plerumque delegas, vt mihi vel vltrò appetenda ſit exſecutio probabilium litterarum.

* *Epiſt.* 76.

DIu litteras tuas deſideraſſe me fateor, quarum apportatio exſpectationi meæ pleniſſimè ſatisfecit. Præcipuè autẽ mihi gaudio fuit, quod te pro voto agere nunciaſti. Dehinc quòd aduentus tui dediſti obſidem ſponſionem. Et quoniam te mutuis de me præſumo gaudere, poſt ingentia pericula, quæ ſolus in communis patriæ perturbatione toleraui, in bonum me ſtatum rediiſſe ſignifico. Supereſt vt ad plenitudinem proſperorum lætitia nobis ſperata proueniat: quod mihi de tuo reditu ſpopondiſti. Vale.

* *Epiſtola.* 77.

POmis tuis abundè honorem ſcripto facerem,ſi valerem. Nũc obſeſſus membrorum omnium doloribus, ſyluarum tuarum laudem ſequeſtro. Faciet frequens humanitas tua,vt ſæpe aliàs in Marſos bona Pheacum tranſlata celebremus.

* *Epiſtola.* 78.

RVri cum parentibus ociabar,vt algore Præneſtini diuerſorij flagrantiam torridæ æſtatis excluderem. Eo me loci reppererunt litteræ tuæ, quas expectatione proſperioris indicij principio lętus accepi.Namque ad hoc locorum nullo me munere ſermonis hylaraueras. Sed vbi omnes moleſtias, quas Pado auctore toleraſti,ſollicita lectione percenſui,accuſato vernula tuo flumine,cuius turbidos meatus & infidum agmen expertus es, retuli conſeruationis tuę gratiam Diis auctoribus,Bonæque Fortunæ. Quamobrem complacitum eſt mihi ſerum exhiberi ſermonis officium, cuius longam ceſſationem ſecundis rebus tuis incuſare potuiſſem. Factum eſt enim relligione qua debuit, vt priùs liberationem tuam quàm periculum diſcerem. Quare penes ſoſpitatores tui Deos manebit hæc cura, vt beneficiis tuis iugiter immorentur,téque ob meritum donent largo ætatis excurſu; ita vt ſenectus nihil decoquat firmitatis.Interea quoniam te grata ſeceſſio & quies dulcis amplectitur,quæſo curam dignatus arripias nobiſcum ſæpius loquendi. Adiicies pluſculũ refectioni corporis,ſi aut emittendis epiſtulis, atq; viciſſim ſumendis peregrinationẽ leuaris.Certè nobis nihil antiquius erit quàm te legere,quibus blanditias oris tui interim non contingit. Vale.

Epiſtola. 79.

QVod ait noſter Comicus,numquam te adeo,quin abs te doctior abeam,id ego de epiſtolis tuis iurè memorauerim,quę multis ſalibus,non numquam ſententiarũ, plerumque verſuum farciuntur. Veluti nunc litteræ tuę olentes Platonicum nectar, quantum mihi muneris & honoris dederunt! Niſi tibi bonarum artium ſpectatus eſſem,nunquam me Atticis Muſis impertiendũ putaſſes. Quare huiuſmodi operi frequenter accingere, & in amicitiæ diligentia ſedulò perſeuera: nam hoc negocium tibi noſtri officij viciſſitudo commendat. Vale.

Epiſt.

* *Epiſt.* 80.

AMicæ voluntatis indicium eſt, quòd adeptus ampliſſimum Conſulatum cognitionem mihi & ſocietatem tanti gaudij præſtitiſti. Quare huius tibi apud me muneris opima laus eſt, quando ita ſecurus es mei, vt tuis rebus proſperis ſcias nos poſſe lætari. Quid quòd etiam Conſulare negocium fuit honoris tui nûcium latiùs promouere? Gaudia enim, quibus pauci fruuntur, anguſta ſunt. Dehinc ipſius æterni Principis beneficium celebrius atque ornatius reddidiſti, cui ſub occaſione talium litterarum apud multos gratias videris egiſſe, quàm benignè animaduertat officia. Facito, oro te, vt iſtam gratiam ſcribendi aſſiduitate continues. Vale.

* *Epiſt.* 81.

COmpotem me optati nuncij præſtitiſti. Fateor enim veræ amicitiæ hanc eſſe rationem, vt commoda noſtra mutuò gaudeamus. Gratulor ergo tibi familiaritatis noſtræ, tum famæ temporum, quam recentis iudicij æquitas in æternam gloriam vindicauit. Functus es optimi ciuis officium, multa opera, perpeti ſollicitudine. Sed nolo pœniteat. Virtus durioribus negociis eniteſcit, & aſpernatur decliuem facilitatem, maximóque ſudore arduum laudis adnititur. Adde huc quòd more fortiſſimi Principis agis, & publico bono ſine ſatietate defrueris. quæ res non compenſat modò, ſed etiam commendat laborem. Iam illud quale eſt, quòd in cauſa non tantùm tua fortunæ eluctatus incertum, nulli noſtrum debes victoriæ tuæ gratiam? Plura vellem, ſed videor [a] mihi in præſentia ſatis feciſſe verborum. Nunc ſi tibi poteſtas eſt, malo vt iam recurras. Si quid morarum eſt, quæſo reſpondeas.

[a] *Sic lego. Nã v.c. habet,* mihi præſentia ſatisfeciſſe vborum.

Epiſtola. 82.

SVmma tibi apud me laus & ſolida gratia eſt, quando id affectas amicitiæ cultu, vt nos litterarum honore digneris. Sed pars epiſtolæ tuæ, quæ laudem mihi aſſignauit eloquij, ſit licet nimis iucunda, minùs tamen vera eſt. Non audeo ſcribere, mentiris & decipis, cùm hæc de me prædicas: ſed illud potiùs ſcio, quòd amore falleris. Tu quemquam facundum voces, vir in dicendo ſummarum partium, cui ſit patritiæ dignitatis oratio? Ergo parce verbis lenocinantibus, & fuco óblitis, & ad gratiam comparatis.

Hæc addidi ex fide v.c.

Amicitiæ noſtræ fortè conueniat, vt talem videri me ceteris cupias: pudoris tamen mei eſt, vt mihi ipſi talem me eſſe perſuadeas.

Epiſt. 83.

OLim te mihi fecit optabilem cultu fama litterarum tuarum: ſed diu officium ſcribendi per verecundiam diſtuli, ne in aula poſitum viderer ambire. Cuius morbi ita crebra eſt affectatio, vt diligentis exiſtimationis viri pro alienis vitiis erubeſcant. Iam remota eſt cauſa hæſitantiæ, poſtquam me prior ſalutatione dignatus es. Patentes amicitiæ tuæ fores benignè accitus intrabo, & compenſare meditabor pudentis ſilentij moras crebrioribus paginis. Tu tantùm bona venia reſpice obſequium linguæ inopis, & paulisper Imperialis magiſtri ſubmitte iudicium. Indicaſti certè meorum te aliqua legiſſe. Eandem poſco patientiã. Nouus tibi non ero, nec inexpertum formidabo arbitrum. Omnia mea ferre didiciſti. Acceſſit etiam nobis familiaritas, quæ te mihi æquiorem iudicem faciat. Gratioſa quippe eſt amicitia, & à feuero examine in blandiores ſenſus caritate mutatur. Quòd ſi ego depoſito ingenij pauperis metu aſſiduas tibi epiſtolas ſpondeo? Vides quanto amplius ſperem de promptuario largiore. Fatendum tibi eſt amicè: Gallicanæ facundiæ hauſtus requiro, non quòd his ſeptem montibus eloquentia Latiaris exceſſit; ſed quia præcepta rhetoricæ pectori meo ſenex olim Garũdæ alumnus immulſit. Eſt mihi cũ ſcholis veſtris per doctorem iuſta cognatio. Quicquid in me eſt, quod ſcio quàm ſit exiguum, cælo tuo debeo. Riga nos ergo denuò ex illis Camœnis, quæ mihi lac bonarum artium primum dederunt. Et ſi te in meis ſcriptis aliquid offenderit, auditorem quondam popularis tui aut ſilentio tuere, aut tu quoque rurſus inſtitue.

Epiſt. 84.

ACcuſo litteras tuas, quas malè credulus deſiderio meo facturas medicinam putaui. At illæ decurſæ oculis admouerunt mihi tædas feruentiores. Affluebant enim multo melle facundiæ, quod ane&um tecum dolemus. Itaque paruæ lectionis ſapore ª, commonitus, triſtiorem damni noſtri ſenſum recepi. Inter hæc occurrit mihi altera cogitatio, amatius

ª Malim leg. commotus.

eſſe, ſi taceas. Quapropter conditio durior vertit me ad optionem prioris. Peto igitur ſcribas. Sed fac epiſtolis tuis temporis interualla breuiora. Sæpius ad me commeet, & confabulationem præſentis imitentur. Fruemur aſſiduè ea parte, qua melior es. Quòd ſi aliquid prolixioris curæ, & elaborati à te operis adiunxeris; propè erit vt mihi non ſolùm Romæ, ſed in athenco quoque noſtro qua ſoles gratia perorare videatis.

Epiſt. 85.

IN curam tuam rediiſſe me gaudeo. Sed huius tam ſubiti operis boni ornatiſſimus iuuenis Aſterius auctor eſt; qui parandæ cõmendationis gratiã, vt tandem ſcriberes impetrauit. Et illius quidem familiaritati, licet à nobis olim repertæ, ob meritum recens adiecimus animi diligentiam. Te verò non patiar vltra exſpectare monitores; & aliorum potiùs vſui operam nauare, quàm mutuæ inter nos affectioni debitum pium ſoluere. Non inuideo poſcentibus teſtimonia vel ſuffragia tua. Sed validior eſt amicitiæ cauſa quàm gratiæ. Precarias epiſtolas poſtpone legitimis: his frequentiùs caritas ſtudeat: illas nonnumquam præſtet humanitas.

Epiſt. 86.

EXſpectare non debui litteras tuas, quibus indicium mihi faceres honoris accepti. Itaque verecundiam tuam gratulatione preuenio, & opto vt augeat gradum meritis tuis iure delatum continuata fœlicitas. Reſtat vt ſtili aſſiduitate acuas inter nos amicitiæ diligentiã, vincáſque officiis interceſſus tuos. Ille [a] enim verè incrementis ſuis maior eſt, quem ſublimitas parti honoris inclinat. Vale.

a *Sic v.c. vulgo leg.* enim veniæ ſtatus incrementis.

Epiſt. 87.

IN caſſum diſſimulationis & taciturnitatis accuſor, quum debitam diligentiam [b] deo teſte non deſeram. Sed nequitia meorum arbitror accidiſſe, vt miſſa ad te ſcripta [c] reſederint. Quæſo igitur ne ex infrequentia litterarum meus in te animus æſtimetur. Nam plerumque officiis ſimulatur affectio. Amicitiæ autem ſinceritas pectoris magis fidem poſtulat, quàm delinimenta ſermonis. Vale.

b *v.c.* tuã Ioue teſte.

c *v.c.* reſiderent, *vt lib. Sc.*

Epiſt. 88.

PIgnora noſtra coniunximus. Atqui id conſentaneum videtur, vt quos [a] coctus participes [b] habemus, etiã honore ſportulæ proſequamur. Duos igitur ſolidos offerendos tibi miſimus: paruum munuſculũ, ſi æſtimetur precio ſui: relligioſum, ſi amore pendatur.

a *Lib. Scot.* coitus. *Sicque Pith. lib.*
b *Al.* habuimus.

* *Epiſt.* 89.

ROmam te venturum certa fama promiſerat. Spem viſendæ præſtantiæ tuæ multo gaudio ceperamus. Sed improuiſò mutatus nuncius indicauit, quòd pio accitu Domini & Principis noſtri ad votiua remeares. Ergo officium ſalutationis, quod corã ſperaueram deferendum, ſtili honore compenſo: téque oro vt ingrauatam vicem referas, quæ ſuadeat deſiderari ex me crebra colloquia, ſi [a] oſtendero prima placuiſſe.

a *F.* ſi oſtenderis.

* *Epiſt.* 90.

PRo vtroque noſtrûm cauſam diuturni ſilentij reddidiſti: nam me quoque fateor ſcribẽdi officio hactenus temperaſſe. Tua igitur purgatione defenſus, diluere litteris quod cõmune eſt, nõ laboro. Nunc omnium ſtatu in tranquillum redacto, æmulis ſtudiis omiſſa repetamus. Ita enim demum probatur temporis fuiſſe, quòd diu intra nos ſtilus quieuit; ſi nunc reddita facultate mutuam diligentiam frequens ſermo reparauerit.

* *Epiſt.* 91.

ET ſi tu à litteris temperaſti, exempli tui imitator eſſe non debeo. Integro igitur tibi largam ſalutationem: nec diffido reddenda ſaltem mihi eſſe officia, quæ à te fuerant inchoanda.

* *Epiſt.* 92.

SOlet bonis liuor obſtrepere: vt nunc ſperatum prę̃ſentiæ tuæ gaudiũ mihi ſubduxit inuidia. Hactenus vires ſuas in damna voti communis intenderit. Sic ero contentus, quòd me aduentus tui expectatione fraudauit. Ipſum te ſoſpitem manere patiatur, & tandem cum vtroque noſtrûm redeat in gratiam. Inſtar beneficij erit, ſi mihi contingat de te ex voluptate ſecuritas.

* *Epiſt.* 93.

AMo litteras tuas, ſed exſpecto præſentiam. Nam & ſi dierũ ratio pollicetur plura me ſcribere, ſpes aduentus tui non ſinit. Sed quod nunc epiſtolæ tuæ detrahimus, coràm fabulis rependemus.

* *Epiſt.* 94.

GRatum mihi eſt, quòd promptiſſimum ſtudiũ rei noſtræ dignaris impendere, & quòd te noſtri memorem ſcriptorum aſſiduitate teſtaris. Hinc fit, vt officiis tuis etiam cura noſtra reſpondeat. Libenter igitur tibi rependo ſermonem. Et quamuis ſpontaneam iuuandis hominibus meis adhibeas voluntatem, hortamentum tamen petitionis adijcio: vt officia quæ ſponte tribuis, cumules prouocatus.

* *Epiſt.* 95.

CVm petis beneficium, præſtitiſti. Plus enim mihi ex amicitia tua, quàm tibi ex noſtra defenſione quæſitum eſt. Nihil igitur aſſumam gratiæ meæ, cùm plurimum tuæ debeam. Poteſt tamen adhuc iſtiuſmodi munus augeri ſcribendi aſſiduitate: vt cumulet voluntas familiaritatem noſtram, quam nunc videtur neceſſitas inchoaſſe.

* *Epiſt.* 96.

IVuandi ſunt mancipes ſalinarum, qui ſplendori atque vſui patriæ communis inſeruiunt. Igitur auditis eorum querelis adeuntibus deferto iuſtitiam, & vrbi Romæ vtilem, & tuis moribus congruentem. Vale.

* *Epiſt.* 97.

PRo filiis noſtris, Deo iuuante coniunctis, in duobus ſolidis ad te miſimus ſportulam nuptialem: quam cùm prompta dignatione ſuſceperis, documentum dabis omnia amicorum feſta eſſe communia.

* *Epiſt.* 98.

NVptiis quidem filij mei te quoque inter amicorum potiſſimos intereſſe voluiſſem. Sed quia longa abſentia tua deſideratum mihi negauit officium, in duobus ſolidis ſportulam miſi, [a] vt vigere apud me tuam memoriam votiua oblatione teſtarer. *a v.c. habebat malè, vt ingere apud.* Paruũ quidem manuſculum eſt, ſi æſtimatur precio ſui: relligioſum, ſi amore pendatur.

* *Epiſt.* 99.

OMnia, quæ ſine auctore iactantur, incerta ſunt. Sed ego in ſacræ virginis famam nihil patior licere ſermonibus. Quare *Vide notas.* officio Pontificis, fide Senatoris admoneor proferre comperta. Diceris ante annos legibus definitos Veſtali ſecreto velle decedere. Nondum credo rumori, ſed aſſertionẽ tuæ vocis exſpecto

quæ opinionis dubium aut agnoſcat aut reſpuat.

Epiſtola. 100.

TAndem de actibus tuis certum me facere dignatus es. quibus lectis atque decurſis lætatus ſum: vitæ & innocentiæ tuæ apud Iuſtum, ceteris in reſcribendo diligentiam defuiſſe, quos tu ad referendam gratiam dignaberis incitare: vt intelligam viciſſitudine prouocatus, epiſtolas meas iiſdem faſtidio poſtea non futuras.

Epiſt. 101.

ALiorum quidem tibi ſpectanda eſt ſententia, quos decet de Patribus iudicare. Mei ingenij exilitas etiam parua miratur. Quare velim credas nihil tibi ex meo teſtimonio honoris accedere. Nam etſi laudari ab laudato viro verus dictum eſt: noſtri tamen mediocritas non multum famæ tuæ claritudinem iuuat. Sed quia voluntati tuæ mos gerendus eſt, quicquid de orationibus tuis ſentiam iuſſus expediam. Propè eſt vt te arguere debeã, quòd ſeculo noſtro Tullianum ſtilũ famæ parcos inuideas. Reſpondebis omnem te operam condendæ hiſtoriæ deputaſſe. Ignoſce auaritiæ meæ, ſi vtrumque deſidero. Nam pari nitore atque grauitate Senatorias actiones, & Romanæ rei monumenta limaſti: vt planè Homeri . . . . relatione vſus . . . . . . id eſt, æquimanum te eſſe pronunciam. Perge igitur quæſo, & ſtude hanc poſteris dotem relinquere: vt quæ diuiſa in ſingulis auctoribus antè placuerunt, eadem nunc in te coniuncta laudentur.

Vide notas.

Epiſtola. 102.

CVm iam Decembrium KL. tempus appeteret, redditæ ſunt mihi litteræ, quæ te annalem trabeam meruiſſe loquerentur. Credam velim, multo ex ea re gaudio mentis meæ habitum ſplenduiſſe. Primò quòd ita natura comparatum eſt, vt omnes ſibi delatum decus iudicent, quod [a] dignus acceperit. Dehinc quia honori, iampridem togæ & ordini rarus nimiſque difficilis, tandem ſummatem ciuilium partium virum reſpicit. Poſtremũ quòd amicitias noſtras necdum aliis officiis inchoatas prompta euocatione iunxiſti. Vidéſne quàm probabiles lætitiæ meæ cauſæ ſint? Sed vereor ne his parum credas, cùm [b] accitus accuſem: quamuis iuſta ratio ſapientem non poſſit offendere. Quo enim pretio ad prima faſcium tuorum ſum vocatus auſpicia, paucis

a V.c. dignus.

b F. accitos.

diebus Galliarum longinqua penè . . . . . . ex me itineris apparatum cogita . . . . . . impedimentum, defectum curſus publici, & brumalis lucis anguſtias. Nónne mihi ante KL. Iun. futurus erat irritus labor, aut poſt inuerecoundia . . . . . . ventus. Hæc oro te æquo animo . . . . . . pronunciet amicitiæ noſtræ bonus auctor eſſe dignaris. Eo animo interpretare, quæ iure aſtruo, quo rogaſti: nec propoſitum tuum deſeras. Solus enim benignè creditur aduocaſſe, qui excuſatione non læditur. *

* *Epiſt.* 103.

MVlta me gratia nexuiſti: & cum prioribus officiis tuis adhuc ſoluendo non ſim, denuò aliud poſco quod debeam. Conſul me ampliſſimus auſpiciis honoris ſui intereſſe præcepit, cuius litteris tua quoque acceſſit oratio. Hæc vt venturo honeſta eſt, ita excuſanti vehementer oneroſa. Sed tua æquitas verecundiam meam vera fœlicitate releuabit. Ille vt ſit placatus enitere, cui me triſtis de fratre caſus excuſat. Nam mihi turpe atque impetibile eſt attonito animo & fronte mœſta lætos adire conuentus. Quid fortunam meam deceat, agnoſco: cum qua nimis contumaciter agit, qui accepto vulnere ſtatim miſer eſſe diſſimulat. Si iuſta, ſi neceſſaria, ſi vera pretendimus; facito oro, vt tam prompta venia ignoſcat abſentiæ meæ, quàm bona affectione vt pergerem poſtulauit.

Cõfer hãc epiſtolam cũ epiſt. 94. 5 lib. 1. & epiſt. 21. 5 li. 3. ad Gregorium quarum idẽ eſt argumentum.

Epiſt. 104.

REctè Cæcilius comicus, Homo, inquit, homini Deus eſt, ſi ſuum officium ſciat. Hãc ego in te dixerim ſententiam conuenire, qui gratia tua in noſtris negociis curam vigilem præſtitiſti. Hinc in noſtro pectore memoria, laus in ore verſatur. Nec in præſentia modò floret facti & ſtudij tui gloria, ſed, vt mens augurat, [a] in æuum vigebit. Prolixior agendis gratiis ſermo etiam nunc competeret, ni vererer ne ſimul totum videar expendiſſe quod debeo. Impatiens eſt accepti beneficij, qui nexu properat liberari. Nec videtur mutuam operam quaſi amicus accipere, ſi erubeſcit ad moram gratiæ. Alia mei ingenij ratio eſt. Pecuniæ fœnus accelero perſoluere; officiorum vices diu opto debere. Vale.

a in, abeſt à v. c. non malè: abeſt etiam à lib. Scot.

* *Epiſt.* 105.

Vide quæ ſcripſi in notu.

MOnes vt æquo animo feram vel æmulorum facta improba, vel ingratorum fœda decreta. Conuenit cum ſtudio atque ingenio noſtro conſilij tui qualitas. Nullius quippe tam vehemẽs nequitia eſt, vt motu meo digna ſit. An ego iſtud feram moleſtè, qui nouerim Marcellorum monumenta ſublata Verre Prætore, & Marianis trophæis nequaquam manus inuidas pepercisse? In ſola conſcientia eſt fructus & ratio virtutis. Nihil moror ſtatuas & publica falſa titulorum, quæ fucum faciunt Prouincialium oculis, qui animis. Quod ſi mihi [a] vllus fauor teſtimonij publici affectandus foret, iudicio tuo, & ſimilium contentus eſſe deberẽ, vel fidicinis exemplo, qui indignatus conſidentium turbæ, ſibi & Muſis cantum ciebat. Vel ſecundum Heraclitum Phyſicum, qui ſummam laudis arbitrabatur placere vni: is eſſet optimus, qui probaret. [b] Pro qua re eſto ſecurus patientiæ noſtræ, & gratulare mihi, quòd ego ſolus torqueo corda liuentium: [c] cùm alij, quibus ſtatuæ quoquomodo tributæ ſint, nihil habeant inuidendum.

a v.c. vllus honor.
b v.c. Quare eſto.
c al. cum illi.

* *Epiſt.* 106.

VAleo quantum ſinit æger animus. Atque vtinam leges æquè mecum valerent, quarum ſanitas ab ipſis plerumque corrumpitur, quibus curanda mandatur. Non pergam longiùs, cùm hoc ænigma noſtrum frater meus Bulcforus poſſit aperire. Cui vt amicitia mea cara, ita querela comperta eſt. Is vbi te ſcientem dolorem mei fecerit, cõfido tali adiutore leges ad fora noſtra redituras.

* *Epiſt.* 107.

EXprobraueras mihi antehac feras, quibus non eſt vſa Quæſtura filij mei. Mordebar commemoratione irriti beneficij, de quo arguere amicum nec compotem gratiæ debui. Tu verò etiam precia, vt vir excellentiſſimus, communis frater Protadius allegat, nec ſpetatæ nec traditæ [d] rei epiſtola . . . . . me ſi credis à verecundia ad pecuniam, etiam lata conuentio. Minùs enim graue eſt debitorem quàm ingratum videri. Eſt igitur optio tua . . . . . quos tempeſtate dicis amiſſos naufragia taxare. Habes in manu quanto æſtimare debeas inefficacis voti benignitatem. Tantùm maneat amicitia noſtra, nihilque fortunæ in eam liceat. Summam pone diſpendio. Non ſubducam pecuniam meam nauis tuæ caſibus.

d *fortè leg.* rei poſtulas à me, ſic redit à verecundia, &c.

* *Epiſt.*

* *Epiſt.* 108.

SOſpitem tuum Fauſtinum Senatus ampliſſimus in ſocietatem recepit. Tãta apud nos teſtimonij tui antiquitas fuit, vt differri quæ velis, inſtar iniuriæ ſit. Tibi igitur acceptum ferat ſtudium totius ordinis. Nam vt beneficio ſacro debet dignitatis impetrationem: ita tuo decreti noſtri celeritatem.

* *Epiſt.* 109.

PLerique te accitu Conſulis Mediolanũ venire credidimus: pars in Gallia reſediſſe iactabant. Inter hæc opinionum varia, quonam mittenda eſſent Quæſtoria dona, dubitaui. Poſtquam mihi ſoluendi officij occaſionem tribuit aduentus tuorum: Olarentio, cuius ſpectatam fidem noueram, conſueta munerum deferenda commiſi. Non aſpernabere, vt æſtimo, diptici & apoforetici oblationem. Neque enim graue eſt, verecundiæ tuæ ſolemnia & votiua ſuſcipere. Quæ cùm amicitiæ deferantur, pertinet ad caritatis confeſſionem, vt deberi ſibi hæc animus ſumentis ſuadeat.

* *Epiſtola.* 110.

ARiminum ſæpe prætereriens magiſterio tuo didici amicos honorare munuſculis. Quare tuo inſtitutus exemplo neceſſaria vſui magis rependo quàm defero: quæ niſi prompta dignatione ſuſceperis, videbere meam facilitatem de acceptis totiens notare muneribus.

* *Epiſt.* 111.

PRomptum mihi atque decliue negocium credidiſti, in quo nullum niſum tibi operæ meæ vendito. Quippe vbi primùm ſpectabilem virum Fauſtum tua epiſtola meus ſermo cõuenit, vt Epiro mancipium deambiget: ſin examen accerſat, nequaquam aduerſatus eſt poſtularis. Spero igitur accitu eius breui affore hominem, quem veſtrum alteri diſceptatio familiaris adiudicet. Sed de hoc ſatis verborum eſt. Te oratum volo, vt nos ſubinde ſcriptorum honore locupletes, & quod nunc cauſa cogente feciſti, id amicitia hortante non deſeras. *

* *Epiſt.* 112.

PRæſumebam quidem iuſtitiam tuam fratris mei Magnilli ſinceris actibus affuturam. Sed fide cognitionis audita, quam bonis omnibus aduentantium ſermo patefecit, admodum gratu-

latus ſum, quòd illi æquum Iudicem fortuna præſtitit. Ago igitur gratias pro amici tui ſecuritate, cuius innocentiſſimam vitam ſententiæ teſtimonio comprobaſti. Et ſpero contemplatione tua breui ceteras infortunij eius reliquias ſubmouendas. Itaque vt promptus partes ingenitæ tibi æquitatis arripias, precator accedo; memor ſemper futurus beneficij tui, ſi eum quem conſtanter purgare dignatus es, tandem ſecuritas plena reſpexerit.

* *Epiſt.* 113.

PLurimum voluptatis ex litteris tuis antè capiebam: nunc lacrymabili[a] conqueſtione mentem legentis infuſcas. Vbi illa prudentia, quæ te & naturæ bono veterum lectione contra omnia fortunæ tela firmauit? Dignam viro aſſume patientiam, & quæ mutari nequeunt deſiſte lugere. Leuiora tibi cuncta poſt improbum generum debent videri. Cur autem corpori atque ocio vaces, & patrimonij negligens feriatus paſcas dolorem? Curæ ſint tibi reliquiæ rerum tuarum, quas facinoroſus inuaſor exhauſtas & laceras reliquit; ne in his reipublicæ neceſſitatibus recuperata ſuſtentare non poſſis, quæ priùs amiſſa contempſeras.

a *Ita repoſui, licet, v. c. habeat*, conquiſitione.

* *Epiſt.* 114.

COactum te licèt fatearis vt ſcriberes, ego tamen non minùs acceptum tibi refero, quòd me ſtili honore dignatus es, quã ſi hoc ſponte feciſſes. Sed videris qui fuerit auctor muneris tanti. Mihi ex illis litteris non onus tantùm gaudij, ſed fructus euenit. Didici enim commeatu annonario conualeſcere vrbis ſecuritatem ……. codicem conſtitiſſe rationem. Nam cetera, quæ pòſt ſecuta ſignificas, ipſo inuito opinor exorta: & ſperare debemus talem fore in reliquis diſceptatorem, qualem tibi oſtendit prima cognitio. Ego tamen ad incitamentum iuſtitię, quam meritis tuis arbitror deferendam, familiares litteras miſi, quas, ſi ratio popoſcerit, in manus eius facies peruenire. Aliud enim ſalubritatis genus conditio temporum non permittit adhiberi. Volo autem ſcias (& ſponte pro amicitia noſtra debes aduertere) curam pro te meam non deſiderare monitorem: ſed non poſſe ampliùs fieri, quàm vt tibi animum diſceptatoris petitio noſtra conciliet.

* *Epiſt.* 115.

LVdos Prætorios præparamus, quorum ornatus peregrina animalia deſiderat: vt nouo cultu Romana ſplendeſcat editio. Addaces igitur & pygargos ſtudio mihi opto præſtari, quorum copiam limes vobis finitimus ſubminiſtrat. Dignare igitur amicitiam noſtram votiuo pignore fœderare. Non ero impar ad viciſſitudinem rependendam, ſi quid etiam tuus vſus exegerit.

* *Epiſt.* 116.

SPem mihi aduentus tui de longo tempore pollicebar. Tu etiam nunc de me ſcriptorum vices poſtulas, & diuturnam quodammodo minaris abſentiam. Nam quid ſibi vult mutui ſolatij poſtulatio, ſi reditus apparatur? Si quid igitur apud te conſiliis meis loci eſt, ſuadeo vrbem reuiſas, ad quam te & amor ciuicus vocat, & cura Quæſtoria: cuius apparatus etiamſi copias diuitis habet, requirit tamen diligentiam candidati. Vale.

* *Epiſt.* 117.

ANimum, quem nobis rependis, agnouimus recentium ſerie litterarum, ſed moleſtè ferimus huius muneris raritatem. Et ideo adhortamur vt frequenter arripias indicium familiaris officij. Petitio tua ſuper hereditate C.M.V. Ærij, neque mihi, neque aliis, qui tui curam gerunt, probabilis viſa eſt. Nam quæ iure ac legibus ſunt relicta, alienari impettatione non poſſunt. Quod ita eſſe Valentinianus communis amicus expertus eſt, qui magnopere laborauit, vt aliquid, ſi fieri poſſet, [a] excluderet. Sed eum refragante iuſtitia deſeruit laboris effectus. Proinde ſi quid mihi credis, remoue à te huius petitionis inuidiam, quod etiam conſorti petitionis tuæ opto ſuaderi. Malo enim vobis integram eſſe famam, quàm imputari huiuſmodi petitionem. Hęc me amicè & benigna circa te voluntate ſuadere, pro mutua in nos diligentia recognoſcis. Intelligis enim nihil me magis quàm exiſtimationẽ familiarium noſtrorum debere curare.

[a] *Lib. Pith.* excuderet: ſed e.t.i. deſerunt.

* *Epiſt.* 118.

MOre inſtitutóque maiorum, inceſtum [b] Primigenię, dudũ apud Albã Veſtalis antiſtitis, collegij noſtri diſquiſitio deprehendit: quod & ipſius, quæ contaminauit pudicitiam ſacram;

[b] *Al.* Primogeniæ.

& Maximi, cum quo nefandum facinus admiſit, confeſſionibus claruiſſe geſta teſtantur. Reſtat vt in eos, qui cerimonias publicas abhominando ſcelere polluerunt, legum ſeueritas [a] exeratur. Quæ tibi actio de proximi temporis exemplo ſeruata eſt. Et ideo dignaberis, Reip. vtilitatem legéſque conſiderans, facinus cunctis vſque ad hunc diem ſæculis ſeueriſſimè vindicatum, competenter vſciſci. Vale.

a *Lib. Pit.* exerceatur.

* *Epiſt.* 119.

SEcundum proximæ ætatis exempla, clariſſimo & excellentiſſimo viro fratri noſtro Præfecto [b] Vrbi Primigeniæ Virginis, quæ ſacra Albana curabat, à collegio noſtro vindicta delata eſt. Sed quia litteris eius cauſæ probabiles [c] aſſeruntur, quòd neque muros Vrbis æternæ tanti criminis reum fas ſit intrare, neque ipſe ad longinqua poſſit occurrere; cum facinus vbi admiſſum eſt debeat expiari: neceſſe eſſe perſpeximus poteſtatem finitimam conuenire, & cui prouinciarum iura mandata ſunt, vt in Primigeniam, quę publici criminis maculauit arcana, corruptorémque eius Maximum, [d] qui quidem flagitium non negauit, ſeueritas ſemper his adhibita criminibus [e] exeratur. Dignaberis igitur cõſideratis confeſſionibus, quæ nefandi criminis tragœdiam prodiderunt, iniuriam caſtiſſimi ſæculi reorum ſuppliciis vindicare.

b *Lib. Pith.* vrbi inceſtatę Primogeniæ.
c aſſeruntur.
d *Lib. Pith.* qui vitium non negauit.
e *Al.* exerceatur.

* *Epiſt.* 120.

IDoneum tẽpus eſt, quo probemus quid amicitiæ noſtræ religionis exhibeas. Delatus eſt enim à clementiſſimis Principibus ordinarius Conſulatus. Et ideo curam tuam efflagito in prodendis omnibus quæ poſcit editio. homines mei ſpecierum precia miniſtrabunt. In hoc tantum ſtudium tuum, curámque deſidero, vt quamprimum peruehi iuſtis preciis comparata præcipias. Vale.

* *Epiſt.* 121.

APud eos, quibus curæ debet eſſe fama temporum, ea quæ ſunt iuſta non ſileo, certus atque ſecurus nullius ſtudium legibus obfuturum. Ob reliqua arcæ vinariæ, quæ multis Præfectis ſuperiores principes exigenda mandarunt, atque magna ex parte collata Imperiali conſtat ærario; ſoceri mei Orfiti olim Præ-

Iūge epiſt. 47. *lib.* 10.

fecti,& ante annos quindecim ſine vlla tituli huius conuentione demortui,pulſatur hæreditas obtentu epiſtolæ,qua Diuus Conſtantius, id quod operibus publicis conſtabat impẽſum integrari per eum ſtatuit: minatus ipſi atque officio, vt fieri aſſolet ſub conditione diſpendium, ſi exactioni cura competens defuiſſet. Sed neque ipſe mandatum ſibi munus omiſit, & [a] frequentes Principes,quæ Præfectura ſuſceperit,ad poſteriores Iudices tranſtulerunt. Hoc inclytus Valentinianus omni ætate memorabilis Princeps,& Diuus Gratianus ſacris litteris cenſuêre, à quorum definitione nõ decet deuiari. Dehinc cùm etiam crimina morte ſoleant terminari,in hac tantùm cauſa contra optimos [b] Principis mores,ad poſteros inopinata damna [c] tenduntur, & tãquam integrum deſignatur, quod partim ſolutum eſt, partim à Rectoribus prouinciarum conſtituit eruendum. Super hoc cùm diuina iuſſa ſumpſiſſem,fidem veri occultare non debui, cùm legis audientiam tribuerent his, qui neque in cognitione conſtiterant, neque ſumpſerant relationis exemplum. Accedebat etiam cauſa robuſtior, quòd mater familias mea dudum emancipata bonorum poſſeſſionem patre mortuo non popoſcit. Atque ideo reſcripto ſe aſſeruit non teneri. Miſi igitur ſub relatione monumenta geſtorum, ſperans etiam tuæ relligionis auxilio nouum exemplum poſſe remoueri, in ea præſertim cauſa,quæ nos iure non implicat.Teneantur potius veri huius tituli debitores. Extat vetus profeſſio [d] Cãpaniæ Conſularis. extant acta apud Ethruſcũ confecta Rectorem,quibus docetur exactio promiſſa reliquorũ. parcatur innoxiis,ne in omnes qui Remp.curant inuſitata forma procedat. Conuenit ſęculo tuo iſta iuſtitia, cuius [e] exiſtimatio veſtris conſiliis debet ornari. Vale.

a *Lib.Pith.* ſequẽtes Principes quod P. ſuſceperat.

b *Lib. Pith.* Principes moréſque.

c *Aliàs in v. c.* traduntur. *ex quo effici poteſt,* trahũtur.

d Campani.

e æſtimatio.

Symmachus Honorio. 122.

MEretur de præclaro animo tuo votiua cauſa ſuffragium. Prætoria [f] donum nouum Deo iuuante expectat, in qua me crocodillos & pleraque peregrina ciuibus exhibere,& aliorũ hortantur exempla, & propria [g] compellit animoſitas. Quare amicum meum [h] Byriacum benignè in curam tuam dignare ſuſcipere,vt inſita promoueat. Habebis in poſterum tantæ gratiæ non immemorem debitorem.

f *Lib.Pith.* domum noſtram Deo.

g impellit.

h *Codex Pith.* Cyriacum.

* Epiſt. 123.

QVòd ſcribis, voluntariæ benignitatis eſt: quòd ſerò, curarum. Nos autem relligionem meritis tuis debitam, & ocium noſtrum ſtili aſſiduitate teſtamur. Euſcium noſtrum circumſeſſum domeſticis negociis deduci in obſequium tuum præcipe, & quæ in meam notitiam pertuliſti, de inſtruenda editione ludorum ipſi familiariter curanda committe. Vale.

* Epiſt. 124.

SPortulam Conſulatus mei & amicitiæ noſtræ & honori tuo debeo. Hanc in ſolido vno ad te miſi, orans vt benigno animo ſolemnia officij mei libamenta ſuſcipias. Vale.

Q. AVRELII SYMMACHI EPISTOLARVM LIB. X.

CONTINENS EPISTOLAS familiares ad Imperatores, ſententias Senatorias & opuſcula: editus poſt eius obitum à Q. Flauio Memmio Symmacho VC.

Symmachus Theodoſio Seniori. I.

Vide notas. ETſi ſcio eſſe virtuti cognatum pudorem, deſideraui tamen in litteris celſitudinis tuæ copiam, maximarum rerum gloriæ congruentem. Primò quòd amicitia poſtulabat, vt apud amantẽ tui næuum iactãtiæ non timeres. Dehinc quòd æquè manu & ore promptus fidem geſtorum tuorum debueras linguæ honore dotare. Nunc me ad famam reijcis, iubens aurem rumoribus de te præbere, quum tãti negocij dignitas parem teſtem requirat. Sed qui animi mei ſecurus es, meritum tuum voci publicæ credidiſti, contentus veritate pro laude. Ergo Africa reualuit ex morbo, ſanè inuictorum Principum medente conſilio, quorum remedium tu fuiſti. Solẽt

enim qui medicinam callent, cùm iam fortè vſu in magiſterium prouehuntur, ac fiunt emeriti officij, proximis imperare, & feriata manu curationem iuuare præceptis. Tua igitur palma laus temporum eſt. De qua ego plenè & indulgentiùs loquerer, niſi obſequerer ſingulari verecundiæ tuæ, & mihi oppidò præcauerē ne laudatus proximè ab excellentia tua fœneratam gratiam viderer retuliſſe: hoc eſt quod aiunt, mutuum ſcabere mulos. Cui prouerbio ne videar eſſe confinis, præconia virtutum tuarū preſſo dente [a] reſtringo, præclaræ conſcientiæ tuæ pendendum relinquens; quid vel ipſe merearis, cuius ductu prouincia mihi amica reſpirat; vel quid ego debeam, cuius fama ſub tali teſte numquam ſuccumbet inuidiæ. Vale.

a v. c. perſtringo.

* *Gratiano Auguſto.* 2.

SCio amore factum, quo ſummates viros plerumque dignamini, vt ſacræ orationi veſtræ lector adhiberer. Sed cùm intelligo ſermonem illum præmittere, omnimodo de ſcriptis aliis quæcumque ad hoc locorum Senatus audiuit, me quoque arbitror pluris habitum eſſe quàm ceteros. Magnis enim negociis itidem, vt magnis comœdiis, edecumati apponūtur actores. Non idem honor in pronunciandis fabulis Publio Pollioni [b] quàm Bauio fuit, neque par Æſopo Ethruſco fama proceſſit. Quare optimi Principes, quæ in me bene conſultatis, vt diuinitus oblata complector. Laus tua domine Gratiane, officium eſt meum; quoniam ita animatus es, vt cùm Reip. medicinam facis, operam meæ vocis accerſas. Tu nobis publicas turbas in tranquillum redegiſti. Minima res ſtetit, quin omnes occumberemus. tantum flagitij diſſignauerant, qui ampliſſimas poteſtates malis artibus [c] poſſidebant. Ferox ille Maximinus ob res ſecundas, incubator iudiciorum, difficilis decidendis, ſimultatibus promptus: ſimúlq; reſtituas in tranquillum redire. Quæ bona, etſi honoris tui neceſſitas contigit, meum tamen animum tanquam duplicata iuuerunt. Sed altiora metuentes nondum explet hic nuncius, quæ in alteram meſſem procedat ratio conditorum. Facito igitur ſciam quid inuehant horreis dies ſinguli, vt voluptas ocij mei cū patriæ copiis augeatur.

b *Puto leg.* qui Ambiuio. *de quo ī. lib.* 1. *epiſt.* 25.

c *al.* obſidebant, *vt in lib.* Pith.

* *Epiſt.* 3.

AD ſextum Kal. Nouemb. Quæſtoriæ editionis exordiis intereſſe me præcipis. Huius euocationis litteras ante biduum

temporis præſtituti circa Neapolim ſumpſi. Purgat vt vides, abſentiam meam [a] longiùs itineris tractus, & fu̇nctionis dies proximus. Sed Diis iuuantibus multis ſpectaculis veſtris compenſabo obſequij mei debitum. Nunc veniæ dandæ facilem quæſo te præbeas. Neque enim fas eſt, vt tanto diſpendio meo etiam culpa iungatur.

a F. longior.

* Epiſt. 4.

PRopoſiti atque ingenij mei eſt eorum famam curare, quos diligo. Tibi autem plus me fauoris impendere hortatur affinitas. Quocirca impatienter fero apparitorum Notariis Senatu nunciari, quòd Romani populi magiſtratus abeſſe patiaris: & in tuam referri inuidiam, quòd patriæ functiones ab obnoxiis deſeruntur. Id etſi falsò in aures publicas præſumo perlatum, fungor tamen in admonendo parentis officio: & deprecor vt ceteris adminiſtrationis tuæ laudibus hunc quoque titulum, de quo laboramus, adijcias. Graue quippe eſt, vt generoſæ familiæ viro, ſummis per Africam Tribunalibus Præſide, collegæ nonnulli munia Romana detrectent, & annus penè editionibus vacuus, Proconſulari faſtigio gignat inuidiam. Audiant certè qui deſerūt functiones, quanta impendij mediocritate anni ſuperioris Prætor Ædeſius Vrbanos fecerit ludos: & de exemplo colligāt, quid præſentibus Magiſtratibus honoris & leuaminis deferatur.

* Epiſt. 5.

INtereſſe votis tuis animus adfectat, ſed valetudo corporis lōgum recuſat excurſum. Nam vt eſt morborum ferax ocium, denuò me pedum vinxit dolor, dum quieti ruris indulgeo. Da igitur quæſo te, officio meo iuſtam remiſſionem; & interim ſine nuptialibus me domus veſtræ abeſſe pignoribus, vt pauliſper fœderibus ſanatus admiſceat.

* Epiſt. 6.

NOn ſolet ab amicis anxiè venia poſtulari. Quapropter pauca [b] cogo ſermone. Ocianti mihi in agro ſolitus vnius pedis morbus oppreſſit. Itaque obeundis officiis vacationem deſiderati muneris peto. Dabunt Dij auſpices facultatem, vt nuptialibus familiæ veſtræ votis compos ſanitatis interſim.

b *fortè leg.* pauca rogo.

* Epiſt. 7.

FRater meus Rabilianus, genere & amore conſpicuus, iniuriæ ſuæ acerbitatē priuata apud me conqueſtione defleuit. aſſerit enim

enim Procuratorem ſuum ſine cuiuſquam denominatione correptum,& cum vindictam de te impetrare debuerit. ....

* *Epiſt.* 8.

MEretur auxilium tuum cauſa communis. Nam quicquid ad Senatorias pertinet functiones,participata ope & coniuncta animoſitate paragendum eſt. Iuua igitur auctoritate,qua dignum eſt,partes atque rationes ad ampliſſimam Curiam pertinentes: multum ex hoc negocio habiturus, ſi munia ordinis noſtri,quæ iamdudum fluctuare manifeſtum eſt, ſolutio ab obnoxiis efflagitata parauerit.

* *Epiſt.* 9.

ÆDitioni noſtræ fortuna conſuluit, quæ te regendæ Apuliæ voluit admouere. Vtere igitur occaſione præſtandi, & ad Præturam domus noſtræ,ad quam fœliciter de tranſmarinis locis vrſi proximè [a] proferentur, conuenientia decerne præſidia: vt prioribus officiis tuis,huius quoque cumulus [b] amplietur. Vale.

[a] *v.c.* perferentur.
[b] *Malim vt eſt in v.c.* applicetur. *Sicque lib. Pith.*

* *Epiſt.* 10.

DIligentia tua & iudiciali vigore delector. Sed inopia vel potiùs egeſtas ordinis Formiani, etiam curationis impatiens eſt. Nam ſicut affecta diuturno morbo corpora ſæuiorem medicinam ferre non poſſunt: ita Curia numero & paupertate tenuata duritia immodicæ emendationis extinguitur. Libens igitur parentis ſume conſilium,qui non defendit ordinis culpam, ſed correctionis modum poſtulat. Habenda eſt ratio vectigalium publicorum,& lauacri æſtiui inſtauratio cum Reip. viribus conferenda:vt ſi quid redundat expenſis ceteris, in ſumptum operis conferatur.Dandum quoque eſt inſtaurationi largius tempus,ne quid deroget firmitati præcipitata reparatio. Nihil ex hac mora tuæ gloriæ detrahitur.

Lectori.

Quæ ſequuntur epiſtolę,deerant in noſtro manuſcripto exemplari,& audio vix vllis extare in bibliothecis. Quòd ſi mihi nanciſci illas licuiſſet,integriores omnes nunc prodirent. Interea cogimur exhibere bona fide, vt excuſæ ſunt hactenus opera doctiſſimi viri Sigiſm.Gelenij,donec ea iactura farciatur.

Epiſt. 11.

SI nouum beneficium de vrſorum comparatione peteremus, longior ambitus eſſet habendus.Sed cùm promiſſa repetũtur, admonere te potiùs quàm rogare conuenit. Hæc igitur epiſtolæ

meæ ſumma eſt, vt homines meos, quibus ferarum mãdauimus emptionem, iuuare adminiculo non graueris: vt æditio noſtra quam Deo auſpice pro filio pręparamus, tuis auxiliis, meis ſumptibus inſtituatur. Vale.

Epiſt. 12.

SVeſſanorum allegationes commendat tibi publicus magiſtratus, mihi priuata miſeratio. Atque ideo à te iudiciarij vigoris auxilia, à me verba poſcuntur. Fungor igitur partibus meis, & te familiariter rogo, vt auditis infœlicium implorationibus, in eam partem, quę eſt iuri & miſerationi amica, mouearis.

Epiſt. 13.

PRima mihi ſcribendi cauſa eſt, vt tibi honorificentiam ſalutationis exhibeam. Secũda, vt probatam mihi modeſtiam tuã iuſta petitione conueniam. Plurimi enim de familia domus meę per fugã elapſi, in his locis, quę tibi vicina ſunt, deliteſcũt. hos, auditis allegationibus meis, quęſo reſtituas. Cõuenit tuis motibus, & amicitię noſtrę contemplationem gerere, & ſeruili nequitię negare perfugium.

a *Cod. Pith.* quæ tibi conterminia ſunt.

Epiſt. 14.

POſtquam de freto Siculo litteras tuas ſumpſi, ad curam viciſſitudinis incitatus, ſalutem mihi nuncio ſecundare, tibi opto ſuppetere. Dehinc [b] de apparatu meę ęditionis admoneo, quamuis relligioſus animus monitorem alterũ nõ requirat. Pręceteris autẽ, quę Romana ſpectacula deſiderãt, crocodillos functio theatralis efflagitat. De quibus fidã tuam ſponſionẽ teneo: cui facilis ſuccedet effectus, ſi peculiariter [c] in rem miſſis ſuffragij tui niſus [d] adfuerit. Vale.

b *Lib. Pith* te de apparatu noſtræ ædit.

c *Lib. Pit.* immiſſos.

d *Lib. Se.* adiuuerit.

Domino Valentiniano ſemper Auguſto Symmachus V.C. Præf. Vrb. 15.

QVieto mihi, & iam pridem à deſideriis honorum remoto, Præfecturam multis cupitam ſponte tribuiſtis. Ago gratias tot bonorum circa me Principum voluntati. Sed intelligo, quanto plus ſollicitudinis habeat magiſtratus qui ex iudicio, quàm qui ex gratia venit. Ille enim vt meritis datus, ſpem ſui debet æquare: iſte vt per beneficiũ quęſitus, à periculo ſpectationis alienus eſt, D. Imperator. Quis ergo me huic oneri parem faciet? Scilicet

veſtra clementia, cuius intereſt ne temere electus exiſtimer. Mihi ad conſcientiam ſatis eſt, non affectaſſe publicam curam. Iam qualis inueniar, in manu temporum eſt. Bonos enim magiſtratus fauor Principum facit: ſemperque de moribus veſtris virtutes Iudicum fluunt. Facite vt omnes intelligant, ſi fortè deſit Rectorib⁹ integer vigor & iuſta conſcientia, hominis culpam eſſe non ſęculi. Non ſum voti immodicus, cùm honorem meum commendo auctoribus ſuis. Quantum eſt enim, quòd ego numini veſtro ago gratias? Facite vt vobis etiam Reſpublica pro me grata ſit.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 16.

OLim me, vt res indicat, cogitationes numinis veſtri ſecundo fauore reſpiciunt. Neque enim aliter Imperatoribus nihil temerè præſtantibus, inter primos aut primus occurrerem. Dilatus ergo hactenus mihi cum Republica videor. quæ vbi in longinquas imperij partes, maieſtatis veſtræ curam vocauit, reppe-rit apud vos meditata iudicia, D. Imperator. Auguſtum eſt igitur, vt æternitati veſtræ pro ſolo honore, quem cepi, gratias agam. Præfectos ſæpe feciſtis, & immenſa ætate facietis: ſed quos aſſiduitas & vſus ingeſſerit. Me dudum Proconſularem virum, cedentem iam diu potentium moribus, antè capere magiſtratum, quàm expectare voluiſtis. Nunc vos oro atque obſecro, vt fauore perpetuo factum veſtrum iuuetis. Amabile eſt præeſſe ciuib⁹: ſed placere difficile. Multum enim & inter cognitos ſemper dura conſtantia eſt. Quid quòd plerunque euenit, vt aliqui longo potentiæ vſu, iam neſciant honorem meum? Non deſeruerint, qui dederunt. Ego initar vt potero, ne clementiam veſtram fefelliſſe de me prior fama videatur: veſtri nominis erit, communem cauſam tueri. Nam in bonis magiſtratibus, maiorem gloriam quærit temporum fama, quàm iudicium.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus V.C. Præf. Vrb. 17.

QVod apud germanum clementiæ veſtræ Diuum Principem non ſileremus, ſi eo res Romana frueretur, cuſtodibus famæ eius inſinuo: ea deuotione, qua Præfectum veſtrum decet fidem præferre blanditiis, D. Imperator. Falsò creditum eſt, quòd vrbanæ faſtigium poteſtatis, peregrini ac ſuperbi vehiculi vſus attolleret. Hæc enim ratio ſola nouum ſtatutum benigno tunc per-

De vehiculo Præfecturæ vide Caßidor var. lib. 6. & lib. 1. diu. inſtit. & D. Hiero. ad Ruſtic. & Vopiſcum in Aureliano.

ſuaſit ingenio: vt veterem magiſtratum diues pompa geſtaret. Recuſat iſtiuſmodi decus honor ſobrius: quem nunquam pœnitet ſui. Cui ſi quid patimur accedere, fatemur hactenus defuiſſe. Itaque oculi ciuitatis quærunt priuati vehiculi nobilem modum: & degenerem præfecturam populus Romanus exiſtimat, quæ poſteriora traxit exempla. Abſit vt moderator vrbis liberæ atque ideo deuotæ, tanquam [a] Salmoneus alius, inuehatur. Nihil moramur externa miracula. Irritamentum ſuperbiæ Roma veſtra non patitur: memor ſcilicet bonorum parentum, quos Tarquinij faſtus, & ipſius Camilli currus offendit. Nam tanto illi viro albentes quadrigæ exilium triſte pepererunt. Summiſit Publicola concioni ciuium conſularem ſecurem: & honoris ſui culmen infregit, vt libertatem ciuitatis erigeret. Ergo moribus potiùs quàm inſignibus æſtimemur. Non culpamus nouum beneficium: ſed bona noſtra præferimus. Summouete vehiculum, cuius cultus inſignior eſt: illud malumus, cuius vſus antiquior.

a *Vide Iunij ... nut. 1. adag. 1.*

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus V.C. Præf. Vrb. 18.

INter præcipua negociorum ſæpe curatum eſt: vt erudiendis nobilibus philoſophi præceptores ex Attica poſcerentur. Itaque nonnullos ius & autoritas publica in vſum noſtræ vrbis accepit, D. Imperator. Nunc veſtri ſęculi bonitas, vltro optimatē ſapientiæ Romanis gymnaſiis arrogauit. Siquidem Celſus, ortus Archetimo patre, quem memoria litterarum Ariſtoteli ſupparē fuiſſe conſentit: iuuentuti noſtræ magiſterium bonarum artium pollicetur, nullum quæſtum profeſſionis affectans. Atque ideo dignus in ampliſſimum ordinem cooptari: vt animum vitiis auaritiæ liberum, dignitatis præmio muneremur. Sunt huius rei exēpla nobilia, quæ prudens æmuletur imitatio. Nam & Carneadē Cyrenæum, & Pœnum Clytomachum Athenienſis Curia societate dignata eſt: itidem vt noſtri Zaleucum legum Locrenſium conditorem ciuitate donarunt. Dignum eſt igitur æternitate numinis veſtri, Celſum, genere, eruditione, voluntate, laudabilem, adiudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prerogatiua ſcilicet Conſulari, ne ſumptum eius magis quàm magiſterium quæſiſſe videamur: non ſine auaritiæ nota, ſi ab eo munia publica poſtulemus, qui ſpondet gratuita præcepta.

DD. Theodoſio & Archadio ſemper Augg. Symmachus. V.C. Præf. vrb. 19.

PRæcipua quidem beneficia numinis veſtri populus Romanus expectat, DD. Imperatores. Sed ea iam quaſi debita repetit, quæ æternitas veſtra ſponte promiſit: non quòd ſibi tribuenda diffidat, (nuſquam enim maior ſpes eſt quàm in bonorum Principum ſponſione) verùm ne exiſtimetur oblata faſtidiosè ſperare, niſi inſtanter exegerit. Orat igitur clementiam veſtram, vt poſt illa ſubſidia quæ victui noſtro largitas veſtra præſtabit: etiam curules ac ſcenicas voluptates, circo & Pompeianæ caueæ ſuggeratis. His enim gaudet vrbana lætitia: cuius deſideriū pollicitatione mouiſtis. Expectantur quotidie nuncij, qui propinquare vrbi munera promiſſa confirment. Aurigarum & equorum fama colligitur: omne vehiculum, omne nauigium ſcenicos artifices aduexiſſe iactatur. Et tamen amor perennitatis veſtræ acuit deſideria plebis, non cupiditas ludicrorum. Date igitur interim quæ petuntur: vt ſit locus ceteris, quæ ſine fine tribuetis.

DD. Theodoſio & Archadio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 20.

CAlendas, anni auſpices, quibus menſium recurſus aperitur, impertiendis ſtrenis dicauit antiquitas, DD. Imperatores Theodoſi & Archadi, inclyti victores, ſemper Augg. Huius inſtituti vſum munificentiæ feſtinatione præuertitis: ſeram putantes liberalitatem, quæ ſtatis temporibus ammonetur. Fœlix me hercule ſęculum, quo Principes cohibere diu neſciunt tribuenda deuotis: cùm ſibi debita cunctētur exigere. Quid ergo primum, quid potiſſimum prædicem: promptám ne numinis veſtri & celerem largitatem, an circa abſentes memorem diligentiam, an quod ſacrum munus auxiſtis honore verborum? Dicam vt res eſt: curaſſe clementiam veſtram, vt tanquam coram locatus, & alloquiis Principum fruerer, & auguſta in ipſis donis ora venerarer. Quando mihi continget, expreſſa potius & viua gaudia capere de vobis? Quantum veritatis eſt bonum: cuius ſpecies & imago mirabilis eſt? Ago igitur atque habeo gratias, & meam vicem, qui ſoluendo par non ſum, cæleſtibus delego virtutibus: illæ clementiam veſtram dignis proceſſibus munerentur. Nos colimus, nos amamus, quod ſcitis omnibus rebus eſſe præſtantius: qui ideo ſalutariter Rempub. regitis, vt hęc ſola mereamini.

Vide ep. 18. ſ. hoc lib.

DD. *Theodoſio & Archadio ſemper Augg. Symmachus V.C. Præf. Vrb.* 21.

OMnium beneficiorum, quæ tribuit potior fortuna ſubiectis, certa ſunt tempora, DD. Imperatores. Solæ leges, quæ in bonum commune procedunt, numquam patiuntur occaſum. Agit diuinis ſanctionibus veſtris gratias ordo reuerendus, etiam nomine poſterorum, quibus Reſp. emendata tradetur. Nã quum fœda iactatio Senatorias functiones grauibus impendiis obruiſſet, & moribus & ſumptibus noſtris ſanitatem veterem reddidiſtis: [a] ne aut impares facultate collegas tenuis decoloraret ęditio, aut per verecundiam viribus maiora conatos effuſio inconſulta demergeret. Eiuſdem præterea rationis ſalubritate, vetus dicendarum ſententiarum forma reparata eſt: ne ſummum cuique decernendi locum, non ratio munerum ſed honorum fortuna præſtaret: atque id aſſenſio ceterorũ vel inuita ſequeretur, quod ante omnes fœlicior cenſuiſſet. Credimus igitur his remotis, ad regnum ſuũ rediſſe virtutes. In ęditionibus parſimonia, in Senatu ordo retinebitur: nec ſe oſtentabit opulentia, ſemper bonis infirma temporibus. Supereſt vt ea quæ ſerenitas veſtra Patribus deliberanda legauit, cognito Senatus conſulto lex Auguſta confirmet. Nullo enim diſſentiente, quis modus cenſitum, ſemel aut ſæpius, quæ fungendis mediocritas æditionibus applicetur, quæ gladiatorio muneri, & quæ ſcenicis ludis ſumptuum temperamenta conueniant: quid [b] libertatis habere mereatur præſentis expenſio, quid damni abſentium contumacia debeat experiri. Hæc æternitas veſtra venerabilis, cùm Senatui ſtatuenda mandaret, referri ad ſe protinus imperauit, vt placita cunctis, immortali lege ſolidentur. Iuſſis paruimus. Exſpectamus oraculum, quo ſalutariter vt veſtro numini familiare eſt, Patrum decreta firmetis: adiecta comminatione, ſi vllus aliquãdo ambitus hæc vel illa corruperit, quæ conſilio cæleſti pro ordinis dignitate ſanxiſtis.

[a] *leg.* ne aut pares facultate.

[b] *lego,* quid liberalitatis habere. IVR.

DD. *Theodoſio & Archadio ſemper Augg. Symmachus præf. vrb.* 22.

GRatias beneficiis veſtris agere pro vrbe Roma, vt officij probabilis, ita inſolentis audaciæ eſt. Nam neque ingentibus verba conueniunt, & perſonam populi Romani nulla implet oratio, DD. Imperatores. Sed quia in talibus negociis voti magis quàm ingenij ratio verſatur, non metuo imparis famam, dum

fugio nomen ingrati erga vrbem, cælo & ſideribus acceptam: cui bona terrarum omnium congeſta præſtaris, atque id præcipuè vobis putatis accedere, quod Roma quæſiuerit. Recepimus veteris prærogatiuæ fidem, ſecuritatem. Siquidem conſtat Imperantibus vobis, populi eſſe Romani quicquid vbiq; generoſum vel gignit natura, vel informat induſtria. Enimuero etiam poſteris egregium dediſtis exemplum. Scient futuri ita demum affluere publicas voluptates, ſi eas palatia non requirant. Hoc eſt ſpecimen animi continentis, ſibi negare quod aliis deferatur, & lætitiam ceterorum propriis anreferre ſolatiis. Hic vſus bonos Principes decet. Namque aurium & oculorum fructus caducus eſt, largitatis æternus. Alij triumphis ſuis hæc dona ſeruaſſent, vt poſita lauro nouis actoribus perſonarent Pompeiana proſcenia, vt pro captiuis tetrarchis Indicæ curſum beluæ præuenirent, vt equorum longus ordo inſtar gentium duceretur. Veſter triumphus Arſacidas poſt tergum reuinctos, & gazas victæ Babylonis accipiet. In magnos quippe animos non cadit affectata iactatio. Neſcitis tribuenda differre: quicquid nationum famulatus obtulerit, ſtatim publicum eſt. Meritò vos Senatus ac populus ore celebrat, deuotione veneratur, amore complectitur. Mihi credite, arcana omnium pectorum poſſidetis: illa bonarum neceſſitudinum loca, quibus liberorum, quibus parentum immoratur affectio. Et quia omne præmium, dum beneficiis veſtris confertur, anguſtum eſt: inuenit ordo ampliſſimus amabilem vicem, qua ſe gratum probaret. Nam familiæ veſtræ & ſtirpis auctorem, Africanum quondam & Britannicum ducem, ſtatuis equeſtribus inter priſca nomina conſecrauit: qui fœliciſſimum ſidus, & imperio ſalutare progenuit. Sic coluntur, quorum liberi ad bonum publicum nati ſunt. At verò populus Imperialis munificentiæ pignoribus expletus, in amorem veſtrum prompta inclinatione conceſſit. Qui vbi comperit meo præfatu, affore dona publicorum Parentum, portis omnibus in longinqua fuſus erupit: fœliciorem ceteris iudicans, qui primus bona veſtra vidiſſet. Ergo cùm exſpectati munera Principum ſoleant, nunc accita venerunt. Prætereo illum diem, quo elephantos regios per conferta agmina equorum nobilium pompa præceſſit. Malo fremitum Martiæ vallis exponere, atque illam quadrigatū diſtributionem, in qua ſibi cùm fortunatior videretur, cui electionē mox

vrna tribuebat, par vel potior erat, quem ſors feciſſet extremum. Quoties ſequenti primus inuidit? Dubia eſt enim optio, cùm de ſimilibus iudicatur. Nec putetis iſtiuſmodi voluptatem plebi Martiæ paruam videri, cui delinimenta Circenſium finitimorum connubium præſtiterunt: cui ſummus honor viſus eſt, vt ouantes equorum dorſa geſtarent, vt triumphantes currus inueheret. quando victoria genti Romuleæ familiaris, clementiam veſtrã pro voto omnium muneretur. Feciſtis vt vrbs cana luxuriet, in primam reducta lætitiam, & ver illud quondam vigentis ætatis. Audeo iam ſperare potiora. Mittetis etiam regiam claſſem: quæ annonariis copiis augeat deuotæ plebis alimoniam. Hanc ergo in Tyberinis oſtiis, mixtus populo Senatus excipiet. Venerabuntur tanquam ſacras puppes, quæ fœlicia onera Ægyptiæ frugiș inuexerint. Non ſunt auara vota, quæ ſęculi excitauit humanitas. De exemplis venit iſta fiducia. Magna ſumendo, maiora præſumimus. Nũc legite Senatus ac populi fauſta ſuffragia: licèt ſciam plus ineſſe animis quàm vocibus explicari: & quædam libamina publici in vos amoris accipite. Si parua adhuc ſunt dicta, munerum veſtrorum imputate miraculis. Nam magnitudo ſtuporis, locum multis plauſibus non reliquit.

Liuius lib. I. Florus lib. I. Halicarnaß. lib. 2. & alij.

DD. Theod. & Archad. ſemper Augg: Symmachus V.C. Præf. vrb. 23.

LÆtarum rerum index eſſe malueram, DD. Imperatores: ſed ratio officij publici neceſſitatem mihi nuncij triſtis impoſuit. Prætextatus veſter, Prætextatus honorum antiquæ probitatis aſſertor, inuida morte ſubtractus eſt, vir omnium domi foriſque virtutum. In cuius locum, veſtræ quoque æternitati, quę optimos nouit eligere, nimis arduum eſt ſimilem ſubrogare. Itaque ſummum ſui in Rep. deſiderium, magnumque ciuibus gratis reliquit dolorem. Nam vbi primùm Romæ amarus de eo rumor increbuit, recuſauit popul⁹ ſolemnes theatri voluptates, memoriamq; eius illuſtrem multa acclamatione teſtatus, grauiter egit cum liuore fortunæ, quòd ſibi inclytorum Principum beneficium ſuſtuliſſet. Et ille quidem functus eſt lege naturæ: nos verò ſocios animi ſui veſtrique iudicij tanto dolore confudit, vt ocij remediũ poſtulemus. Sileo cetera, quæ me non ſinunt Præfecturam ferre patienter. Vel hæc vna conſortis amiſſio iuſta eſt ad impetrandã vacationem. Ament alij perpetuas poteſtates: mihi ſummus eſt

fructus

fructus fœlicitatis, vt coram veſtrum numen aduenerer, intueat benignitatis meę ſidera. Hoc vnum, pro omnibus quę præſtitiſtis exopto. Simplex petitio eſt, nec viam capeſſendi honoris affectat. Satis enim claruit, nihil aliud eſſe quod cupiam: cùm ſupplex refuderim magiſtratum.

D. Valentiniano ſemper Auguſto, Symmachus Præf. Vrb. 24.

LIcèt arbitrer meas litteras nunciis aut rumore præuentas: quid enim fama poteſt eſſe velocius, D. Imperator? ego tamē officij publici neceſſitate cogente, exceſſum viri illuſtris crudo adhuc dolore non ſileo. Vectium Prætextatum veteribus parem, virtutum omnium virum fata rapuerunt; ſummo patriæ gemitu, cui decus inſigne præſtabat. Cuius ego laudes & iuſta præconia, animi conſternatione prætereo. Neque enim locus eſt cuiuſquā teſtimonio: quum vitæ eius gloriam clementiæ veſtræ [a] iudicia teſtentur, mortem celebrem dolor omnium fecerit. [a] indicia.

DD. Theod. & Archad. ſemper Augg. Symmachus Præf. Vrb. 25.

LIcèt Vectius Prætextatus naturæ lege reſolutus ſit, viuit tamē in memoria & amore cunctorum: atque hoc vno punit inuidiam, quòd tantum ei mors ad gloriam contulit, vt huic quoque fortunæ liuor debeat inuidere, DD. Imperatores. Nam preter illum populi Romani inuſitatum dolorem, etiam Senatus impatiens diſpendij ſui, ſolatium petit de honore virtutis: veſtrumquę numen precatur, vt virum noſtra ætate mirabilem, ſtatuarum diuturnitas tradat oculis poſterorum. non quòd ille præmia terrena deſideret, qui gaudia corporis, etiam cùm hominem ageret, vt caduca calcauit; ſed quia ornamentis bonorum incitatur imitatio, & virtus æmula alitur exemplo honoris alieni. Hinc factū eſt, vt ruſticis adhuc ſeculis optimi quique ciuium manu & arte formatī in longam memoriam mitterentur. Atque vtinam nihil huic decori facilitas adulantium poſtea derogaſſet: quamuis paria non ſint quæ diſpari arte quæruntur. Dignum eſt igitur, vt qui in pectoribus omnium manet, ſit in ore plurimorum. Ille ſemper magiſtratibus ſuis celſior, in alios temperatus, in ſe ſeuerus; ſine contemptu facilis, ſine terrore reuerendus. Cui ſi quod commodum ſucceſſionis euenit, ad teſtatoris proximos mox reuertitur. Qui nullis proſperis fractus eſt, nullius riſit aduerſa, indecoræ

Statuas olim citra Principis venia fuiſſe erectas probat hic locus, & Plinius lib. 1. epiſt. 17. & l. vlt. Cod. de ſtat. & imag. IVR.

Ll

neſcius largitatis: ille quem ſemper inuitum ſecutus eſt honor, cuius æquitati conterminus quiſque limites ſuos credidit. Plura de eo vellem; plura de eo deberem: ſed clementiæ veſtræ teſtimonio cuncta ſeruanda ſunt. Illuſtrior enim laus eſt, de cæleſti profecta iudicio. Ergo vt probitatis patroni, bona temporum veſtrorum futuris quoque viſenda proponite. Certè ille eſt Prætextatus, quem iure Conſulem feceratis: vt faſti memores celebre nomen extenderent. Aliis vtiles, fatalia damna reparate. Abierit cum homine præmium: ſed iudicium poſt hominem perſeueret. Probate, caſibus aduerſus gloriam nihil licere. Nam quod meruit à ciuibus ſingulare eſt: illud multis commune quod perdidit.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus
præf. Vrb. 26.

SI diuinæ clementiæ tuæ merita cogitantur: nullæ opes, quas aut natura ſufficit aut fortuna circumfert, gratiam noſtri erga te amoris æquabũt. Sed, vt mea fert opinio, publicum de optimo Imperatore iudicium, non eſt muneribus æſtimandum. Senatus tamen promptus obſequi, omnes officiorum partes vltrò arripit, quibus indicatur affectio: & ſalutare numen tuum precatur, vt in hac oblatione, quæ nonnihil ſuperioribus addidit, intelligas hoc eſſe curatum, ne ſub te minus poſſe videamur. Nam Diuis parentibus tuis, ob decennium ſingulis minor ſumma decreta eſt. Etiam Diuus frater manſuetudinis veſtræ, cùm tertium luſtrum æui Imperialis exigeret, parciore munificentia honoratus aſſeritur. Nunc in amorem tuum ſtudia noſtra creuerunt. Nam mille ſexcentas auri libras, decennalibus Imperij tui faſtis deuotus ordo promiſit, vrbanis ponderibus conferendas: id eſt trutinæ largioris examine. Quòd ſi pares animo vires Senatus habuiſſet, ſcires in publico amore perennitatis tuæ eſſe diuitias. Sed maluit clementiæ tuæ ſolutionis fide placere, quàm magnitudine perfidæ ſponſionis. Dehinc ſub Imperatore primæuo ſanus muneris modus, votum eſt ſæpe faciendi. Abſit vt bono Principi, pluſquã poſſimus, ingeramus. Amantium quippe largitio, non vires deſerit offerentium. Ergo & nunc libens ſume ſacro ærario decreta ſubſidia: & futuris proceſſibus Imperij tui, obſequiorum ſimilium ſpem reſerua.

De auro oblatitio Cuiac. in l. 2. C. de Tractatib.

LI

D. Valent. ſemper Aug. Symmachus V. C. Præf. Vrb. 27.

HAbent hoc publicæ neceſſitates, vt impoſſibilia plerumque perſuadeant, D. Imperator. Sed cauto opus eſt: ne aſperitas negocij effectu irrito ſolas arceſſat offenſas: quæ nulli magis euitandæ ſunt quàm iuueni & Principi, cuius gratia cum ætate debet adoleſcere. Ergo numinis veſtri famam, [a] ſimulque arduum recogitans, corporatos negociatores, membra æternæ vrbis, ad equorum collationem, quam litteris imperaſtis, vocare dubitaui: ne librationem clementiæ veſtræ querela publica præueniret. Integra res eſt: adhuc ſalubritatem conſilij diligẽtioris expectat. Iuſtitiæ præſtate, quod remittitis inuidiæ. De exemplo veniunt quæ cauemus. Siquidem cæli particeps parens clementiæ veſtræ, cùm munus exiguum huic hominum generi mandare tentaſſet, motus libertate plebis abſtinuit. Et certè paucorum curam res illa poſcebat: magiſque officium deſiderabatur tractandæ pecuniæ publicæ, quàm diſpendium conferendæ. Conſuluit tamẽ gloriæ ſuæ, ne quid iuberet inuitis: & diligẽtiſſimus ac ſerius Imperator, ſperatum emolumentum tanquam popularis ignouit. Nec putet æternitas veſtra, ab inceptò temerè diſtitiſſe Deo proximũ virũ. Nouerat horum corporum miniſterio, tantæ vrbis onera ſuſtineri. Hic lanati pecoris inuector eſt: ille ad victum populi cogit armentum: hos ſuillæ carnis tenet functio: pars [b] vrendæ quæ ris ligna comportat. Sunt qui fabriles manus auguſtis operibus accõmodant: per alios fortuita arcentur incendia. Iam caupones & obſequia piſtoria, frugis & olei baiulos, multóſque id genus patriæ ſeruientes, enumerare faſtidium eſt. Ad ſummam, liquet priuilegium vetus, magno impendio conſtare Romanis: Iugi obſequio immunitatis nomen emeruit. Quòd ſi adijciantur inſolita, forſitan conſueta ceſſabunt. Quare paternum clementiæ tuæ ingerimus exemplum. Prætuli oraculum, quòd pius ſucceſſor iniſteris. Oro atq; obſecro, ne populũ, quẽ triũphantes ſæpe venerámini, ceteris vrbib⁹ cõferatis. Dabit fortuna melior, quicquid caſtrẽſis vſus efflagitat. Humanitatis merito, neceſſitas veſtra ſedabitur.

[a] *Extat reſcriptum Valẽt. ad Symmachũ noſtrũ in l. 1. C. Theod. de priu. corp. vrb. Ro. qua priuilegia conceſſa corporatis æternæ vrbis confirmantur. Vide tit. 18. Cod. Theo. lib. 11. qui à præb. tyr. & equor. exim.*

[b] *Horum mẽtio eſt in l. 3. C. Theo. de colla. donat. & l. 1. eod. C. Theod. manc. Therm. vrb. lib. 14. tit. v. & epiſt. 53. ſ. hoc lib. 10.*

DDD. Valent. Theod. & Archad. ſemper Auggg. Symmac. V. C. Præf. Vrb. 28.

AB exortu penè vrbis Martiæ ſtrenarũ vſus adoleuit, auctoritate Tatij regis, qui verbenas fœlicis arboris ex luco Strenię

anni noui auſpices primus accepit, DD. Imperatores. Nomen indicio eſt viris ſtrenuis hæc conuenire ob virtutem: atque ideo vobis huiuſmodi inſigne deberi, quorum diuinus animus magis teſtimonium vigilantiæ quàm omen expectat. Sumite igitur defenſores publicæ ſalutis ſoléniter auro ducta munuſcula: non quia diuitis metalli honore gaudetis, ſed vt noſtra deuotio fœlicis ſęculi teſtetur opulentiã. Bonis Principib⁹ bene parta libam⁹. Suſcipite à Iudicibus aperta obſequia: qui precia occulta dãnatis. Meritò vobis ſolemnes pateras cum quinis ſolidis, vt numinibus integritatis offerimus: quibus nec veſter pudor nec noſter cenſus oneratur. Maneat æuum talis circa vos vſus officij: & honorem clementiæ veſtræ interminus annorũ recurſus inſtauret. Libenter ſtrenis ſolemnibus Præfectura fungetur, ſtrenuis deferenda.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 29.

Iunge l. 42. Cod. Theod. de appellatio. & principiũ epiſt. 41 & 46. ī. hoc lib. 10.

PRofiteor vltrò, quòd ſcio clemẽtiam veſtram poſſe reſcribere. Verecundè potiùs quàm iure ſuſcepi prouocationem, non extante ſententia: ne exiſtimarer offenſus liberæ quidem ſed immaturæ vocis obiectu, D. Imperator. Nam cùm inter proximos Emphaſij C.V. itémque hæredes ſcriptos, qui olim beneficio prætoris corporibus defruuntur, ſuper teſtamenti iure actio verterętur, & ſententiam de poſſeſſione impatienter exigerent, quibus ab inteſtato bonorum poſſeſſio minimè competebat, quòd hæredibus ſcriptis ſecundum tabulas docebatur indulta: Priſcianus & Polemonianus ad denunciationem dilato negocio prouocarunt. Et cùm ab his ratio quæreretur, alios vocis ſuæ incentores fuiſſe teſtati ſunt, vt geſta litteris cõnexa monſtrabunt. Nec officium partibus defuit ad mulctam præiudicij ſuggerendam. Sed Iudicem veſtri ſęculi decuit vim conſtitutionis ſacro oraculo reſeruare, quum allegauerint petitores, quòd ſe ad incautam prouocationem alienus hortatus impulerit.

Multa praiudicialis meminit ep. 51. ī. hoc lib. & l. 50 & 65. C. Theod. de appellat.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 30.

FIdem meam conuenit amor ſæculi veſtri, & cura Reipub. ne corrigenda diſſimulem, D. Imperator. Cùm ad Præfecturam vrbanam ciuilium rerum ſumma pertineat, minoribus officiis

certa quædam membra creduntur. Quibus regendis induſtrios & priuatos oportebat adhiberi: vt ſuum quiſque munus inculpata facilitate promoueat. Tales nunc de iudicio numinis veſtri publicus vſus expectat. Sed nolo culpare præſentes: cùm ſatis ſit ſollicitudini meæ, ſi melioribus viris officia intramurana mandetis. Meis quippe humeris rerum omnium pondera ſuſtinentur: cedentibus reliquis quos clementiæ veſtræ multiplex occupatio probare non potuit. Habet temporum fœlicitas digniores. Bonorum virorum vena fœcunda eſt. Meliùs vrbi noſtræ in poſterum conſuletis,[a] ſi legatis inuitos. [a] *leg.* ſi eligatis.

D. *Theodoſio ſemper Auguſto Symmachus præf. vrb.* 31.

FOelicitas quidē veſtra, æternę vrbi ſolemnis alimoniæ copiā pollicetur, D. Imperator. Sed re magis quàm ſpe tuti eſſe debemus: quod facile factu eſt, ſi hanc quoque partem clementiæ veſtræ cura reſpexerit. Nam æſtate prouecta, cùm ex Africanis partibus minimum deuehatur: non inani tangimur metu, ne res annonaria in graues cogatur anguſtias. Et ideo oro quæſóque perennitatis veſtræ ſalubre præſidium, vt iudices Africanos, & Notarium, cui æternitas veſtra mandauit frumentarios commeatus, ſeueriora ſcripta deſtimulent: miſſis in hoc negocium ſtrenuis, qui onera conſueta, dum tractabilis nauigatio eſt, victui vrbis exhibeant. Hoc ſæculo veſtro, hoc virtutibus diuinis dignum eſt: vt ſecuritatem Romani populi inter præcipua & prima curetis. Aderunt optatis curſibus plena nauigia, & Romanos portus frequens atque onuſta claſſis intrabit: ſi aſpirauerint numinis veſtri ſecunda ſuffragia.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus præf. vrb.* 32.

DIfficilis eſt exitus veterum iurgiorum. Res enim multis agitata iudiciis, & actionum varietate, & cognoſcentium motu, & perſonarum mutationibus implicatur, D. Imperator. Vt mihi nunc venit vſus, cum inter Gaudentium curatorem Martianæ clariſſimæ, itémque Liberiū procuratorem amitæ eius, eodem nomine dum viueret nuncupatæ, annoſum luctamen audirem. Nam in ipſo limine quæſtionis, cū procuratio, quam C. F. ſenior Martiana mandauerat, inualidà diceretur, quòd antè cuidam

Principi eſſet iniuncta: vbi refuſas in dominam comperimus actiones, atque actis Prætoriis in Liberium denuò iura tranſlata, obiecta caſſæ præſcriptionis amouimus. Tunc defenſio partis aduerſæ negauit ſtare perſonam, cuius procurationem ſuperioris geſta iudicij non tenerent. Contrà neque exactam prius mādati recitationem, & inter partes tributum procuratori beneficiū reparationis aiebant. Huic parti longiùs quàm oportuit, immorata contentio eſt. Sed quia prior cognitor vt iuſto defenſori reſtituerat temporum curſum, qui per actores non poterat impetrari, & procuratio legebatur prætoris allegata iudicio: hæc quo-
L. 1. C. Theod. de cognitorib. que præſcriptio conquieuit. Succeſſit aliud, vt obitu Martianæ C. F. mandatum diceretur extinctum. Sed contrà venerabilis Iuliani ſanctio ſtare procuratorum iuſſit officia, cauſarum dominis viuentibus inchoata. Ergo cùm & reparationem ſuperſtitæ Martianæ, & conuentionem partis aduerſę ſuper æſtimandis bonis Liberius impetraſſet: pronunciauimus non periſſe mandatū. Dehinc petitore properante, vt ex conſtitutione numinis veſtri, ſeruandi debiti cauſa in materna corpora mitteretur, quod aduerſaria æſtimationem bonorum conuenta facere noluiſſet: reſponſum eſt, de ſupplicationis fide priùs eſſe tractandum, id quod probabile videbatur. Admiſi. Facto igitur aditu de precibus diſputandi, defenſor C. F. Martianæ, notare ſibi viſus eſt mendaciū ſupplicantis: quòd cùm Priſcæ matris ſuę teſtamento eius ex Placidiano genitas hæreditatem cœpiſſe dixiſſet, non omnes neptes ab ea ſcriptas probaret hæredes. Reſponſum eſt, de his tantùm, quas auia hæredes inſtituit, ſupplicatū: nec vnquam factam omnium mentionem, ſed earum quibus fuerat delata ſucceſſio. His deiectum curatoris patrocinium cœpit exigere: vt petitor ediceret, ex quibus nominibus propoſitæ deſcenderent actiones. Tunc
Cujac. obſerv. lib. 5. cap. 14. ediuerſo veniens ex Placidiani C. V. nomine, qui pater adultæ fuit, immodicarum donationum cauſa manaſſe reſpondit. Supplementum verò vnciarum ab hærede Placidiæ, cui ſoror Martiana ſucceſſit, aſſeruit poſtulari. Hæc aduerſarius catenus refellebat, vt diceret C. F. iuniorem Martianam, non Placidiani tantùm Patris ſucceſſionem, ſed etiam Placidiæ germanæ ſuæ pro certis vnciis conſecutam: nec tamen vllam Placidiæ mentionem precum ſerie contineri. Sed cùm allegatio diuerſæ partis aſtrueret, rem ſe obnoxiam perſequi deſignatis titulis actionum, & id

quod in litem venit pro certa parte Martianam C.F. poſſidere, ciúſque nomen cum deſignatione cauſarum doceret precibus comprehenſum, ſtetit iudicij mei deliberatio: hoc aſſerente, perſonam Placidię ſupplicationi adijci debuiſſe: illo negante, poſt deſignationem rei, & eius perſonę quæ hodie corporum poſſeſſione defruitur, quicquam eſſe quęrendum. Acceſſit cunctationi meę cauſa vehementior, quod iubente lege vt intra quatuor mẽſes ad ęſtimationem bonorum poſſeſſor à petitore teneatur: nũc vt geſta monſtrabunt, anguſtum nimis ex conuentione tempus fuiſſe, viſum eſt peregrinis corporibus ęſtimandis. Et ideo motus ambiguis, oraculo numinis veſtri diſtinguẽda cuncta ſeruaui. Nam in rebus dubiis vna eſt ſalubritatis via, vt diuina quæque vel Deo proxima conſulantur. Coniunctæ paginæ, allegationes partium & ſupplementa ſumpſerũt. Quæ cum maieſtatis veſtræ iuſtitia perpenderit, precor vt metas curioſæ liti abſoluta definitione ponatis. *L. 1. C. Theod. de temp. cur. & repar.*

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 33.

QVum clementia veſtra meminiſſet, faciendæ carrucæ impẽdium de ſacro ærario eſſe decretum: cenſuit vt eius argentum publicis conditis redderetur, D. Imperator. Sed examinis repperit fides, ex aliis titulis aſſumptam ſpeciem, quam vehiculi ornatus accepit. Cuius rei, etiam vir illuſtris prædeceſſor meus, [a] Anthenius Baſſus, perennitati veſtræ rationem dicitur intimaſſe. Et ideò ſęculi veſtri æquitas imperauit, vt examinata & comperta ſuggererem. Cùm fiſcus in tempore quod præbendum fuerat non haberet: ex arca Quæſtoria, itémque ex formarum conditis, prætcrea ex Argẽtariorum parſimonia, argentum iuſſo operi miniſtratum eſt. Cuius ſolutio, ſi carrucę vſus maneret, de theſauris Imperialibus iure peteretur. Sed nunc carpenti nouitate ſummota, ſuum quiſque depoſcit: nec difficilè credimus impetrari, quod à legum parentibus poſtulatur. Queſo vt digna temporibus reſponſa reddatis: quo vir Conſularis & illuſtris ſacrarum largitionum Comes, refundẽdum eſſe cognoſcat publicis titulis priuatiſque perſonis, quod ſine lacuna Imperialis ęrarij deprompſit aliena collatio.

a leg. Anthemius. vt ꝟ. epiſt. 19.

DD. Theodoſio & Archadio ſemper Augg. Symmachus. Præf. vrb. 34.

SCio quidem naturæ humanæ vitio, probitatem ſubiacere liuori. Sed miror eo progreſſas inſidias æmulorum, vt crudo mēdacio inſontis fama peteretur, DD. Imperatores. Quid enim non audeant, quídve intentatum relinquant; qui in arce terrarū, Chriſtianæ legis iniuriis vindicata phana finxerunt? Fleuit credo ſcenæ iſtius fabricator, cùm de Eccleſiæ penetralibus raptos ad tormenta ſimularet: cùm de longinquis ac de finitimis vrbibus duci Antiſtites in vincula deſcriberet. Neque enim ſerenum clementiæ veſtræ animum ſine his argutiis compuliſſet ſacro edicto populum conuenire: vt aſperioribus quàm pietati veſtræ mos eſt litteris, [a] Præfectum, quem ſine ambitu legiſtis, argueret. Reddat nunc quiſquis ille eſt cauſas fallaciæ ſuæ: qui ſub occaſione iuſtæ inquiſitionis, qua me cultum ſpoliatorum mœnium inueſtigare iuſſiſtis, tragicas quæſtiones de miniſtris Catholicæ iactat agitatas. Reſpondeat litteris Epiſcopi Damaſi: quibus aſſectatores eiuſdem relligionis negauit vllam contumeliam pertuliſſe. Non magnopere officij mei prætendo reſponſa: à quo ideo quæſita eſt rerum fides, ne factum aliquod recordationem quæſitoris effugeret. Credatur eius legis Antiſtiti, quæ læſa ſimulatur. Credatur Præfecto, qui perennitatis veſtræ ammonitus edicto, miratur in procinctu creditum, quod Roma neſcit admiſſum. Omitto iniuriam Præfecturæ & cōſcientiæ meæ: quando eo proceſſit inſimulatio, vt vos quoque ipſos auctores honoris mei quadam reprehenſione perſtringat. Nam qui ſummi loci Iudices decolorant, ſacri teſtimonij facilitatem videntur inceſſere. Iam dudum me Diuus genitor numinis tui præcipuo honore dignatus eſt: ille meritorum arbiter ſingularis, cuius imperium cum moribus recepiſti. Paternum ſequere, tuum tuere iudicium. Qui Præfecturam ſine ambitu meruimus, ſine offenſione ponamus. Suggeſtionibus viri excellentis, & de Rep. bene meriti Prætextati Præfecti Prætorio, abuſus exiſtimor. Quid ſi ex illo decreto quod probabiliter impetrauit, necdum à me quæſtio vlla tentata eſt? Præuidi enim quid poſſent æmuli ſuſpicari: atque ideo obſignato officio Præfecturæ ſacra iuſſa commiſeram. Nec me huiuſmodi coniectura decepit. Siquidē ſeuerè executus inſimulor, quod non

[a] *Præfectura fuerat delata Symmacho nō ambienti. Vide ep. 15. ſ. hoc li.*

quod non conuincor aggreſſus. Hæc omnia fide actorum comprehenſa ſubieci: vnum illud adiiciens, vt me perennitas veſtra neceſſitate inquiſitionis eius abſoluat, cuius autoritatem referri ad ſcrinia Palatina iuſſiſtis. Nam ſi tantum de me improbis licuit extante præcepto: quid retractatis litteris nō licebit? Sanè laudabili viro Epiſcopo denegante vllum è ſuis aut carcere aut vinculis attineri, & officio eadem ſuggerente: ignoro quos potiſſimùm præceperitis abſolui. Tenent quidem leges variorum criminum reos: ſed vt comperi, à myſterio Chriſtianæ legis alienos. Quid igitur æternitas veſtra decernat, deuot' opperior: & quæſo vt fallaciam retundatis, quæ diuini pectoris tui ſollicitauit quietem, quæ ad edicti neceſſitatem venerandi Principis curam coëgit. Me muniuit inuidia: apud aures enim ſacras locum poſtea non habebit, conuicta mendacij. Si quid tamen denuo obtrectantiũ murmur ingeſſerit, opto iudicium. Experientur me ſub Imperiali diſceptatione conſtantem, qui nocentem probare non poſſunt.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 35.

DE tribunatu vinarij fori nuper orta contentio, cauſam mihi attulit legum arbitros conſulendi, D. Imperator. Prouectus inſtabat vt delatum ſibi ſortiretur officium: vetus eligit quæ tempora iſtiuſmodi actibus certa decreuit. Recuſabat honore decedere. Secutus morem longa ætate ſeruatum, eum, qui recens maieſtatis veſtræ beneficium præferebat, admiſi. Sed vt deinceps ſi fortè vſus tulerit, cunctationem iudicij abſoluta forma ſummoueat: ſtatui ſacrum numinis veſtri oraculum ſciſcitari: vtrùm fas ſit nouos Tribunos ſeruata lege differri, an magis veteres oporteat prælata deuotione remouere.

D. *Theodoſio ſemper Aug.* Symmachus *Præf. Vrb.* 36.

VNum leuamen iniuriis meis tribuit euentus, D. Imperator: vt Romam publicæ vtilitatis gratia V.C. & illuſtris, clementiæque veſtræ ſemper dicatus, Comes Heſperius mitteretur. Nã ſi eum teſtem contumeliarum, quas pertuli, non haberem: quis dubitaret eam Præfecturam, quæ Romæ ſuperior eſt ceteris, turbidum aliquid pro poteſtate feciſſe? Is, quoniam ſemper amicus

eſt veritati, & famam bonorum temporum colit: ſi dederit æternitas veſtra copiam, contemptum legum & ſęculi non ſilebit. Ego vt potero de multis pauca narrabo: repetitis paulùlum cauſis, quæ mihi vt arbitror has inſidias excitarunt. Cùm pro diligentia quæ debet omnibus ineſſe iudicibus, argenti publici ratio quæreretur, quod cenſualibus æditores munerum contulerunt, inter ceteras fraudes repertum eſt quoſdam functionibus abſolutos, ſumptum debitum Reip. nõ dediſſe. Et vt fallacia iſta tegeretur, ex alieno argento tantumdem cenſualibus falſis titulis imputatis, quantum duo conferre debuerant, contulerunt. Hoc cũ clariſſimi viri ſponte ſine adiectione diſpendij reddidiſſent: Senatum priſco more conſului, quid in communi cauſa Patrum innueret auctoritas. Dictis aliquot ſententiis, factum meum reuerendi ordinis probauit aſſenſio. Interiectis diebus, quum Romã V.C. & laudabilis vicarius commeaſſet, V.C. cauſidicus fori mei Celſus, ſocius eius qui debitum refudit impendium, tuitionem contra me & annonæ Præfectum clariſſimum virum de ſede vicaria poſtulauit. Cùm ergo aditus in cauſa publica, ciuilem conuentionem matri eius ſuper nepotis ſui munere detuliſſem, reſponſione ſeruata, qua retinere aſſeritur patrimonium cãdidata, Præfectus verò annonæ V.C. piſtorem publicæ annonæ verbo tantùm repoſcere diceretur, quem manibus officialium Celſus eruerat: Hic iam veſtræ perennitatis eſt æſtimare contumeliam præfecturæ: cuius cauſidicus nihil paſſus, auxilium ſecundis iudiciis impetrauit. Per hęc quoniã patientiã meã minimè perculerunt, adiectum eſt quod diſſimulare non poſſem. Nam cùm examinandos actus Baſſi Præfecti vrbis poteſtas vicaria ad ſecretariũ commune prodidiſſet, neſcio quis vt aiunt libello dato, de officij mei colludio vel iniquitate conqueſtus eſt, quòd Memorius litigator, iuſſus à Baſſo ſoluendi debiti gratia ad iudicia Africana deduci, cùm & à viro illuſtri deceſſore meo Auentio, & à me per libellos ne eo pergeret poſtulaſſet, naui eſſet abductus. Hunc illico V.C. & laudabilis vicarius, vt ſubſcriptio libelli indicat, adeſſe præcepit. Vbi pariter ambo conſedimus, & ſeriem querelarũ recitatione cognoui: ammonui, vt is qui adierat vicariam ſedem probaturus intraret. Tunc officium eius hominem deeſſe reſpõdit: qui præcepto iudicis ſui in examen acciri debuerat. Quid hîc æſtimandum ſit, relinquo ſapientibus. Semel atque iterum

Tuitionis formula extat apud Caſſiod. lib. 7. var. ep. 39.

præconis vocibus aduocatur: nec tamen inclamatus accurrit. Tunc nullo aſſiſtente, apparitio vrbana cœpit vrgere, quod ad Africam tranſuectus eſſet, qui Baſſum clariſſimum virum criminis poſſet arguere. Suggeſtum eſt, paritum eſſe ſententiæ. Quã cùm Baſſus poſt luctamen partium protuliſſet, prouocatio non remouit. Ad hæc Fulgẽtius V. C. Tribunus & Notarius, conuentos adiutores vrbanæ ſedis aſſeruit, ne Memorius nauigaret. A quo cùm requireretur, an ad eum aliquid ſuper hiſce criminibus Memorius detuliſſet: ait querelas eius libellorum paginis contineri: credo ſimulare non auſus, quòd accuſator eſſe voluiſſet. Adhæc vrbani adiutor officij, per Felicem ſibi à clariſſimo viro Fulgentio mandatum eſſe reſpondit, vt ſecundum ſententiam Memorius ad Africam duceretur. Mox Felicem cenſuimus attinendum: quo poſſet liquere, an huius mandati internuncius extitiſſet. Interea vir laudabilis vicarius, cùm adeſſent alij quos in Baſſi cauſis poſſemus audire, ob eius abſentiam, quam facile eſt ex Africanis reuocare Prouinciis, iudicium omne deſeruit: neſcio an ex iuſſu eorum qui, vt audirentur, affluxerant. Promiſſa relatione diſcedo. Felix, qui in communi iuſſus eſt attineri, officij executione corripitur. Is cùm à me in ſequenti tuitionis auxilium popoſciſſet, & vnius nomenclatoris, vt in vrbe pacata amminiculo fretus incederet poſt vehiculum Præfecturæ, iuſſu Fulgentij, per Gaudentium & Victorem agentes in rebus, & Bonifacium Palatinum, qui hactenus in officio vrbano militauit, violenter arreptus, deducitur in eius ædes, de cuius mandatis fuerat audiẽdus. Quod cùm ſibi Fulgentius V. C. auctor cõtumeliç meæ inuidioſum putaret, ad circi ſecretarium conuolauit: facti illiciti volens pręſtare rationem, quòd ſibi metum fuiſſe dicebat, ne officij ſubornaretur impulſu. Expectatis credo Auguſtiſſimi Principes, vt Præfectus & iudicij veſtri ſecurus & innocẽtiæ ſuę, aliquid ſeuerum cenſuſſe dicatur. Fateor, neque pœnitet, animum temperaui, dum certam de vobis ſpero vindictam. Statui, vt Felix vadibus, qui Fulgentio non eſſent cogniti, traderetur. Quid mitius decerni, quid remiſſius potuit? Tunc ille tanquam ceſſurus egreditur. Sed cùm ad eius ędes ſemel atque iterum Princeps officij commeaſſet, & obſtinatam hominis contumaciam non poſſet inflectere, inanem ſyngrapham reportauit: qua redhibitionem Felicis in alterum diem ſponſione diſtulerat.

Vehiculi Præfecturæ meminit epiſt. 17. 3. hoc lib.

Tenet domi teſtem,quem de ſe nouerat audiendum. Etiam huius iniuriæ aſſumo patientiam.Culpate vti vultis, vt dignum eſt. Sciui meliorem eſſe Iudicum cauſam, quæ rerum dominis reſeruatur.Expectamus,vt altero die inſtructus officio redderetur. At ille craſtina luce,vt geſta monſtrabunt, aduerſum cautionis fidem vicariæ poteſtati tradendus abducitur. Hoc vbi Princeps officij comperit,paucis comitatus excurrit:retinet Felicem celebri vrbis loco,nec tamen eripit.Itaque Fulgentius,qui ſe ſimulat verberatum,manu validiore legibus repugnauit. Interea Felix à militibus vicariæ poteſtatis abducitur. Et cùm Princeps officij mei ſub conſpectu Romanæ plebis auditur, video quid de hoc facto perennitas veſtra debuit iudicare.Ego ordinem tenebo geſtorum. Fatetur ſub alterius cognitoris examine litigator, nihil ſibi ab apparitoribus meis aduerſum Fulgentium eſſe mandatũ. Hic iuſſu eius ad commune ſecretarium,quo faciendæ oblationis gratia ſummates quoſque conduxeram, à Principibus officij vtriuſque perducitur.Nihil enim repertum fuerat, quod Præfecturam poſſet inuoluere.Tunc Fugentius facti ſui conſcientia percitus,cæſum ſe eſſe conqueritur.Sed mox eiuſdem Felicis ac deuotiſſimi viri Principis reſponſione,pars iſta purgata eſt.Et tamẽ querelæ eius audientiam non negaui,clariſſimo & ſpectabili viro vicario in ſocietatem cognitionis aſcito, ſi vellet ſtruere nomina teſtium plebeiorum danda.Promiſit. Credo vt per moram meus dolor vel per ſatisfactionem miteſceret, vel ipſe rurſus alias moliretur inſidias.Qui,vt res indicat,conſcientia hominis ſubornati,à quo vicariæ poteſtati libellus oblatus eſt, domeſticè confectus apud eundem factus:auſus eſt poſtulare, ne apparitores eius, quos ob diſceſſum litigatoris cuſtodia carceris iuſſerat attineri, iniuriæ ſubiacerent.Poſt hæc vſurpato rurſum publico neglectóque iudicio,audacis facti conſcius euolauit, vt præfecturæ inſtas querimonias præueniret:ignarus,vt res eſt, parentes generis humani magis iuſtitia quàm inuidia commoueri. Hæc ita eſſe geſta,nec vlla arte fingi,inſtructio ſubiecta teſtabitur. In qua reperiet æternitas veſtra,Pręfecturam,quam in me puro iudicio contuliſtis, nihil ſaltem ad vindictam publicæ diſciplinę eſſe molitam: cùm omnibus iniuriis cęderetur, quas boni quique pręſumunt pro vigore ſęculi vindicandas. Nec enim ſpes & fiducia ius creditę mihi poteſtatis infregit: vt auctores honoris mei,

& publicę dignitatis,& iudicij ſui contumeliam iuſta ſeueritate defendant.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. vrb.* 37.

PEr vices menſium ſingulorum ad perennitatis veſtræ ſcripta, Senatus & populi acta mittuntur: quæ poterunt indicare, quid vir præcelſæ illuſtriſque memoriæ Prætextatus, vel ad ampliſſimum ordinem,vel ad deuotum vobis populum, pro ſæculi veſtri commendatione pertulerit, D. Imperator. Sed quia ſpeciatim ſacris litteris imperaſtis,vt ſi qua ab eo Romæ in his cœtibus geſta ſunt,in rebus excerpta tradantur: miſi omnia iuſſis cæleſtibus obſecutus, quæ ipſo præſente venerabilium rationum veſtrarum ſanctio definiuit,& Patrum probauit auctoritas. Præterea quæ apud plebem locutus eſt:vt cunctos in amorem bonorum temporum prouocaret,adiunxi. Iudicium verò ciuiũ,quod ſupremo die de virtute atque innocentia eius habuerunt,ſpeciatim viro Conſulari & illuſtri officiorum magiſtro,ſubditis geſtorum exemplaribus intimaui: licèt vehiculo publico cum ceteris,quæ ex more mittuntur,omnia neceſſe ſit rurſus ad ſerenitatis veſtræ notitiam peruenire.

Iunge epi. 23. & ep. 25. 5. hoc lib.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf.* Vrb. 38.

IAm quidem reſcriptum numinis veſtri Cyriades V.C. comes & mechanicæ profeſſor exhibuit, D.Imperator. Quo ſtatuerat æternitas veſtra, vt ſe ipſe à quorundam criminatione purgaret,ac rurſus vrgeret obiectis,ſi quos fraudis inceſſeret. Qui cùm Auxentium virum Conſularem ſub examine deceſſoris mei cœpiſſet arguere: poſtquàm ad cognitionem meam ventum eſt, ſuperba atque pontis immodico ſumptu Auxentij viri Conſularis voce perſtrictus eſt. Quem Cyriades vir parilis dignitatis,mutua accuſatione credidit remordendum. Viſum eſt igitur accommodum,vt vtriuſque ædificationem fida æſtimaret inſpectio. Dedi negocium ſollicitis quantum arbitror viris, & Cyriade pęnè recuſante decreui fabrilis artis magiſtros,quos aduerſario ęquiores putabat,æſtimationi operis admouendos: manente nihilominus penes Auxentium cura atque amminiſtratione cœptorum,

quod necdum æternitas veſtra officium eius ſucceſſione mutaſſet. Itaque exactis aliquot diebus,& adhuc pendente operis examine,apparitio,quæ Auxentio fuerat deputata, per Notariũ mihi fecit indicium,deſeruiſſe clariſſimum virum ſuſceptorum curam locorum:& ſub ipſo ęſtatis exordio,quo poſſit profectus ędificationis aſſurgere,nihilum promoueri.Sed quia Senatoris fuga non videbatur temere credenda:vt impenſiùs requireretur ammonui. Diu nuſquam gentium deprehenſus: vbi comitatum ſacrum numinis veſtri adire iuſſus eſt, euolauit. Interea Cyriades V.C. comes & mechanicus, cùm ſtatutum meum diſceſſu eius videret eluſum:multum anxius ne quid in abſentem aduerſarius moliatur, vt æternitati veſtræ & relationem V.C. prædeceſſoris mei & nunc acta ſuggererem, depopoſcit. Cui audientiam negare non potui: eadem via præcepto numinis veſtri cupiens edoceri,quid facto vſus ſit de æſtimatione ſumptuũ,quos vtriuſq; inſumpſit expenſio. Siquidem meum ſpectat officium, iacturam pecuniæ publicæ non tacere.Fidem litteris ſociata geſta præſtabunt. Quæ vbi ad ſacras aures perennitatis veſtræ recitata peruenerint: oro atque obſecro, vt incertum animi mei reſponſis Imperialibus inſtruatur.

DD. Theod. & Archad. ſemper Augg. Symmachus V.C. Præf. vrb. 39.

Confer epi. 38. 5. hoc lib. & ep. 71. lib. 4. & epiſt. 74. lib. 5. quæ ſunt eiuſdẽ argumenti.

CErtum eſt quidem clementiam veſtram fidei amore & ſtudio veritatis, in examen aſſiduum ſæpe explorata reuocare, DD. Imperatores. Sed cùm Auxentius V.C. & Cyriades comes ac mechanicus parilis dignitatis,quadam inter ſe concertatione diſſentiunt: nonnihil ſuperioribus iudicibus derogatur. Iam dudum enim V.C. & illuſtris Anthemius Baſſus pontis noui opere perſpecto, ſub actorum confectione ſignauit culpam vel negligentiam ſingulorum. Denuò ſucceſſor eius,eadem loca rimatus aſſeritur. Dehinc cùm apud me, ex reſcripto quòd Cyriades V.C. impetrauit,recidiua cognitione refugerent: atque ipſis cõſiſtentibus cenſuiſſem,vt vtriuſque tam ſumptus quàm ædificationem inueſtigatio diſcuſſionis inquireret: V.C. Auxentius repentè deſeruit iudicatum. De cuius facto miſſurus relationem, quam ſollicitudo intermiſſi operis exigebat, alia numinis veſtri

decreta rurſus accepi,quibus examini meo V.C. & laudabilem vicarium copulaſtis:vt vtroque reſidente, accuſata pontis vitia quærerentur. Nec obſequium defuit imperatis. Itaq; adhibito V.C.Tribuno,& Notario Aphrodiſio,cui poſt Auxentium V.C. nouarum molitionum cura legata eſt, habita eſt de his quæſtio, qui pontis eiuſdem fundamenta poſuerunt. Atque ita conſtitit, partem breuem atque diſcretam ſub exordio hyemis inchoatã, vi fluminis corruiſſe:cuius impendium viginti ſolidorum diffinitione artifices æſtimarunt. Sed caſus partis iſtius,vtpotè adhuc à cetero corpore ſegregatæ, nihil videtur iniuriæ locis diſtantibus attuliſſe: quàm facili ædificatione reparandam Cyriades vir Cõſularis pollicetur. Poſt hæc alterius loci exploratio hiulcam cõpagem lapidum deprehendit: quam Cyriades comes & mechanicus conſilio ſuo & ratione artis ita poſitam ſuggerebat, vt infuſo poſtea impenſarum liquore hiantia ſtringerentur. Quod cùm facere debuiſſet, ſuccedentis induſtriam affectaſſe potiùs dicitur: vt in auctoris inuidiam fœni & ſparti manipulis clauderentur. Quod cùm aſtrueret recitatione geſtorum,factum quidem vrinandi artifex non negauit: ſed ex vſu operis non in dehoneſtamentum Cyriadis Conſularis viri aſſerebat remediũ huiuſmodi eſſe prouiſum. Tunc reſponſionum varietate commoti, coërcuimus à præteritis diſcrepantem. At ille Cyriadem ſibi ait dudum fuiſſe terrori. Quod credibile non videtur: cùm illius temporis cognitor, ad fidem veri diſtricta quæſtione peruenerit. Interea Cyriades V.C. facilem proſpectum eſſe ſuggeſſit operis ſarciendi: cuius ſtabilitatem ſicut aſſertum eſt, hyems tertia non reſoluit. Ipſe autem de ædificationibus Auxentij viri Conſularis, & de vſurpatione immodici auri nonnulla indiciis intimauit. Quæ ideo geſtorum paginis applicari placuit: vt æternitas veſtra cunctis per ordinem patienter auditis, prouidere dignetur,quemadmodum concertantium æmulatione compreſſa, & integritati ſumptuum,& firmitati operis conſulatur.

D. *Theodoſio ſemper Aug.Symmachus V.C.Præf. Vrb.* 40.

VT veſtri numinis veneror ſanctiones, ita obſeruantiã iugẽ ſaluberrimis Diui genitoris veſtri impendo decretis.Quid enim ille cõſtituit,quod poſſit publica cura deſerere?Is inter alia quæ in bonũ publicũ contulit,etiam medẽdi profeſſoribus dedit

Vide l. ſi quis. C. de prof. & medic.

ordinem ſucceſſionis, ſi locum quempiam decedentis fortuna nudaſſet. Qua lege cautum eſt, vt primi artis eiuſdem de nouorũ ſcientia iudicarent. Hanc formam, quantum aſſerunt, ætas ſecuta ſeruauit, D. Imperator. Nunc Ioannes vir Patritius non eum gradum, quem ſubrogandis dederunt diualia ſcripta, ſed ſummo proximum conatur adipiſci, fultus Palatinæ militiæ priuilegio, & impetratione ſpecialis oraculi, quo Epicteti archiatri locum tũc adhuc ſuperſtitis impetrauit. Sed quia lege & more cogentibus, ſummates eiuſdem profeſſionis par fuit in examen acciri, adhibitum eſt iudicio collegium omne medicorum. Quorum potiſſimi inter venerationem legis, & noui beneficij reuerentiam iudicare non auſi, eum locum Ioanni V.P. ſtatuetant deferre nudum, quem tenere potuiſſet, ſi eo tempore, quo aulæ obſequiis deputatus eſt, archiatrorum numero fuiſſet adiunctus. Et cùm ab eo Palatini honoris officia proſeerentur, vt codicillorum prærogatiua monſtraret, quis illi inter archiatros ordo competeret, aſſeruit domeſtica expilatione etiam documenta ſibi dignitatis ablata. At verò pars magna medicorum munita lege diuali, eorũ exempla deprompſit, qui è Palatio in hunc gradum ſeruato ordine tranſierunt. Quare motus ambiguis, & neque Diui genitoris veſtri auſus rumpere ſanctionem, neque obuiam ſpecialibus venire præceptis, diuino arbitrio numinis veſtri, ſubditis allegationibus partium, ſummam negocij reſeruaui: opperiens quid deliberatio Auguſta conſtituat, cui ſoli fas eſt de ſcitis diualibus iudicare.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 41.

Cujac. ob. li. 2. c. 36. & l. 1. Cod ſi de mom. poſ ſuc. appell. & l. 22. Cod. Theodoſ. quor. app. non recip. a Sic l. 42. C. The. de appellatio. ait ſe probare verecundiam iudicantis, ſi ſuperfluã quoque reci-

QVid poſſint iuſti Principes culpare, præſentio. In cauſis etenim quibus momenti reformatio poſtulatur, appellationes recipi non oportet. Sed conſulto nunc obiectum prouocationis admiſi: a vt in examen clementiæ veſtræ & inuaſionis indignitas, & modus iudicij perueniret, D. Imperator. Nam Scirtius V.P. ereptam ſibi partem Cæſarianæ maſſæ crebra aditione conqueſtus, cùm integrationem ſtatus quem amiſerat impetraſſet, hæredes Theſei, qui reluctarētur, obiecti ſunt. Tum verò Artemiſius, Olibrij clariſſimi atque illuſtris viri actor, executori vt ipſe profeſſus eſt obuiauit. Et cùm ad pernoſcendũ poſſeſſionis ſtatum

ſtatum loci habitatores adeſſe iuſſiſſem, in iniuriam legum, Ruf-fino officiali iuſſa curanti, qui deducebantur abrepti ſunt. Geſta indicabunt facti inciuilis auctores. Interea diſtuli vindictam iudiciorum, & rurſus officio negocium dedi, vt neceſſarios euocaret. Tunc ceſſantibus auctoribus clariſſimæ domus, cęteriſque ſubtractis, ad contradicendum Theſei ſubrogantur hęredes: vno tantùm exhibito, qui ſe aſſeteret libertum eſſe defuncti. Is interrogatus quo abiſſent incolę prędiorum, delituiſſe nõnullos, Scirtij verò mancipia ad vrbanam villam, quę eſt clariſſimi & illuſtris viri Olibrij, tranſlata reſpondit. Cetera vt à liberto Theſei dicta pręteream, licèt in eum pręſcriptio iſta non competat, cùm à patre minorum beneficium libertatis acceperit. His ita poſitis, Pręneſtini, in quorum finibus Cęſariana poſſeſſio iacet, miſſis apparitoribus exhibentur. Tunc demum V.C. & ſpectabilis Olibrij procurator emergit. Adeſt etiam defenſor minorum. Tandem cogentibus iudiciis poſtulatus, Scirtio aduerſum duos pugna proponitur: quamuis patrocinia clariſſimę domus & ſucceſſorũ Theſei quadam ſpecie diſſiderent. Itur in quæſtionem poſſeſſionis, quæ partium variis agitata conflictibus, ad interrogationẽ teſtium iure tranſiuit. Admoneri ſingulatim, vt mos eſt, iubeo curiales nominum & dignitatis. Ab vnoquoque poſco reſponſa: tum locorum iuſtos poſſeſſores requiro: dehinc percunctor quis annuas functiones aut indicta perſoluerit. Cùm ſecundum Scirtium teſtimonia cuncta procederent, atque eam poſſeſſionem cũ Theſeo tenuiſſe conſtaret: quando aut per quos deiectus eſſet examino. Secundum ferè vel tertium menſem manare conſentiunt, vt eum clariſſimæ atque illuſtris domus homines expulerint. Auditis optimatum teſtimoniis, denuo defenſores admitto iurgantes. Quæſita & reſponſa partibus intimantur. Ibi Tarpeius V.C. Procurator illuſtris viri Olibrij aſſeruit, ei ſex vncias prędiorum Theſei morte quæſitas. Contrà Scirtius de ſex vnciis, quas minores etiam ſe conſentiente retinebant non ibat inficias: nec ſua intereſſe dicebat, actores clariſſimæ domus, an hæredes Theſei eadem parte fruerentur. Tunc actionibus copulatis, Scirtium vrgere cœperunt, quòd ſecundum mandatum C.F. Facianæ ſex vncias Theſeo per epiſtolam reddidiſſet, ſex verò alias in eius libertos contuliſſet ſpontanea largitate. Ad hæc Scirtius idẽ

piat prouocationem, ne interim reliquũ negocium audiret. Iũge etiã principiũ epiſt. 46. j. hoc lib. 10. & epiſt. 29 eod. vbi ait ſe verecundè potius quàm iure ſuſcepiſſe prouocationem non extante ſententia.

litteris familiarib' quod donationibus in Theſeum vel paruulos transfuſum eſſe dicebat, ipſius petitu: vt actorum fides beneficiũ roboraret. Et reuera cùm poſteriora geſta pro indiuiſo ſex vncias maſſæ in eos collatas eſſe teſtentur: intelleximus partem donatoris exceptam. Cur enim pro indiuiſo daret, ſi nihil reſideret quod retineret? Sed hoc cùm ad proprietatis cauſam dicerem pertinere: recitata eſt à defenſorib. cõſtitutio, quę Iudicib. tribuit copiã, non imponit neceſſitatem: vt quoties de poſſeſſione ſucceſſionis iudicant, continuò ſi caſus tulerit, etiam de iure cognoſcant. Qua actione confeſſi ſunt ad aliam cauſam ſe malle tranſire. Pręterea non ſolus Scirtius proprietatis quæſtione videbatur vrgendus: cùm ipſi quoque inter ſe ſuper hac parte quodammodo diſſiderent. Quare de poſſeſſione ſecundum documenta Scirtij & principalium teſtimonia iudicaui: aduerſariis eius ſex vnciarum retentione & iure firmatis. Principalem verò cauſam, ſaluis allegationibus partium futuro examini reſeruaui. Et mox ſententiæ exemplar emiſi: cùm eius editionem Procurator ſpectabilis viri continuò poſtulaſſet. Tunc Scirtius obtulit ſanctiones: quibus doceret in reformatione momenti nullum eſſe appellationibus locum. Poſtridie Procurator clariſſimus & illuſtris, ac defenſor minorum, qui putabatur in iudicio diſcrepare, cõcordiam ſuam iunctis prouocationibus indicarunt. Hæc eſt omnis ſumma luctaminis. Nunc oraculum numinis veſtri, fortuna litis expectat. Geſta & ſupplementa partis vtriuſque ſubieci: quibus inſtructa perennitas veſtra, exemplo vnius cauſę ſecuritati omnium dignabitur commodare.

L. ſi de vi. D. de Iudic. Cuja. obſ. v. c. 15. arg. l. 1. C. de off. rect. prou. & l 1. c. de ord. iudic.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. vrb.* 42.

VEndendis ſolidis, quos plerunque publicus vſus expoſcit, collectariorum corpus obnoxium eſt, quibus arca vinaria ſtatutum precium ſumminiſtrat. Huic hominum generi, taxationis exiguæ vilitate nutanti, Diuus frater numinis veſtri tantum pro ſingulis ſolidis ſtatuit conferendum, quantum æquitas illius temporis poſtulabat, D. Imperator. Sed paulatim auri enormitate creſcente, vis remedij diualis infracta eſt. Et cùm in foro vena-

Arca vinaria etiam mentio eſt epiſt 47. ĩ. hoc lib. 10 & apud Caſsiod. lib. Var. 1. epi. 43.

lium rerum maiore ſumma ſolidus cenſeatur: nũmulariis pretia minora penduntur. Petunt igitur de æternitate veſtra, pro ratione præſenti iuſtitiæ diffinitionis augmenta: qui iam tanto oneri ſuſtinendo pares eſſe non poſſunt. Hæc eſt cauſa querimoniæ, quam diuinis ſenſibus veſtris fides geſtorum pleniùs intimabit. Si petitionis genus probabile iudicatis: quæſo vt huic quoq; parti præcepto manſuetudinis veſtræ ſalubre remedium deferatur.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus
præf. Vrb. 43.

PAlatini munerationum ſacrarum, Amicus & Caſtor, quæſtus publicos eruentes, inter cetera nomina quæ iudicio perſequuntur, hæredes Poſtumiani V.C. in examen meum conuentionibus euocarunt, D. Imperator: Luciano monente qui cenſus Senatorios antè tractauit, quòd oblatiuis functionibus eadem domus eſſet obnoxia: pars debiti Lollianam, pars Cattianillam pariter ac Seuerellam ſuggerebatur vrgere. Interea ſequeſtrato Lollianæ C.F. nomine, quam pro ſex vnciis aſtringit exactio: horum orta refragatio eſt, quos pro ſingulis bonorum quadrantibus ſolutionis cura mordebat. Comperendinato plerumque iudicio res eo deducta eſt, vt fiſci patrocinium ſecuritatis à clariſſimis perſonis impleri per vices muneris flagitaret: Cattianillæ verò ac Seuerellæ defeſſio ſcripto ad relationẽ Diui Principis mitteretur. Vetus enim quæſtio & cognitionib⁹ Præfecturæ freq̃uẽter agitata, vſque ad inclyti ſemperque verendi genitoris veſtri cucurrit arbitrum: qui Iuuentij clariſſimæ & illuſtris memoriæ viri, tunc Præfecti vrbi inſinuatione conſultus, quadam reſcripti parte ſignauit, ſuis quibuſque temporibus à Cattianilla ac Seuerella clariſſimis fœminis oblatiua munera ſolita conſtare. Hoc me dudũ promptum atque decliuem ad efflagitanda illationum documẽta defixit, cùm videretur omnibus ſecuritatibus eſſe vehementior Imperatoris aſſertio. De cuius reſponſis iugi honore manſuris, veſtræ clementiæ fas eſt eſſe iudicium. Nos venerari potiùs, quàm interpretari oracula diuina conſueuimus. Præſtò ſunt monumenta geſtorum, partium quoque ſupplementa non deſunt. Æquum eſt, vt maieſtatis veſtræ informetur arbitrio humana cunctatio.

Confer. epiſt. 52. & epiſt. 64. ſ. lib. v.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Praef. Vrb. 44.

MOribus ſæuis familiare atque cognatum eſt, armare ſpiritus immunitatis exemplo, D. Imperator. Cur enim ſecundum deſperet effugium, qui laqueos criminis prioris euaſit? Præſenti cauſæ congruit præmiſſa ſententia. Siquidem Valerianus V.C. cui lar in Epiro eſſe ſuggeritur, neque reſcriptorum veneratione, neque legum ſeueritate, vel pactionum fide, aut iudiciorum reuerentia permouetur. Qui primò in examen Prætorianę ſedis iuſſus acciri, ad ſupplicationem V.C. Iunioris vim reſcripti ſtatu præcelſæ poteſtatis eluſit. Dehinc Proconſularibus euocatus edictis, leges pari arte fruſtratus eſt. Nam cùm & actione ciuili, & criminali accuſatione premeretur, ſtatutis inciuiliter repugnauit: vt apparitores Præfecturæ vrbanæ, partim notariis, partim ſuggeſtione ſignarunt. Quorum vnus agenti in rebus, eo mortuo ad quem ſacri præcepti executio pertinebat, affectum ſe à Valeriano grauibus iniuriis indicauit. Motus igitur indignitate talium querelarum, cùm viderem rurſus illudi poſſe iudiciis, ſi quid ſeuerius cenſuiſſem, factu optimum credidi, vt æternitati veſtræ cauſæ iſtius pontificium reſeruarem. Soli enim iure corrigitis admiſſa potiſſimæ dignitatis. Fides geſtis rerum cohærentibus explicatur: nihilominus ad Senatū regreſſus apparitor, qui contumaciā Senatoris & ſeruiles impetus nunciauit, ſuggeſtionibus ſuis, cùm forte vſus tulerit, affuturus. Quæſo æternam clementiam veſtrā, vt omnibus ſolita æquitate perpenſis, euagari vlteriùs fruſtratorē tot Iudicum non ſinatis.

Vide notas ad epiſt. 27. lib. 7. ſupra.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Praef. Vrb. 45.

DIfficile eſt vt bona cauſa ſit, cuius actio in ius alterius deſperatione trāsfertur. Id adeo res probauit, D. Imperator. Nam Theodorus, vt aſſeruit, ex protectoribus ab Anniana quadem in re ſua Procurator creatus, iam pridem clariſſimo atque emendatiſſimo viro Cupraſio vrbanis tribulationibus præſidente, Flauianum quendam denunciata lite pulſauit: ſed diem legitimum cauſæ lapſus exceſſit. Longo interuallo petita à me reparatio, cū partes ad neceſſarium contraxiſſet examen, poſt multas allegationes, quas iudicia vt inualidas reſpuerunt, orta præſcriptio eſt;

Vide l. 3. C. Theo. de temp. cur. & repar. apell.

quæ aſſereret nouari tempora poſſeſſore mortuo debuiſſe. Nam conſtabat non modò Flauianum, qui propoſitam legibus quæſtionem primus exceperat, ſed etiam ſucceſſorem eius finem feciſſe viuendi. Adhæc præmiſſa eſt lectio, veluti probatur indiciis:nouationem tantùm petitoris hæredi eſſe decretam. Quod verbo quidem aſſertum, ſed ſanctionibus non probatum, contrariæ legis recitatione compreſſum eſt. Secutus igitur ſcita manifeſta,& nullis Principum vacuata reſponſis,ceſſare proceſſum negocij iudicaui: cùm lis alteri denunciata,aliam perſonam tẽporibus exactis tenere non poſſet. Tunc oblatis prouocationis etiam nouationis libellis, ſuſpenſa ſententia. Cuius meritum, perennitas veſtra lectis geſtis ac refutatoriis cohærentibus æſtimabit. Ego in referendo prolixus eſſe non debui: cùm pænè in ipſo actionum veſtibulo repulſa legibus cauſa conſtiterit.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 46.

IN cauſis appellationum malo ius poteſtatis infringere, quàm interpretationum dubia ſuſtinere: præſertim conſcius haud iniquæ iudicationis:cui nonnihil honoris eueniet, ſi æternitatis veſtræ oraculo roboretur, D.Imperator. Tuli igitur Conſtantiũ Suarium temerè prouocantem,cùm ex reſcripto numinis veſtri ſtatum, quem Theodoſio abſenti ademerat, reformaſſem. Mota enim veſtra clementia ſupplicationibus & querelis,breui examine iuſſit inquiri,an Theodoſio extra conflictum locato,ac deinde ne rebus excideret prouocante,poſſeſſionem corporum Cõſtantius eſſet indeptus. Allegata igitur præceptione diuina, primò cognitionem totius negocij, quamuis ſpeciatim mihi tranquillitatis veſtræ delegatione mandatam, V.C. vicarij præſentiæ reſeruaui. Siquidem videbatur hæc cauſa ceteris prouocationib9 eſſe coniuncta,quæ V.C. prædeceſſore meo negabantur admiſſæ,& alterum mecum ſumpſerat cognitorem. Dehinc vbi eam partem,quę ad illius temporis Iudicem pertinebat,veſtro retinuiſtis examini: appellationis inquiſitione diſcreta, cùm iam participem iudicij nõ haberem,turbatæ poſſeſſionis querelam reſcripto obſecutus audiui. Et quia Theodoſium iudicio non interfuiſſe conſtabat, quo ſibi demptas queſtus eſt facultates, nec vlla

Iunge epiſt. 42. 3. hoc libr. 10. vbi ait auctor ſe etiam ſuperfluam appellationẽ recepiſſe. adde Theoderichũ in edicto, cap. 55.

precum mendacia Conſtantius detegebat: executus ſum circa germanum ſupplicatoris hæredem cæleſte iudicium, reformato ſtatu, quem claruit mox propoſita appellatione defenſum: licèt Cultus ſubditus quæſtioni, libellos, quos Theodoſius publicauit, apud ſe reſediſſe memorauerit. Nihilominus obediens imperatis, ſtatui vt fides geſtorum ſuperiorum ad Auguſta ſcrinia mitteretur. Hinc orta eſt prouocatio: cuius vel iuſtitia vel contumacia ſacro expẽdetur arbitrio. Interea cõſtitutionis memor, ſequeſtraui mobilia fructuſque præcepi: ne medij temporis vſurpatio abutatur indebitis. Omnium geſtorum fida documenta, ſupplementis partium relationi ex more ſociata ſunt: vt diu fluctuanti cauſæ tandem ſtabilem terminum diuino ore ponatis.

DD. Theodoſio & Archadio ſemper Augg. Symmachus. Præf. vrb. 47.

Iunge epi. 110. lib. 9. quæ eſt eiuſdem argumenti.

OMnes qui ad ampliſſimos honorum gradus iudicio clemẽtiæ veſtræ vel fauore prouehimur, ſummo ſtudio debemus eniti, vt famam ſęculi ſuggeſtionum veritate tueamur, D. Imperator. Quod enim genus gratiæ beneficiis Principum rependẽdæ fortuna impar inueniet: ſi fidem deſerat, quæ ſola muniat imperium? Contemplanti mihi igitur reſcriptum numinis veſtri, quo arcæ vinariæ debita à Præfecto eius temporis, quo contracta dicitur, erui cenſuiſtis: ſilere fas non fuit quid temporum veſtrorum congruat æquitati. Iam primùm ſtupere me fateor, cæleſti manſuetudini veſtræ totius orbis negociis occupatæ, litteras Diui Conſtantij ita eſſe ſuggeſtas, vt comminatio ſub conditione deprompta inſtar cuiuſdam debiti duceretur: dehinc tacitum quodam caſu de ea parte reſcripti, quæ tenebat officium, vt perſona iudicis, tanquam vilior, apparitorum ſuorum impunitate premeretur: tertiò quòd ea ſumma ſolidorum, quàm cognitio & relatio viri illuſtris prædeceſſoris mei ex maiore parte ſolutam probauit, ærario tanquam debita & intacta depoſcitur. Atque ideo inter multa curarum, ſummatim nonnulla tractanda ſunt. Namque xi. millia cccc. xlvj. ſolidos, ex eo anno qui Sergij & Nigriniani ſequitur conſulatum, ſactis acceſſiſſe theſauris, & Præfecturæ inquiſitio, & diſcuſſorum litteræ, & V.C. prædeceſſoris mei ſcripta docuerũt. Inter hæc igitur tam multa valida, fidem clementiæ veſtræ debitam ſilentio violare non potui: cùm

Arca vinaria meminit ſ. lib. 10. epi. 42. & l. 3. Cod. Theod. de calc. coctor. & Caßiodor. lib. 1. epiſt. 43.

veſtrum quoque numen aduerterem ſolita cautione neque Iudicis nomen ſignaſſe reſcripto, & æſtimaſſe quòd conueniendus luce frueretur. Nam quando clementia veſtra vim veteris comminationis in mortuum tetendiſſet, cùm grauium etiam noxarũ pœna fine vitæ ſoluatur? At verò iſte terror Diui Principis litteris comprehenſus, ne viuentem quidem poſſet vrgere. Grauia enim ſubiectis ſæpe minitamini, acuendi potiùs ſtudio quàm nocendi. Hoc etiam Diuus genitor tuus, in omnium ſemper animis & ore victurus, pia lege conſtituit: qui ſententiam quoque ſub comminatione depromptam, effectu atque executione vacuauit. Hanc verò conditionem quàm Diuus Conſtantius adiecit litteris ſuis, multa quæ pòſt viſa ſunt ſubruerunt. Nam eodem Principe adhuc orbem regente, ad Tertullum Præfectum vrbis memorabilem virum migrauit exactio. Quæ ſi hominis poteſtas fuiſſet, circa perſonam prioris iudicis potuiſſet hærere. Nec multo pòſt tempore, in Clytholiam Maximum, pari honore tũc præditum, tituli iſtius cura conuenit. Diuo etiam parente numinis tui, Romana iura & fata moderante, Præfectis ac diſcuſſoribus mandata prouincia eſt: & per vices amminiſtrantium publici debiti occurrit exactio. Nouiſſimè relatus in cælum, germanus clementiæ tuę, eum ipſum Baſilium cùm haberet appoſitum qui perſonis Iudicum non pepercit, Primiſcrinios vrbani officij, quorum ſollicitudo per ſucceſſiones exigenda curauerat, vel ſoluendo nomini, vel edendæ rationi fecit obnoxios. Itaque & à V.C. ac probatiſſimo Anicio Baſſo, & Auentio viro ſpectabili frequẽtata cognitio, & ſolutam maiorem partem debiti deprehendit, & prouincialium Iudicum repperit ſpõſionem: qua profeſſi ſunt, ſi vrbanum ceſſaret officium, per ſe huius tituli integritatem poſſe ſarciri. Hæc igitur ſi legibus confetantur, pronunciabit æternitas veſtra in profeſſione verũ eſſe nexum, in cõminatione terrorẽ. Quid quòd proxima apparitio cogendis prouinciarũ iudicibus admota, ſpẽ debitis eruendis feciſſe ſuggeritur? Nõ eſt meũ famæ incerta ſectari. Inueniet diuina maieſtas tua, cur huic exactioni perpes cura defuerit. Nam ſocerum meum, clariſſimæ memoriæ virum Orfitũ petit iſta molitio: cuius hæredes V.C. & illuſtris officiorũ magiſter aſſcripſit litteris ſuis, cùm tuæ manſuetudinis verecũdia nullũ ſacro oraculo nomẽ expreſſerit. Quid ergo exiſtimẽ merito illi' factũ, qui maior honorib' quàm facultatib' x

Orfiti Præf. Vrbi meminit Am. Marc. libr. 14. vbi ſcribit fuiſſe forenſium negociorum gnarum, ſed ſplendore liberaliũ doctrinarum minùs quàm nobilem decuit inſtitutũ.

ante annos ferè quindecim vitam peregit: vt conſummatio ſæpe lecta, ſemper omiſſa, & nouis pòſt ſepulta decretis, quam neque lex diualis admittit, & ſolutio magnæ partis excluſit, reſurgat in mortuum, quæ non fuit antè viuenti? An meæ potius contumeliæ cauſa, & ordinem tot & talium ſtatutorum, & Diui Gratiani recentem præceptionem, & diſcuſſorum diligentiam, & Præfectorum cognitiones, & relationis fidem nouis ſuggeſtionibus arbitrer ſauciari? Teſtor cuſtodem numinis veſtri Deum, nihil eſſe quòd iniuria dignus exiſtimer. Quieto mihi hanc Præfecturam ſine vlla affectione tribuiſtis. Si quem fortè mordet inuidia, ſi alicuius deſideriis Reip. amore non ceſſimus: cogitet priuata odia aduerſum leges exercenda non eſſe. Poſtremò cognoſcat, ſi quis ille eſt, me meóſque ſucceſſionem clariſſimæ atque illuſtriſſimæ memoriæ viri Orfiti, neque ratione iuris, neque bonorum additione cœpiſſe. Quæſo igitur, ne in contumeliam iudicij veſtri, & iuri & innocentiæ fraus paretur. Quando enim abſentibus atque ignorantibus inter alios geſta nocuerunt? Quis vmquam ſententiam numinis veſtri inauditus excepit? Quando comminatio ad hæredes vſque porrecta eſt? Certè vt ipſam cauſam loquar, quæ me ac neceſſitudines meas vobis propitiis nullo iure contingit, pars maior debiti ſoluta monſtratur: in euidentibus nominibus pars reſedit, cuius ſtudio abſoluendi ſunt debitores, vt implicentur innoxij. Quare inſitam diuinis ſenſibus veſtris oro iuſtitiam, ne aduerſum Diui Gratiani diffinitionem, aduerſum reſcripta tot Principum qui Præfectis debita eruenda mandarunt, aduerſum relationem quæ vberiorem ſummam docuit exſolutam, reliquum verò ſecundum rectorum litteras exſculpendum ab obnoxiis intimauit, ignaros negocij, & paternæ hæreditatis alienos, pulſari incongrua conuentione patiaris, néve exemplum nouū pius Imperator inducas, vt ſucceſſio omnium qui Reip. profuerant, ad liberos ſecura non tranſeat. Multos hæc forma retinebit: & pleroſque, vt arbitror, iuſtiùs, ſi qui fortè prouinciis veſtris malè abuſi ſunt. At verò poſteritas illuſtris memoriæ viri Orfiti, nihil ex illo aliud quàm generis inſigne quæſiuit. Meæ tamen iniuriæ eſt iſta ſuggeſtio. Nam tenuitati illius frequenter exhauſtæ, nemo teſtamento, nemo noſtrum bonorum aditione ſucceſſit. Vnde intelligit clementia veſtra, quòd non metu familiaris cauſæ, quæ legibus tuta eſt, ſed temporum amore ſollicitus, ne ad innocentiam

Vide epiſt. 15. 1. hoc lib. 10.

nocentiam fiſci veſtri infructuoſa tantùm recurrat inuidia. Et hęc quidem curſim, ne mandatum negocium comperendinatio differret; tantum pro coniugis meæ Ruſticianæ C.F. parte quæſita ſunt: cuius germana multo anguſtior facultatibus ex Etruriæ longinquis adeſſe præcepta eſt. Veſtrum verò ſalutare numen omnes precamur, ne quod de tot prouinciis pro maiore parte iam redditum, adhuc difficilis exſculpit exactio, ſenatorię domus inopinata labes ſperetur poſſe perſoluere. Multis nocuit iſta cōditio, qui Reipub. præfuerunt: neque enim ius fuerit, vt vna familia nouo opprimatur exemplo. Quæſo igitur, vt geſta, quæ fidem relationis aſſerunt, audire dignemini; legéſque perçenſeatis, quarum plerumque a duritiam pro clementia veſtra decretis moderatioribus temperaſtis.

a *Vide Themiſtiū oratio. v. & notas ad epi. 63. huius lib. 10.*

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 48.

FOelicitas quidem veſtra indefeſſas P.R. copias pollicetur, D. Imperator. Sed cautio Iudicum ſuggerenda non deſerit: vt diligentia muniat, quod melior fortuna promittit. Frumenti cotidianus vſus in facili eſt, olei tantùm ſpecies victum plebis tenuiter inuecta ſollicitat. Cuius rei V.C. Præf. annonæ, partium ſuarum diligens executor, Prætorianę ampliſſimæ Præfecturæ, vt ipſe aſſerit, dudum fecit indicium, miſſis de more breuibus, quę anguſtias patefacerent conditorum. Sed ingraueſcente defectu, ſileri apud clementiam veſtram patriæ cura non debuit: cuius ſpes atque opes, boriorum Principum fauore cumulātur. Quare omnes ſuppliciter oramus, ſi expectatis preces, qui vota omnium beneficiis præuenitis, vt quàm primùm iudices Africanos ſuper hac ſpecie Romanis horreis inferenda diuinus ſermo deſtimulet. Nā properato opus eſt, priuſquàm reliquum profliget diurna præbitio. Addite igitur hoc munus ceteris, quæ præſtare conſueſtis: vt cuncta ſæculi bona pari affluant bonitate.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 49.

DIes noctéſque ſollicitor, vt prompto obſequio diuinæ clementiæ veſtræ iuſſa promoueam. Siquidem non licèt longa

comperendinatione differri, iuſtitiæ ac legibus amica decreta, D. Imperator. Vnde cauto opus eſt, ne exiſtimationem meam per alios allata præceptis tarditas deuenuſtet. Nam cùm de Macedonio ſecus de Rep. merito, itémque Aminiano, dudum mihi iudicium perennitas veſtra legauerit: Aminianum quidem protectorum atteſtatione cognoui, cum vrbis vicina contingeret, lãguore conſumptum. De Macedonio varia iactantur: quem iam pridem debuit cuſtodũ ſollicitudo perducere. Quæſo igitur mãſuetudinem veſtram, ne mihi fraudi ſit mora, alieno ſtudio aut torpore contracta: ſimúlque deprecor, vt venerabilis æternitas veſtra ſigillatim quærenda diſtinguat, ſi fortè deſignatum reum cognitioni meæ perſequentium cura tradiderit.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. vrb. 50.

SOli omnium poteſtis æternæ vrbis expenſas à defectu ſumptuum vendicare, D. Imperator. Maieſtati autem veſtræ ſubditæ poteſtates, tantum mediocribus cauſis valent ferre medicinam: magnarum verò rerum mole ſuperantur. Ad vos igitur ſalutaria numina conuolamus, & opem largam P.R. imploramus. ærario, cui iam diu ſolitorum nihil vectigalium decretæ prouinciæ contulerunt. Atque ideo iuſtus eſt metus, ne ceſſantibus ſubſidiis neceſſaria deſerantur: quæ hactenus perſonæ tenues, alieno, vt queruntur, ære tolerarunt. Super hæc etiam reuerendus ordo conſultus, cùm per ſe mederi afflictis rebus nequiret, opem veſtræ perennitatis orauit. Edita ratio eſt vectigalium, quæ Hiſpanienſes atque Alexandrinos inuehere debuit commeatus. Expẽſionum quoque titulos competentes, officij cura digeſſit. Quæſo vt omnibus quæ cohærent libenter inſpectis, vtilitati publicæ velox remedium porrigatis: vrgentibus enim cauſis, negari non poteſt illatio ſolemnis impendij. Quare ferte propitij, vt ſoletis, auxilium: & qui mentibus piis noua P.R. beneficia defertis, etiam priſca ſeruate: atque vrbi veſtrę annuere dignemini, & quod prętermiſſio præterita ſuſpendit, & quod futurus vſus expectat fœliciter.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 51.

IN negociis, tempore ac iudicatione finitis, ceſſare æquum eſt longæ orationis excurſum: ne & numinis veſtri ſalutares actus

onceret ſermo prolixior,& ſine argumento rerum loquacitas moroſa diſpliceat,D.Imperator.Cùm in iudicio moderatoris Apuli,inter Marcellum,qui ſe deiectũ poſſeſſione queſtus eſt, itémq; Venantium ſtratorem,vt ipſe confirmat,ciúſque germanam Batrachiam,cauſa violentiæ diceretur,prouocatio à reis inconſulta proceſſit: quòd prouincialis cognitor, præmiſſis litteris ad vicariam poteſtatem, ſuſceptum retineret examen. Tunc auditorij ſacri Iudex, Rectoris affatu ſuper appellatione eſt cõſult⁹,& prę iudicialem mulctam ſtatuit prouocationibus inferendam: & ipſum Quæſitorem crimini dedit,cum executione vindictæ. Poſt hæc obreptionibus partium nonnulla geſta ſunt: vt iudicatio cõſummata traheretur. Nam & vir ſpectabilis deceſſor meus, cùm mulctam didiciſſet exactam,quam decreto ſacri auditorij appellatio præiudicialis agnouerat, ſtatuit cauſam criminis ad ſe debere transferri. Et ego idem ſecutus,partes in examẽ acciui. Sed cùm & tempus reparationis eſſet emenſum,& pœnam probationis aut expectaret aut ſumpſiſſet ærarium: violentiæ quoque cauſam Venantij ac Batrachiæ profeſſiõ, ac quorundam capitalis damnatio terminaſſet,pronunciaui. cognitionem ſacri eſſe iudicij:& Venantium quem V.C.& illuſtris officiorum Magiſter iuſſerat exhiberi,cenſui agenti in rebus Decentio,quo proſequente venerat,eſſe reddendum. Sed cùm Venantij ſtratoris illicitam vſurpatamque militiam Marcellus argueret: quòd Decurionum aſſcriptus albo, vt geſta docuerunt, aduerſum leges ad palatina caſtra tranſiſſet,non debui obiecta reticere, vt in ea re, quæ modũ mei egrediebatur examinis, æternitas veſtra ipſis legibus,quas tuetur auguſtior,iudicaret.

D. *Theodoſio ſemper* Aug. *Symmachus* præf. vrb. 52.

Facit plerumque ratio aut fortuna cauſarum, vt in controuerſiis alter æquitate,alter iure nitatur. Tunc humano labante conſilio, deliberatio cognitoris ad clementiæ veſtræ recurrit oraculum,D.Imperator.Quod etiam præſentis negocij qualitas depoſcit.Nam Muſa annos egreſſa legitimos,cùm in partem rerum paternarum Syntrophium quereretur admiſſum: quem veluti adultæ ſuæ fratrem dolus Acholij curatoris aſciuerat,integrã reſtitutionẽ ſuffragio iuris accepit. Sed multis prouocationibus, variiſque tracta iudiciis, intra metas iuſti temporis, nequiuit L.1. C. de leg. & ep. 32. 3. hoc lib.

exſequi propoſitas actiones. Vt res monebat, amiſſum beneficiũ remedio integrauit ſupplicationis. Sed idem mulierem caſus, etiam reſcripti humanitate fraudauit. Siquidem menſium quatuor dilata curriculis, ſummo die temporis impetrati excidit cognitor, eamq; ſucceſſor adueniens præmiſſo interdicto poteſtate priuauerat. Poſt hæc cùm vellet infœlicem cauſæ lapſum reparatione ſarcire, obiectu legis Conſtantianæ exploſa eſt; quæ extra ordinem temporibus indultis, longiorem negauit excurſum. Secuta eſt prouocatio iudicatum. Vbi ventũ ad ſacræ ſedis examen, & eadem conſtitutio à Fauſtino hærede Acholij curatoris rurſus ingeſta eſt; pars procuratoris, cui actiones Muſa mãdauerat, non ſuo vitio cauſam cecidiſſe temporibus approbabat. Ad hoc parentum numinis veſtri Diuorum Principum protulit ſanctiones, quæ inter reliquas exceptiones reparationem iurgantibus tribuunt, ſi per cognitorem cauſa labatur. Cùm igitur & in Conſtantiana lege, qua reparatio adimitur temporibus extra ordinem datis, caſus iſte ceſſantis diſceptatoris non ſit exceptus, & recentiora ſcita Diuorum Principum cunctis negociis reparatione ſubuenerint, ſi fortè à Iudice deferantur, facilis in alteram partem eſſe non potui: ſed quod vnum remedium conuenit rebus ambiguis, fortunam curioſi luctaminis auguſtiſſimis legum arbitriis reſeruaui, geſtis omnibus de more ſubiectis, vt eorum lectio inſinuationis meæ aſtruat veritatem.

L. 1. C. Theod. de temp. cur. & rep.

L. 2. C. Theod. de repar. appel.

L. ſi appellatione 31. C. de temp. & rep. appell.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus præf. Vrb.* 153.

VRbium populorumque luctamina, quoniã ſunt maiora priuatis, iudicio auguſtiore cenſenda ſunt, D. Imperator. Meritò Puteolanorum ac Terracinenſium cauſam, quæ poſt Campani moderatoris examen ad ſacrum auditorium ex prouocatione migrauit, cùm perſpicerem pari lance libratam, maieſtatis veſtræ arbitrio reſeruaui. Eſt autem de quo agitur eiuſmodi. Puteolanis municipibus Diuus Conſtantius cl. M. mod. in alimoniam ciuitatis indulſit. Quæ ſumma à Diuo Cõſtante regente Remp. media parte mutilata eſt. Poſt quem N. æquè relatus in cælum, ſupplicatione depoſita, annonam Puteolani populi xxv. M. mod. adiectione cumulauit. Atque ita factũ eſt, vt C. M. mod. eiuſdem populi victus acciperet. Sed Diuo Iuliano moderante Remp. cũ

Lupus Conſulari iure Campaniæ præſidens, Terracinenſiũ contemplaretur anguſtias, quòd nihil ſubſidij decreta dudũ oppida conferebant, ne commoda P.R. ciuitas, quæ lauacris publicis ligna, & calcem reparandis mœnibus ſubminiſtrat, defectu ſubito exhauſta ſuccũberet, V M. & DCC. mod. Puteolanis municipib. derogatos, Terracinenſium vſui deputauit, & ampliſſimæ Prætorianæ ſedi ſtatuta & diffinita ſuggeſſit. Mamertinus id temporis Præfecturæ honore pollebat. Is cùm diſpoſita roboraſſet, nihilominus arbitrium Imperiale conſuluit, neque vllum reſponſum, quòd eo tempore bello Perſico rector Imperij tenebatur, accepit. Exhinc per aliquot annos cucurrit iſta præbitio, donec Capuana legatio apud Diuum atque inclytum Gratianum, germanum numinis veſtri, ſua tantùm damna deplorans, cum frumenti numerum, quem Cerealis ex multis vrbibus R.P. vendicarat, reſtitui omnibus impetraret. Sed occaſione reſcripti cum ſola xxx. & viij. modiũm, quę horreis æternæ vrbis acceſſerãt, prouincialiũ recuperaſſet alimonia, etiam V M. & DCC. mod. Puteolani municipes Terracinenſibus abnuerunt. Cùm igitur hæc cauſa in iudicium prouinciale veniſſet, V. C. non conſiderata ſumma quæ reſcripto Diui Principis tenebatur, indicatione generali omnia Puteolanis reddenda decreuit. Verùm poſt appellationem cognitio auditorij ſacri cùm illum frumenti modum qui Campanis fuerat reſtitutus à V M. & DCC. mod. quos ob neceſſitates vrbis æternæ ciuitas Terracinenſis accepit, decretum eſſe perſpiceret, manente decreto diualis oraculi, ea ſubſidia quæ Terracinenſes iudicio Lupi & Mamertini Præfecti cõfirmatione capiebant, nec roborare potuit, cùm reſponſi ſacri nulla extaret auctoritas, nec demere ciuitati, ne populus vtilitatibus æternæ vrbis obnoxius, iuſtis commodis indigeret. Ergo vt in rebus dubiis fieri ſolet, ad clementiæ veſtræ ſalubre iudicium conuolamus, licèt defenſio Puteolana poſt præmiſſam relationem incaſſum crediderit prouocandum. Præſto eſt geſtorum fides, quæ perennitatẽ veſtram poſſit inſtruere. Quæſo atque obſecro, vt negocio multa ætate nutanti tandem ſtabile remedium deferatur.

Huius Mamertini meminit Ammia. Marcell. li. 21. & lib. 27.

DDD. Valen. Theodoſio & Archadio ſemper Auggg. Symmachus V.C. Præf. vrb. 54.

VBi primùm Senatus ampliſſimus ſemperque veſter, [a] ſubiecta legibus vitia cognouit, & à Principibus piis vidit purgari

[a] ſubacta.

famam proximorum temporum,boni ſæculi auctoritatem ſecutus,euomuit diu preſſum dolorem,atque iterum me querelarum ſuarum iuſſit eſſe legatum. Cui ideo Diui Principis denegata eſt ab improbis audientia,quia non erat iuſtitia defutura, DD. Imperatores,Valentiniane,Theodoſi & Archadi inclyti victores & triumphatores ſemper Auggg. Gemino igitur functus officio,& vt Præfectus veſter geſta publica proſequor,& vt legatus ciuium mandata commendo. * Nulla eſt hîc diſſenſio voluntatum,quia iam credere homines deſierunt aulicorum ſe [a] ſtudio præſtare, ſi diſcrepent. Amari,coli,diligi: maius imperio eſt. Quis ferat, obfuiſſe Reipub. priuata certamina? Merito illos Senatus inſequitur,qui potentiam ſuam famæ Principis prætulerunt. Noſter autem labor,pro clementia veſtra ducit excubias. Cui enim magis commodat,quòd inſtituta maiorum,quòd patriæ iura & fata defendimus,quàm temporum gloriæ? quæ tum eſt maior, cùm vobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetim* igitur relligionium ſtatum,qui Reip. diu profuit. Certè numerentur Principes vtriuſque ſectæ,vtriuſque ſententiæ: proximus eorum ceremonias Patrum coluit,recentior non remouit. Si exemplum non facit relligio veterum, faciat diſſimulatio proximorũ. Quis ita familiaris eſt barbaris, vt aram Victoriæ non requirat? Cauti in poſterum ſumus,& talium rerum oſtenta vitamus. Reddatur tamen ſaltem nomini honor, qui numini denegatus eſt. Multa Victoriæ debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit. Auerſentur hanc poteſtatem,quibus nihil profuit: Vos amicum triumphis patrocinium nolite deſerere. Cunctis potentia iſta votiua eſt. Nemo colendã neget,quàm profitetur optandã. [b] Quòd ſi huius numinis non eſſet iuſta vſitatio,ornamentis ſaltem Curiæ decuit abſtineri. Præſtate,oro vos, vt ea quæ pueri ſuſcepimus,ſenes poſteris relinquamus. Conſuetudinis amor magnus eſt. Meritò Diui Conſtantij factum diu non ſtetit. Omnia vobis exempla vitanda ſunt,quæ mox remota didiciſtis. Æternitatem curamus famæ & nominis veſtri, ne quid futura ætas inueniat corrigendum. Vbi in leges veſtras & verba iurabimus? qua relligione mens falſa terrebitur, ne in teſtimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena ſunt, nec vllus perfidis tutus eſt locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præſentia relligionis vrgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem

a *Giſelinus legit*, ſtudia.

b *Quidã cod. habet*, Quò.l ſi huius ominis non eſſet iuſta viratio. *als leg.* Quò.l ſi huius nominis non eſſet inſtauratio, ornamentus, *&c.*

conuenit ſingulorum, neque aliud magis auctoritatem facit ſententijs noſtris, quàm quod omnia quaſi iuratus ordo decernit. Patebit ergo ſedes prophana periuriis, & hoc inclyti Principes mei probabile iudicabunt, qui ſacramento publico tuti ſunt? Sed Diuus Conſtantius idem feciſſe dicitur. Cetera potiùs illius Principis æmulemur, qui nihil tale eſſet aggreſſus, ſi quis ante ſe alius deuiaſſet. Corrigit enim ſequentem lapſus prioris, & de reprehẽſione antecedentis [a] exempli, naſcitur emendatio. Fas fuit, vt parens ille clementiæ veſtrę, in re adhuc noua non caueret inuidiam. Num poteſt etiam nobis eadem defenſio conuenire, ſi imitemur [b] quod animus improbat? Accipiat ęternitas veſtra alia eiuſdem Principis facta, quæ in vſum digniùs trahat. Nil ille decerpſit ſacrarum virginum priuilegiis, [c] decreuit nobilibus ſacerdotia, Romanis ceremoniis non negauit impenſas, & per omnes vias æternæ vrbis letum ſecutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis Deûm nomina, percunctatus eſt templorum origines, miratus eſt conditores. Cúmque alias relligiones ipſe ſequeretur, has ſeruauit imperio. Suus enim cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Varios cuſtodes vrbibus cunctis mens diuina diſtribuit. Vt animæ naſcentibus, ita populis fatales genij diuiduntur. Accedit vtilitas, quæ maximè homini Deos aſſerit. Nam cùm ratio omnis in operto ſit, vnde rectiùs quàm de memoria atque documentis rerum ſecundarum, cognitio venit numinum? Iam ſi longa ætas auctoritatem relligionis faciat, ſeruãda eſt tot ſęculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt fœliciter ſuos. Romam nunc putemus aſſiſtere, atque his vobiſcum agere ſermonibus. Optimi Principes, patres patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, vt vtar ceremoniis auitis. Neque enim pœnitet. Viuam more meo, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, hęc ſacra Anibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo ſeruata ſum, vt longęua reprehẽdar? [d] Video quale ſit quod inſtituendum putatur. Sera tamen & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Ergo Diis patriis, Diis indigetib. pacem rogamus. Æquum eſt, quicquid omnes colũt, vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra, cõmune cęlum eſt, idem nos mundus [e] inuoluit. Quid intereſt, qua quiſque prudentia verum inquirat? Vno itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Sed hęc ocioſorũ

a *Gelen. leg.* exemplũ naſcitur emendationis.

b *alij leg.* quod meminimus improbatũ? Accip.

c *al.* repleuit nobilibus.

d *al.* Videam. *al.* Videro q.

e *al.* illuminat.

disputatio eſt.[a] Nunc preces, non certamina offerimus. Quanto commodo ſacri ærarij veſtri, Veſtalium virginum prærogatiua detracta eſt: ſub largiſſimis Imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis; Vt vittæ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur ſacrificij, vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate à diſpendio tutæ ſunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem ſaluti publicæ dicata virginitas creſcit meritò, cùm caret præmio. Abſint ab ærarij veſtri puritate iſta compendia. Fiſcus bonorum Principum, non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpoliis augeatur. Vllúmne lucrum compenſat [b] inuidia? Atqui auaritia in veſtros mores non cadit. Hoc miſeriores ſunt, quibus ſubſidia vetera decerpta ſunt. Etenim ſub Imperatoribus, qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cupiditati, ad ſolam detrahitur amittentis iniuriam, quod deſiderium non mouet auferentis. Agros etiam virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos, fiſcus retentat. Oro vos iuſtitiæ ſacerdotes, vt vrbis veſtræ ſacris reddatur priuata ſucceſſio. Dictent teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub Principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerunt. Delectet vos iſta fœlicitas generis humani. Cœpit cauſæ huius exemplum ſollicitare morientes. Ergo Romanæ relligiones ad Romana iura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liberti, ſeruis teſtamentorum iuſta commoda non negãtur. Tantùm nobiles virgines, & fatalium ſacrorum miniſtri, excluduntur prædiis hæreditate quæſitis. Quid iuuat, ſaluti publicæ caſtum corpus dicare, & imperij æternitatem cæleſtibus fulcire præſidiis, armis veſtris, aquilis veſtris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia [c] vota ſuſcipere, & ius cum omnibus non habere? Itáne melior eſt ſeruitus, quę hominibus impenditur? Remp. lædimus, cui numquam expedit vt ingrata ſit. Nemo me putet ſolam cauſam relligionum tueri. Ex huiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Veſtales virgines ac miniſtros Deorum, victu modico iuſtiſque priuilegiis. Stetit muneris huius integritas vſq; ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum ſacræ caſtitatis alimenta verterunt. Secuta eſt hoc factum fames publica,

a *Gelen. legit,* Nos preces.

b al. leg. inuidiam?

c *Quidã cod.* vota cælitus ſuſcipere, & ius commune cum.

publica,& ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit.Nõ ſunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus aſtris. Nec rubigo ſegetibus obfuit,nec auena fruges necauit. Sacrilegio annus exaruit.Neceſſe enim fuit perire omnibus,quod relligionibus negabatur. Certè ſi eſt huius mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Grauis hanc ſterilitatem aura [a] contraxit. Silueſtribus arbuſtis vita producitur,& rurſus ad Dodonæas arbores plebis ruſticæ inopia conuolauit.Quid tale prouinciæ pertulerunt, quum relligionum miniſtros honor publicus paſceret? Quando in vſus hominum concuſſa quercus? quãdo vulſæ ſunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deſeruit fœcunditas mutua,quum populo & virginibus ſacris communis eſſet annona? Commendabat enim terrarũ prouentus victus antiſtitum,& remedium magis quàm largitas erat. An dubium eſt, ſemper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vendicauit? Dicet aliquis, ſumptum publicum denegatum alienæ relligionis impendiis.Abſit à bonis Principibus iſta ſẽtẽtia,vt quod de communi quibuſdam tributum eſt, in iure fiſci eſſe videatur.Nam cum reſp.de ſingulis cõſtet, quod ab ea proficiſcitur,fit rurſus proprium ſingulorum. Omnia regitis,[b] ſi ſuum cuique ſeruatis, pluſque apud vos iuſtitia quàm licentia valet. Conſulite certè munificentiam veſtram,an hæc publica velit exiſtimari,quæ in alios trãſtuliſtis. Semel honori vrbis delata compendia,deſinunt eſſe tribuentium;& quod à principio beneficium fuit,vſu atque ætate fit debitum.Inanem igitur metum diuino animo veſtro tentat incutere,ſi quis aſſerit conſcientiam vos habere præbentium,niſi detrahentium ſubieritis inuidiam.Faueant clementiæ veſtræ ſectarum omnium arcana præſidia,& hæc maximè, quæ maiores veſtros aliquando iuuerunt, vos defendant,à nobis colantur. Eum relligionum ſtatum petimus,qui Diuo parenti culminis veſtri ſeruauit imperiũ, qui fortunato Principi legitimos ſuffecit hæredes. Spectat ſenior ille Diuus ex arce ſiderea lachrymas ſacerdotum, & ſe culpatum putat,more violato,quem libenter ipſe ſeruauit. Præſtate etiam Diuo fratri veſtro alieni conſilii correctionem,tegite factũ,quod Senatui diſplicuiſſe neſciuit. [illegible] idem conſtat ideò excluſam legationem,ne ad eum iudicium publicum perueniret. Pro æſti-

Pp

Vide notas ad ep.7.lib.2.

a al. cõſtrinxit.

b al. ſed ſuum cuique.

matione eſt temporum ſuperiorum, vt non dubitetis abolere, quod probandum eſt Principis non fuiſſe.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus præf. Vrb. 55.

CErtum atque dilucidum eſt, nihil eſſe tam familiare legibus, quàm veſtra decreta, D. Imperator. Sed executorum praua interpretatio, dum ſupplicantibus fauet, plerumque iuſſa corrũpit. Statuerat receptus in cælum germanus numinis veſtri, cum Martianus dudum protector Aggariæ bona tanquam vacantia poſtulaſſet, vt ſi ea hæreditas ſcriptum ſucceſſorem vel legitimũ non haberet, in ius fiſci tanquam domino nuda cõcederet, tunc inſinuato per rationalem patrimonij modo, opperiretur petitor quid ei ſacra deferret humanitas. Annus ferè ſecundus eſt, vt per defenſores & rationales auguſtiſſimæ domus cum iuſtitia ſolemnis oraculi ſcripti fatigantur hæredes, licèt iam ſextus annus à teſtamenti recitatione numeretur. Nouiſſimè fortuna cauſæ, impetibilem ſcopulum fœdæ cognitionis incurrit. Nam cùm apud virum perfectiſſimum rationalem Baſſianum, primo delator bonorum ſecundum ſacra ſcita peteretur, nouo auſu calcata præſcriptio eſt. Dehinc cùm teſtamenti iure confecti fidem recitatio publicaret, calumnia inanis obiecta eſt, quòd ſignatores, neſcio quid legati, ex eadem voluntate cœpiſſent. Adduntur etiam ſcripta diualia, quibus adſtipulatio cuiuſdam remota eſt, qui ſuam iuuiſſe cauſam teſtimonio diceretur, quaſi verò ſimile eſſet exemplum, vt tenuis honor quo ſubſcriptores ob amicitiã defunctus aſperſerat, legitimum poſſet abolere iudicium. Nam ſi his legibus viueremus, inimicis ſignatoribus tutiùs vteremur, quorum offenſa nihil de teſtatore humanitatis exigeret. Piget dicere, in quinque numero ſolidos potiſſimum ſubſcriptoris fuiſſe legatum. Ceteris enim magis commemoratio honeſta, quàm pecuniæ queſtus acceſſit. Ergo aut extremæ paupertatis ſucceſſio fuit, ſi putatur exiguus honor fidem legitimi iudicij ſauciaſſe: aut ſi cenſus hæreditarius exiſtimatur vberior, aliena eſt à ſuſpicionibus breuis ſumma legati. Quis non familiariſſimum quemque ſignandis adhibet, cùm extrem[illegible]duntur? Iam quid mirum eſt, ſi in oculis poſitus mercatur [illegible]quod monumentũ relligionis,

Vide notas.

Vide l. 3. Cod. Theod. de teſta. l. 20. qui teſtamento. D. qui teſta. fac. poſ. Turner. Select. 2. cap. 12.

Turner. Select. 1. cap. 19.

qui meruit aduocari? Non fero ſignatorem, cui pars bonorum magna defertur. Nam & ſi integra conſcientia, non tamen ſyncero pudore ditatur. At verò hæc leuia pignora, aut amoris gratia, aut teſtatoris verecundia relinquuntur. Nihil huic relligioni nouis legibus derogatum eſt. Manet iſte vſus, & nobis iura ſeruantibus ſemper manebit. Vnus & ſolus poſt humanam memoriam rationalis emerſit, qui exemplum nouæ iudicationis induceret. Hinc orta eſt prouocatio. Quæ vbi auditorium ſacrum decreto etiam veſtræ legis intrauit, rurſus eludendi iudicij cauſa, propoſitum eſt inane commentum, vt ab illuſtri viro priuatæ rei comite delegata cognitio diceretur rationalis examinis, atq; ideo rurſus ad eiuſdem iudicium debere transferri, cum omnis quæſtio ex precibus Martiani dudum protectoris, & veſtræ clementiæ largitate deſcendens, facto potius auditorio ex prouocatione cõpeteret, accedente etiam proxima ſanctione, quæ indiſcretas huiuſmodi appellationes, ſedi, quæ vicem Principum tuetur, priſco iure commiſit. Examinatis igitur omnibus, pronunciaui bona obnoxia non eſſe reſcripto, quum veſtri numinis æterna iuſtitia, ſi ſcriptis aut legitimis ſucceſſoribus vacaret hæreditas, fiſcum ſtatuiſſet admitti: has autem facultates Marcellus Bizias & Heliodorus iuxta defuncti voluntatem cœpiſſent. Tunc ſententiam meam defenſor venerabilis domus inuſitata prouocatione ſuſpendit. Sed cum huius rei nullum exemplum cognitionalis extare ſuggereret, nihilominus ſubiectam vocem libenter admiſi, & relatione ſummatim cuncta complexus, geſtorum quoque documenta ſubtexui, præſumens bonis placitura Principibus, quæ ſecundum leges pro fama temporum iudicaui.

A ſententia Præfecti vrbi olim non licuit appellari l. 23. Cod. Theod. de appellatio. & id notat Balſamo ad can. 12. Syn. Antic. Sed. poſtea licuit vt conſtat ex l 30. Cod. Theod. de appellat. & l. vlt. eod. Cod. de his qui per met. iud. & l. 12. C. de adif. priu. I V R.

D. *Theodoſio ſemper Aug. Symmachus præf. vrb.* 56.

PEtronianus vrbanarum dudum cohortium miles, ad cornicularioru gradum inculpati laboris diuturnitate prouectus, more inſtitutóque maiorum teſtimonium meruit caſtrẽſis induſtriæ, quòd ceteris quoque poſt honeſtum curſum ſtipendiorum iudicia detulerunt, D. Imperator. Dignum eſt igitur diuina veſtrorum temporum fœlicitate, vt peractam ſine offenſione militiam, ſi perennitatis veſtræ pius vultus arriſerit, prærogatiua ſolennis exornet.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 57.

CVræ mihi eſt, vt qui animis & maieſtate congruitis, mutua honorificentia gaudeatis. Dignum eſt igitur D. Imperator Theodoſi, inclyte victor, ac triumphator ſemper Auguſte, vt decretum Senatus ad inuictiſſimos fratres numinis tui, ſi ita placet, clementia tua inſinuante perueniat. Quorum auctor & parens, vt dudum V.C. & illuſtri officiorum Magiſtro me ſcripſiſſe memini, ſtatuarum equeſtrium honore decoratus eſt, quas ei ordo venerabilis Africani & Britannici belli recordatione decreuit: ea ſcilicet cauſa, vt iuſtis ſuperiorum ducum titulis, præſentium circa nos deuotio prouocetur.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 58.

CVm mancipes ſalinatum magno ex numero ad paucos redacti, neceſſitatis publicæ molem ferre non poſſent, delata ſupplicatione meruerunt, vt his qui decreti atque excuſati antè fuerant redderentur, & ex aliis corporibus ſeu vacantibus iuſta ſupplementa incunctanter acciperent, D. Imperator. Allegata igitur præceptione diuina, cùm pleroſque conſortio ſuo antè decretos, muniri Macedonij ſuffragio reperiſſent, relationem ſuper eorum muniminibus impetrarunt. Veſtræ enim tantùm clemētiæ liberum eſt, iniquè elicita reſcripta reſcindere. Tunc vrgente defectu, nauicularios æquè lignorum obnoxios functioni, ad parem ſollicitudinem vocare cœperunt, vt vtriuſque corporis cura coniuncta, indiſcretum munus agnoſceret. At illi nonnullos de turmalibus ſuis tradere maluerunt, quàm in ſocietatē tanti oneris conuenire. Itaque factum eſt, vt iiſdem volentibus, certi homines mancipibus iungerentur. Nunc perennitatis veſtræ ſtabilem cenſionem publica cauſa depoſcit, ne obreptiuis publicationibus ſubſidia integrati corporis ſubruantur. Relationi geſta coniunxi, tam de his habita, quos Macedonij interuentus abſoluerat, quàm me diſceptante confecta, quibus ſine veneratione cuiuſquam voluntas nauiculariorum nonnullos mancipibus deputauit. Erit iam ſacroſancti numinis veſtri, & illorum antiquare ſuffragia, quos oſtenditur ambitus liberaſſe; & his obſtruere aditum ſupplicandi, quos ſui corporis adiudicauit aſſenſus.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 59.

DEuotione & more cõmonitus, magiſtratuum nomina, quibus varias functiones deſignationum tempore ampliſſimus ordo mandauit, ad æternitatis veſtræ perfero notionem: vt muneribus exhibendis, aut ſubeundis faſcibus deſtinatos, cognitio Imperialis accipiat. His copulati ſunt, quos Senatui veſtro recẽs ortus adiecit. Prolixus in talibus rebus eſſe non debeo, cum decreti publici fides geſtorum potius inſinuationẽ poſtulet, quàm largum referentis eloquium.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 60.

ETiam ſi priſca inſtitutio mittendis ad clementiam veſtrã cenſuum breuibus, curſum vel ordinem non dediſſet, D. Imperator, diligentia tamen boni ſęculi fidem publicæ inſtructionis exigeret. Siquidem conuenit Principes & parentes humani generis edoceri, quid reuerendo ordini vel Senatorum nouorum acceſſus adijciat, vel excuſationibus detrahatur. Harum rerum æternitati veſtræ fidum exhibebit indicium trimeſtris inſtructio, quam ſolemniter ſumptam de officio cenſuali, paginis relationis annexui: vt maieſtas veſtra cognoſcat, qui in ampliſſimam curiam collegarum numerus influxerit, & quid cenſibus Senatoriis aut noua profeſſio incremẽti dederit, aut excẽptio vet⁹ amputarit.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 61.

BEllorum quidem veſtrorum glorioſos exitus fama non occulit: ſed maior eſt victoriæ fides, quæ oculis approbatur, D. Imperator. Dudum fando acceperat R. P. cæſorum funera Sarmatarum, at nunc confirmata eſt nunciorũ lętitia, ſpectaculo triumphali. Iam minores non ſumus vetuſtatis exemplis. Vidimus quę acta miramur, catenatum agmen victæ gentis induci, illóſq; iam pridem truces vultus, miſero pallore mutatos. Stetit harenæ medio ſubiecta voluptati, quæ fuit antè formidini: aſſuetæ armis gentilibus manus, gladiatoria inſtrumenta tenuerunt. Fœlicem nimis belli iſtius ducem, qui diuinæ clementiæ veſtræ fretus auſpiciis, ex numero hoſtium alios ad ſecuritatem prouinciarum penitus extinxit, alios ad lætitiam plebis Martiæ reſeruauit. Meritò illi iudicia veſtra reſpõdent: iure in litteris Imperialibus ſæpe:

celebratur. Neque enim tanta deuotio, digniorem poſſit inuenire præconem. Sit vobis frequens vſus ac facilis laurearum, & eos qui fortè auſus impios in Romanum nomen extulerint, fortitudo militum capiat, arena vrbis expendat. Perpetua hæc deuotis ciuibus virtutis veſtræ tanquam tributa præſtetis.

D. Theodoſio ſemper Aug. Symmachus Præf. Vrb. 62.

CErta officia ſunt omnium poteſtatum. Præfecturæ vrbanæ proprium negocium eſt, Senatorũ iura tutari, D. Imperator. Quare partium mearum conuentus neceſſitate, allegationibus clariſſimorum virorum iuſta poſcentiũ, deeſſe non potui. A quibus pleraque ſeruitia Palatinus Euſebius iuſſus eruere, vt bonorum Catuli clariſſimæ memoriæ viri quæſtio, iudicationibus ſacriſque reſponſis conſummata repetatur, optimatum querimonias, qui dudum partis fruuntur, exciuit. Ventum eſt igitur ad leges, exſecutore cupiente, quem contradictio repellebat: imploratæque veſtri numinis ſanctiones, quæ Senatorum controuerſias transferre ab vrbano foro ad peregrina vetuerunt. Sed cùm aſſererem non eandem prærogatiuam eſſe ſeruorum, quibus ſupplicantibus certum perennitas veſtra detulit cognitorem, reſponſum eſt, quòd fortunas clariſſimarum perſonarum precatio ſubtilis inceſſerit. Inter hæc cùm Donatus aſſiſteret, ceteris precatoribus ſacro iunctus oraculo, quæſiui vti mos eſt, eodem ne nomine alius ſubderetur, quæ hominẽ cõditio haberet, & an ipſe de Catuli iudicio ſupplicaſſet. Tunc ille Hilariani clariſſimi viri ſeruum profeſſus, ab illarum precum conſcientia, quas dicitur obtuliſſe cum ceteris, alienum ſe conſtanter aſſeruit. Atque ita viſa eſt ſupplicationis fides etiam de auctore nutare. Adiecta eſt alia plena iuris atque rationis, quod poſt crebras cognitiones, & reſcripta ad relationem numeroſa, pœnam legis inciderint, qui denuo contra vetitum ſupplicarunt. Extant quippe ſententiæ. Quas cùm prouocatio tentaſſet inhibere, conſultus relatione Diuus genitor clementiæ veſtræ, finem poſuit quæſtioni. Cui victoriæ fiſcus acceſſit, emolumentum bonorũ Catuli clariſſimæ memoriæ viri, vt aſſertum eſt, pro certa parte ſortitus. Cùm igitur Senatorum allegatio reſcriptis ac legibus niteretur, maluerunt cauſam ſuam veſtræ per me aperire iuſtitiæ, quàm legitimo ven-

L. Senatores. C. vbi Senat. vel clar. l. 13. C. Theod. de accuſatio.

dicare iudicio, ſecuri decretorum, quæ & neceſſitate iuris & Diui Patris veneratione ſeruabitis. Itaque ſeruos bona fiducia tradiderunt, quos in præiudicium abſentium, poſt conſummationem negocij, æquitas temporum, quantum præſumimus, non patietur audiri.

DDD. *Valentiniano, Theodoſio & Archadio Symmachus V.C. Præf. Vrb.* 63.

QVid habeat conditionis inſcriptio, noſtis præ ceteris, iuris publici cōditores, DDD. Imperatores, Valentiniane, Theodoſi & Archadi, inclyti victores, ac triumphatores ſemper Augusti. Prouiſum eſt enim, ne quis temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ni ſe idem priùs pœnæ ſponſione vinciret. Secundum hæc ſcita legum, agens in rebus Africanus, accuſationem profeſſus, Campano & Higino clariſſimis viris violentiæ crimen obiecit. Continuò vt ſeueritas exigebat, reos cuſtodia militaris diſſimulata dignitate circumdedit. Sed vbi partes ſub examine conſtiterunt, multo luctamine patronorum decurſa cognitio, oratione magis quàm probationibus redundauit. Cùm longa verborum ſerie cauſa traheretur, ſummates Aricinæ vrbis, quos vt conſcios accuſator exciuerat, adhibuimus quæſtioni, geſtorum ordinem ſciſcitamur. Omnium conuenit aſſertio, nihil turbarum eſſe conflatum. Tunc ad eludendum iudicium, præſentia cuiuſdam cœpit expoſci, quem non tenebat inſcriptio. Eo denique res rediit, vt à partibus Africani accuſationis omiſſio deſperatione peteretur. Supererat vt crimine non probato, in accuſatorem formidata reis pœna tranſiret. Sed cùm me Africani militia pariter atque incauta adoleſcentia permoueret: malui iudicium de eo clemētibus reſeruare. Alia eſt enim cōditio magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſententiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia Diuorum Principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeueri iuris inflectere. Relationi geſta ſubtexui, partium quoque ſupplementa ſociaui. Quæſo veſtram auguſtiſſimam perennitatem, vt perpenſis omnibus, ſequenda iubeatis.

L. pen. C. de accuſat. l. 11. 14. C. Theod. de accuſat.

Expliciunt Epiſtolæ Q. Aurelij Symmachi V.C.

D. AMBROSII EPISCOPI MEDIOLANEN. EPISTOLÆ DVÆ, QVIBVS RESPONDET ad Epiſtolam Symmachi, quam Relationem vocat. Ea eſt libri x. Epiſt. 54. quæ incipit, Vbi primum Senatus.

Ambroſius Epiſcopus, Beatiſſimo Principi & Chriſtianiſſimo Imperatori Valentiniano.

CVM omnes homines, qui ſub ditione Romana ſunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque Principibus; tum ipſi vos omnipotenti Deo & ſacræ fidei militatis. Aliter enim ſalus tuta eſſe non poterit, niſi vnuſquiſque Deum verum, hoc eſt Deũ Chriſtianorum, à quo cũcta reguntur, veraciter colat. Ipſe enim ſolus verus eſt Deus, qui intima mente veneretur. Dij enim Gentiũ dæmonia, ſicut ſcriptura dicit. Huic igitur Deo vero quiſquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non diſſimulationem, non conniuẽtiam, ſed fidei ſtudium & deuotionis impendit. Poſtremo ſi non iſta, conſenſum ſaltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis cæremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifeſta ſunt. Ergo cum à te Imperator Chriſtianiſſime fides Deo vero ſit exhibenda, cùm ipſius fidei ſtudium cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in ſpem venerit, quòd debeas aras Diis Gentium tuo inſtaurare præcepto, ad vſus quoque ſacrificiorum prophanorum præbere ſumptum. Quòd enim iamdudum vel fiſco vel arcæ eſt vendicatum, de tuo magis conferre videbere, quàm de ſuo reddere. Et de diſpendiis queruntur, qui nunquam noſtro ſanguini pepercerunt, qui ipſa Eccleſiarum ædificia ſubruerunt. Petunt etiam vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi noſtris cõmunem vſum, Iuliani lege proxima denegarunt, & priuilegia illa, quibus ſæpe decepti ſunt etiã Chriſtiani. Nõ nullos enim illis priuilegiis partim per imprudentiã, partim propter publicarum neceſſi-

neceſſitatum moleſtias declinandas, irretire voluerunt: & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam ſub Principibus Chriſtianis plerique ſunt lapſi. Sed hæc ſi iam ſublata non eſſent, auferẽda tuo imperio cõprobarem. At cũ per totũ ferè orbẽ à pluribus, retro Principibus inhibita interdictáq; ſint, Romæ autẽ à fratre clementiæ tuæ auguſtæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione ſublata ſint, & datis antiquata reſcriptis, ne quæſo vel fideliter ſtatuta conuellas, vel fraterna præcepta reſcindas. De negociis ciuilibus ſi quid ſtatuitur, nemo putat eſſe temerandum: & præceptum de relligione calcatur? Nullus obrepat iuniori ætati tuę, ſiue ille gentilis eſt qui iſta depoſcit, non debet mentẽ tuã vinculis ſuæ ſuperſtitionis innectere, ſed proprio ſtudio docere & admonere te debet quemadmodũ veræ fidei ſtudere debeas, quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendũ meritis clarorum virorum & ego ſuadeo, ſed Deum certum eſt omnibus pręferendum. Si de re militari eſt conſulendum, debet exercitati in prœliis viri expectari ſententia, conſilium cõprobari. Quando de relligione tractatus eſt, Deum cogita. Nullius iniuria eſt, cui De' omnipotens antefertur. Habet ille ſententiam ſuam. Inuitum nõ cogitis colere quod nolit, hoc idem vobis liceat Imperator: & vnuſquiſq; patienter ferat, ſi non extorqueatur Imperatori, quod moleſtè ferret ſi ei extorquere cuperet Imperator. Ipſis gentilib' diſplicere conſueuit præuaricantis affectus. Liberè enim debet defendere vnuſquiſque fidele mentis ſuæ & ſeruare propoſitum. Quòd ſi aliqui nomine Chriſtiani tale aliquid decernendũ putant, mentem tuã vocabula nuda non capiant, nomina caſſa non fallant. Quiſquis hoc ſuadet, ſacrificat, & quiſquis hoc ſtatuit. Tolerabilius tamen eſt vnius ſacrificium, quàm lapſus omnium. Totus hic Chriſtianorum periclitatur Senatus. Si hodie gentilis aliquis Imperator, quòd abſit, aram ſtatueret ſimulacris, & eo cõuenire cogeret Chriſtianos, vt ſacrificantibus intereſſent, vt oppleret anhelitus & ora fideliũ cinis ex ara, fauilla de ſacrilegio, fumus ex buſto, & in ea Curia ſentẽtiam diceret, vbi iurati ad arã ſimulacri in ſententiam cogerentur: propterea enim interpretantur aram locatam, vt eius ſacramẽto, vt ipſi putant, vnuſquiſq; conuentus conſuleret in medium: cùm Curia maiore iam Chriſtianorum numero ſit referta, perſecutionem eſſe crederet Chriſtianus, qui cogeretur tali optione ad Senatum venire: quod fit

plerumque,nam etiam iniuriis conuenire cogūtur. Te ergo Imperatore Chriſtiani in aram iurare cogentur? Quid eſt iurare,niſi eius quem teſtare fidei tuæ Præſulem,diuinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur,& poſtulatur,vt aram iubeas eleuari,ſumptum ſacrificiis prophanis dari. Sed hoc non poteſt ſine ſacrilegio decerni. Vnde rogo te, ne id decernas, ſtatuas, vel in eiuſmodi decreta ſubſcribas. Conuenio fidem tuam Chriſti ſacerdos. Omnes cōueniremus Epiſcopi,niſi incredibile hoc & repentinum ad aures perueniſſet hominum,quòd tale aliquid eſſet vel in conſiſtorio ſuggeſtum tuo,vel à Senatu petitum: ſed abſit vt hoc Senatus petiſſe dicatur. Pauci gentiles communi vtuntur nomine. Nam & ante biennium fermè cùm hoc petere tentarēt, miſit ad me ſanctus Damaſus Romanæ Eccleſiæ ſacerdos, iudicio Dei electus,libellum quem Chriſtiani Senatores dederūt,& quidem innumeri,poſtulantes nihil ſe tale mandaſſe, non congruere gentilium iſtiuſmodi petitionibus, non præbere conſenſum. Queſti etiam publicè priuatimque, ſe non conuenturos ad Curiam,ſi tale aliquid decerneretur. Dignum eſt temporibus veſtris,hoc eſt Chriſtianis temporibus, vt dignitas Chriſtianis Senatoribus abrogetur, quo gentilibus Senatoribus prophanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ veſtræ direxi. Vnde conſtitit, non Senatū aliquid de ſuperſtitionis impenſis mandaſſe legatis. Sed fortaſſe dicatur: Cur dudum non interfuerunt Senatui,cum iſta peterentur? Satis loquuntur quid velint,qui non interfuerunt: ſatis locuti ſunt, qui apud Imperatorem locuti ſunt. Et miramur tamen ſi priuatis reſiſtendi Romæ eripiunt libertatem,qui nolunt eſſe liberum tibi non iubere quod non probas, non ſeruare quod non ſentis. Et ideo memor legationis proximè mandatæ mihi, conuenio iterum fidem tuam,conuenio mentem tuam, ne vel reſpondendum ſecundū huiuſmodi petitionem gentilium cenſeas,vel in eiuſmodi reſpōſa ſacrilegium ſubſcriptionis adiungas. Certè refer ad parentem pietatis tuæ Principem Theodoſium, quem ſuper omnibus ferè maioribus cauſis conſulere conſueſti. Nihil maius eſt religione, nihil ſublimius fide. Si ciuilis cauſa eſſet, diuerſæ parti reſponſio ſeruaretur: cauſa religionis eſt, Epiſcopus conuenio. Detur mihi exemplum miſſæ relationis,vt & ego pleniùs reſpondeam,& ſic de omnibus conſultus clementiæ tuæ parēs reſpondere dignetur.

Certè ſi aliud ſtatuitur, Epiſcopi hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus: licebit tibi ad Eccleſiam conuenire, ſed illic non inuenies ſacerdotem, aut inuenies reſiſtentem. Quid reſpondebis ſacerdoti dicenti tibi; Munera tua non quærit Eccleſia; quia templa gentilium muneribus adornaſti? Ara Chriſti dona tua reſpuit, quoniã aram ſimulacris feciſti. Vox enim tua, manus tua, & ſubſcriptio tua, opus eſt tuum. obſequiũ tuũ dominus Ieſus recuſat & reſpuit, quoniam idolis obſecutus es. Dixit enim tibi: Non poteſtis duobus dominis ſeruire. Priuilegia tua ſacratæ Deo virgines non habent: & vendicant virgines Veſtæ? Cur ſacerdotes Dei requiris, quibus petitiones prophanas gentilium prætuliſti? Alieni erroris ſocietatẽ ſuſcipere non poſſumus. Quid reſpondebis his verbis, puerum eſſe te lapſum? Omnis ætas perfecta Chriſto eſt. Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur. Paruuli etiam Chriſtum intrepido aduerſus perſecutores ore confeſſi ſunt. Quid reſpondebis germano tuo? Nónne tibi dicet, victum me eſſe non credidi, quia te Imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te hæredem habebam: imperio me decedere nõ ingemui, quia imperia mea, præſertim de relligione diuina, omnibus ſęculis manſura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de ſæculo manubias, hæc ſpolia de diabolo, has ego de aduerſario omnium exuuias offerebam, in quibus æterna victoria eſt. Quid mihi plus potuit meus hoſtis auferre? Abrogaſti decreta mea, quod adhuc ille qui contra me leuauit arma, nõ fecit. Nunc grauius telum corpore recipio: quòd à fratre mea ſtatuta damnantur meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, iſta virtutis eſt. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod eſt grauius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis: & id abrogatur, quod in me etiam mei aduerſarij prædicarunt. Si volens acquieuiſti, damnaſti fidem meam: ſi inuitus ceſſiſti, prodidiſti tuam. Ergo quod grauius eſt, & in te periclitor. Quid reſpondebis etiam patri, qui te maiore dolore conueniet dicens: De me fili peſſimè iudicaſti, qui putaſti quòd ego gentilibus conniuentiam præſtitiſſem. Nemo ad me detulit, aram eſſe in illa Romana Curia: nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Chriſtianorum gentiliumque conſilio ſacrificarent gentiles, hoc eſt inſultarẽt gẽtiles pręſentib9 Chriſtianis, & inuiti Chriſtiani intereſſe ſacrificiis cogerentur. Multa & diuerſa crimina me imperãte

commiſſa ſunt, vltus ſum quæcunque ſunt deprehenſa, ſi quis tũc latuit, debet ergo dicere, me probaſſe quod ad me nemo detulerat? De me peſſimè iudicaſti, ſi mihi ſuperſtitio aliena, non fides mea ſeruauit imperium. Vnde cùm aduertas Imperator, Deo primũ, deinde patri & fratri iniurias irrogari, ſiquid tale decernas; peto vt id facias, quod ſaluti tuę apud Deũ intelligis profuturum.

Ambroſius Epiſcopus, Beatiſſimo Principi & clementiſſimo Imperatori Valentiniano Auguſto.

CVm vir clariſſimus Præfectus Vrbis Symmachus ad clemẽtiam tuam retuliſſet, vt ara quæ de vrbis Romæ Curia ſublata fuerat, redderetur loco; & tu Imperator licèt adhuc in minoris æui tyrocinio florentibus nouus annis, fidei tamen virtute veteranus, obſecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli: quo licèt comprehenderim quæ ſuggeſtioni neceſſaria viderentur, popoſci tamen exemplum mihi Relationis dari. Itaque non fidei tuæ ambiguus, ſed prouidus cautionis & pij certus examinis, hoc ſermone Relationis aſſertioni reſpondeo: hoc vnum petens, vt non verborum elegantiam, ſed vim rerum ſpectandam putes. Aurea enim (ſicut ſcriptura diuina docet) eſt lingua ſapientium litteratorum, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplẽdentis eloquij, velut coloris precioſi coruſco reſultans, capit animorũ oculos ſpecie formoſi, [a] viſúq; perſtringit. Sed aurum ſi diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum eſt. Volue quęſo atque excute ſectam gentilium; precioſa & grandia ſonant, veri effœta defendunt, Deum loquũtur, ſimulacrum adorant. Tria igitur in Relatione ſua vir clariſſimus Præfectus Vrbis propoſuit, quæ valida putauit. Quòd Roma veteres, vt ait, ſuos cultus requirat. Et quòd ſacerdotibus ſuis virginibuſq; Veſtalibus emolumenta tribuenda ſint. Et quòd emolumentis ſacerdotum negatis fames ſecuta publica ſit. In prima propoſitione, flebili Roma queſtu ſermonis illachrymat, veteres, vt ait, cultus ceremoniarum requirens. Hæc ſacra, inquit, Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Itaq; dum ſacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu ſacris inſultauit Romanis, & Diis contra ſe dimicantibus vſque ad muros vrbis vincẽdo peruenit. Cur ſe obſideri

a *alÿ leg.* viſúſque præſtringit.

1. Cap.

paſſi ſunt, pro quibus Deorũ ſuorum arma pugnabant? Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolij ſecreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tuliſſent, niſi eos pauido anſer ſtrepitu prodidiſſet? En quales templa Romana Præſules habent. Vbi tunc erat Iupiter? An in anſere loquebatur? Verùm quid negem ſacrorũ ritus militaſſe Romanis? Sed etiam Hannibal eoſdẽ Deos colebat. Vtrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt ſacra, in Carthaginenſibus ergo ſuperata ſunt: ſi in Carthaginenſibus triumphata, nec Romanis vtique profuerunt. Faceſſat igitur inuidioſa illa populi Romani querela. [a] Non hæc Roma mãdauit. Alijs illa eos interpellat vocibus. Quid me caſſo quotidie gregis innoxij ſanguine cruentatis? Non in fibris pecudum, ſed in viribus bellatorum trophæa victoriæ ſunt. Aliis ego diſciplinis orbem ſubegi. Militabat Camillus, qui ſublata Capitolio ſigna, cæſis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportauit: ſtrauit virtus, quos relligio non remouit. Quid de Attilio loquar, qui militiam etiam [b] mortis impendit? Africanus non inter Capitolij aras, ſed inter Hannibalis acies triumphum inuenit. Quid mihi veterum exempla profertis? [c] Odi ritus Neronum. Quid dicam bimeſtres Imperatores & terminos regum cum exordiis copulatos? Aut fortè illud eſt nouum, barbaros ſuis exceſſiſſe finibus? Nunquid etiàm illi Chriſtiani fuerunt, quorum miſerabili nouóque exemplo alter captiuus Imperator, ſub altero captiuus orbis, fefelliſſe quæ victoriam promittebant, ſuas ceremonias prodiderunt? Nũquid & tunc non erat ara Victoriæ? Pœnitet lapſus, & vetuſta canicies pudendi ſanguinis traxit ruborem. Non erubeſco cum toto orbe longæua conuerti: verum certè eſt, quia nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt. Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe nõ poteſt. Non annorum canicies eſt laudanda, ſed morum: nullus pudor eſt ad meliora tranſire. Hoc ſolum habebam commune cum barbaris, quia Deum antea neſciebam. [d] Sacrificium veſtrũ, ritus eſt beſtiarum cruore aſpergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis Dei voces? Venite & diſcite in terris cæleſtem militiam. Hic viuimus, & illic militamus. Cæli myſterium doceat me Deꝰ ipſe qui condidit, non homo qui ſeipſum ignorauit. Cui magis de Deo, quàm Deo, credam? Quomodo poſſum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis? Vno, inquit, itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum. Quod vos ignoratis, id

a *al. leg.* non hanc.

b *al.* morti.

c *al. leg.* Quid ritus, *omiſſa voce*, Odi.

Licinium, Valerianum & Gallienum intelligit.

d *al. leg.* Sacrificij veſtri ritus eſt.

nos Dei voce cognouimus. Et quod vos ſuſpicionibus quæritis, nos ex ipſa ſapientia Dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur veſtra nobiſcum. Vos pacem diis veſtris ab Imperatoribus obſecratis: nos ipſis Imperatoribus à Chriſto pacem rogamus. Vos manuum veſtrarum adoratis opera: nos iniuriam ducimus, omne quod fieri poteſt, Deum putari. Non vult ſe Deus in lapidibus coli. Denique etiam ipſi philoſophi veſtri iſta riſerunt. Quòd ſi vos ideo Chriſtum Deum negatis, quia illum mortuum eſſe non creditis: neſcitis enim quòd mors illa carnis fuerit non diuinitatis, quæ fecit vt credentium iam nemo moriatur: quid vobis imprudẽtius, qui contumelioſè colitis & honorificè derogatis? Veſtrum enim Deũ lignum putatis: ô contumelioſa reuerentia. Chriſtum mori potuiſſe non creditis: ô honorifica peruicacia. Sed vetera, inquit, reddenda ſunt altaria ſimulacris, ornamenta delubris. Repoſcantur hæc à conſorte ſuperſtitionis: Chriſtianus Imperator aram ſolius Chriſti didicit honorare. Quid manus pias & ora fidelia miniſterium ſuis cogunt ſacrilegiis exhibere? Vox Imperatoris noſtri Chriſtum reſultet, & illum ſolum quem ſentit loquatur, quia cor regis in manu Dei. Nunquid Imperator gentilis aram Chriſto leuauit? Dum ea quæ fuerunt repoſcunt, exemplo ſui admonent, quantum Chriſtiani Imperatores relligioni quam ſequuntur debeant deferre reuerentiæ; quando gentiles ſuperſtitionibus ſuis omnia detulerunt.[a] Dum cœpimus, etiam ſequamur. Nos ſanguine gloriamur, illos diſpendium mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt, quàm cùm verberari Chriſtianos atque proſcribi ac necari iuberẽt. Præmiũ fecit relligio, quòd perfidia putabat eſſe ſupplicium. Videte magnanimos: per iniurias, per inopiam, per ſupplicium nos [b] credimus: illi cæremonias ſuas ſine quæſtu manere poſſe non credunt. Habeant, inquit, Veſtales
2. Cap. virgines immunitatem ſuam. Dicant hoc qui neſciunt credere, quod poſſet eſſe gratuita virginitas: prouocent lucris, qui diffidũt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promiſſa fecerunt? Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ. En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum veſtium murices, pompa lecticæ miniſtrorum circumfuſa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingẽtia, præſcripta deniq; pudicitiæ tẽpora coẽgerũt. Attollãt

a al. leg. Dudũ cœpimus, & iam ſequũtur. Excluſos nos ſanguine &c.

b leg. creuimus, ut eſt in v. c.

mentis & corporis oculos, videāt plebē pudoris, populum integritatis, cōcilium virginitatis. Nō vittæ capiti decus, ſed ignobile velamen, [a] vſui nobile caſtitatis: nō exquiſita, ſed abdicata, lenocinia pulchritudinis: non illa purpuratū inſignia, nō luxus deliciarum, ſed vſus ieiuniorū: nōn priuilegia, non lucra: omnia poſtremo talia, vt reuocati ſtudia putes, dum exercentur officia. Sed dū exercetur officium, ſtudium prouocatur, ſuis caſtitas cumulatur diſpendiis. Nō eſt virginitas quæ precio emitur, nō virtutis ſtudio poſſidetur. Nō eſt integritas, quæcunq; tanquā in auctione nummario ad tēpus ſollicitatur cōpendio. Prima caſtitatis victoria, eſt facultatum cupiditates vincere, quia lucri ſtudium tentamētum pudoris eſt. Ponamus tamen ſubſidia largitatū cōferenda virginibus, quæ Chriſtianis munera redundabunt, quod tantas opes ſufficiet ærarium? Aut ſi arbitrantur ſolis Veſtalibus cōferendum, non pudet vt qui totū ſibi ſub Imperatoribus gentilibus vendicarunt, iidem ſub Principibus Chriſtianis non putent nobis ſortem debere eſſe communē? Sacerdotibus quoq; ſuis & miniſtris queruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc verborum tumultus [b] increpuit? At contrà, nobis etiā priuatæ ſucceſſionis emolumenta recentibus [c] legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus iniuriam, quia diſpendium nō dolemus. Si priuilegium quærat ſacerdos vt onus curiale declinet, patria atque auita & omnium facultatū poſſeſſione cedendū eſt. Quomodo hanc gentiles, ſi haberent, ingrauarent querelam, quod ſacerdos ferias miniſterij ſui emat totius patrimonij ſui damno, & priuatus vniuerſæ cōmoditatis diſpēdio vſum publici mercetur obſequij: prætendens cōmunis ſalutis excubias, domeſticæ inopiæ ſe mercede ſolatur, quia miniſteriū non vēdidit, ſed gratiam comparauit. Conferte cauſas. Vos excuſare vultis decurionem, cum Eccleſiæ excuſare non liceat ſacerdotem. Scribuntur teſtamenta templorum miniſtris, nullus excipitur prophanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: ſoli ex omnibus clerico cōmune ius clauditur, à quo ſolo pro omnibus votum cōmune ſuſcipitur, officium cōmune defertur: nulla legata vel grauiū viduarū, nulla donatio. Et vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamē officio mulcta præſcribitur. Quod ſacerdotib' phani legauerit Chriſtiana vidua, valet: quod miniſtris Dei, nō valet. Quod ego nō querar, ſed vt ſciāt quid non querar,

[a] al. vſu.

[b] v. c. increpitat.

[c] L. 27. C. Theod. de epiſc. & cler.

Curialis qua conditione fieret clericus docet idem Ambroſ. epiſt. 29. & l. 104. & 163. C. Theod. de decurionib. Forner. Sel. 3. c. 7.

comprehēdi. Malo enim nos pecunia minores eſſe quàm gratia. Sed referunt ea quæ vel donata vel relicta ſunt Eccleſiæ, non eſſe temerata. Dicant & ipſi, quis templis dona detraxerit, quod factum eſt Chriſtianis. Quæ ſi facta eſſent gentilibus, redderetur potius quàm inferretur iniuria. Nuncine demum iuſtitia prætenditur, æquitas poſtulatur? Vbi tunc erat iſta ſententia, cùm direptis Chriſtianorum omnium facultatibus, ipſos vitales anhelitus ſpiritus inuiderent, & nullis vſquam negata defunctis inhiberent ſupremæ commercia ſepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei iſta victoria eſt, quod & ipſi iam facta maiorum carpunt ſuorum, [a] ſed quæ melioratio, vt eorum munera petant, quorum geſta condemnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata aruſpicibus denegauit: ſola ſublata ſunt prędia, quia non relligioſè vtebantur iis quæ relligionis iure defēderent. Qui noſtro vtuntur exemplo, cur non vtebantur officio? Nihil Eccleſia ſibi niſi fidem poſſidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Poſſeſſio Eccleſiæ, ſumptus eſt egenorum. Numerent quos redemerint templa captiuos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exſulibus viuendi ſubſidia miniſtrauerint. Prędia igitur intercepta, non iura ſunt. En quod [b] factum, quod triſte piare nefas, fames, vt aiunt, publica vindicauit: quia vſui omnium proficere cœpit, quod proficiebat commodis ſacerdotum. Propterea ergo detractis, vt aiunt, arbuſta exuta corticibus ſucco miſerabili deficientium ora lambebāt. Propterea Chaonia frugem glande mutantes, rurſus in pecudum paſtus, & ad infœlicis victus alimēta reuocati, concuſſa quercu famem in ſiluis miſeram ſolabātur. Noua videlicet prodigia terrarum quæ nūquam antè acciderāt, cùm ſuperſtitio gentilis toto orbe ferueret. Reuera quando antè vacuis auenis ſeges fallax, auari vota luſit agrícolæ, & ſpem ruſticæ plebis quæſita ſulcis frugis herba deſtituit. Et vnde Græcis oracula habita ſuæ quercus, niſi quia remedium ſylueſtris alimoniæ, cæleſtis relligionis donum putarunt? Talia enim ſuorum munera credunt Deorum. Quis Dodonæas arbores niſi gentium populus adorauit, cùm pabulum [c] triſte ſacri nemoris honore donaret? Non eſt veriſimile, quòd indignantes eorū Dij id pro pœna intulerūt, quod ſolebāt placari cōferre pro munere. Quæ autē æquitas, vt paucis ſacerdotib⁹ dolētes victū negatū, ipſi omnibus denegarent, cū inclemētior eſſet vindicta quàm culpa. Non

[a] v.c. ſed quæ malùm ratio, vt eorum.

[b] *Gelen. leg.* quod factum quàm triſte, quàm piare nefas.

3. Cap.

[c] v.c. triſte agri nemorū honore donarunt.

Non eſt igitur idonea, quę tantam ægritudinem mundi fallentis cauſa conſtrinxerit, vt virentibus ſegetibus ſubita ſpes anni adulta moreretur. Et certè ante plurimos annos templorum iura toto orbe ſublata ſunt. Modó ne demum Diis gentilium venit in mentem ſuas iniurias vltum [a] iri? Propterea nec aſſueto curſu Nilus intumuit, vt vrbicorum ſacerdotum diſpendia vindicaret, qui non vindicauit ſuorum? Eſto tamen ſi ſuperiore anno Deorum ſuorum iniurias vindicatas putant, cur præſenti anno contemptui fuere? Iam enim nec herbarum vulſis radicib. ruſticana plebs paſcitur, nec baccæ ſylueſtris explorat ſolatia, nec cibũ de ſentib. rapit, ſed operum læta fœlicium dum meſſes ſuas & ipſa miratur, expleuit voti ſatietate ieiunium, vſurarios nobis reddidit terra prouentus. Quis ergo tam nouus humanis vſibus, vt vices ſtupeat annorum? & tamen etiam ſuperiore anno pleraſque nouimus prouincias redundaſſe frugibus.[b] De Galliis quid loquar ſolito ditioribus? Frumentum Pannoniæ, quod non ſeuerant, vẽdiderunt. Et fœcunda Rhetia fertilitatis ſuæ nouit inuidiam. Nã quæ ſolebat tutior eſſe ieiunio, fœcunditate hoſtem in ſe excitauit. Liguriam Venetiáſque autumni frumenta pauerunt. Ergo nec ille ſacrilegio annus exaruit, & iſte fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quòd largo fœtu vineæ redundauerint. Itaque & meſſem fœneratam recepim*, & liberalioris vindemiæ beneficia poſſidemus. Poſtremus ſupereſt & maximus locus, vtrùm ea quæ vobis profuerint Imperatores, reſtituere ſubſidia debeatis. Ait enim, Vos defendant, à nobis colantur. Hoc eſt fideliſſimi Principes, quod ferre non poſſumus: quia exprobrant nobis veſtro ſe nomine Diis ſuis ſupplicare, & vobis non mandãtibus ſacrilegium immane committunt, diſſimulationem pro conſenſu interpretantes. Sibi habeãt præſidia ſua, ſuos, ſi poſſunt, illa defendant. Nam ſi iis, à quibus coluntur, auxilio eſſe non poſſunt, quomodò poſſunt vos defendere, à quibus non coluntur? Sed maiorum, inquit, ſeruandus eſt ritus. Quid quòd omnia poſtea in melius profecerunt? Mundus ipſe qui vel primùm coactis elementorum per inane ſeminibus tenero orbe concreuerat, vel confuſo adhuc indigeſti operis caligabat horrore, nónne poſtea diſtincto cæli, maris, terrarúmque diſcrimine rerum formas, quibus ſpecioſus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris nouum terræ ſtupuere ſolem: dies in exordio non refulget,

[a] al. leg. ire?

[b] v. e. de Galliis q. l ſ. d. & frumentũ Pãnonij q. n ſ. v. Et ſ. gratia ſ.

ſed in proceſſu temporis incremento luminis micat & caloris exæſtuat. Luna ipſa, quæ propheticis oraculis ſpecies Eccleſiæ figuratur, cùm primùm reſurgens in menſtruas reparatur ætates, tenebris noctis abſconditur, paulatimque cornua ſua complens vel è regione [a] ſolis abſoluens, clari ſplendore fulgoris irrutilat. Exerceri in fruct[9] terræ antè neſciebant, pòſt vbi imperare aruis ſollicitus cœpit agricola, & informe ſolum veſtire vinetis, ſylueſtres animos domeſticis mollitæ cultib. exuerunt. Anni ipſius ætas prima, quæ nos vſu parili colorauit, nutu gignentium ſed in proceſſu lapſuris floribus vernat, poſtremis adoleſcit fructibus. Nos quoque æui rudes ſenſus habemus infantiæ, ſed mutati in annos ingenij rudimenta deponimus. Dicant igitur, in ſuis omnia manere debuiſſe principiis, mundum tenebris obductum, quia ſplendore ſolis illuxerit, diſplicere. Et quãto gratius eſt animi tenebras depuliſſe quàm corporis, fideíque iubar emicuiſſe quàm ſolis? Ergo & mundi, ſicut omnium rerum, [b] primæua viã mutarunt, vt venerabilis canæ fidei ſequeretur ſenectus. Quos hoc mouet, reprehendant meſſem, quia ſera fœcunditas eſt: reprehendant vindemiam, quia in [c] occaſu anni eſt: reprehendant oliuam, quia poſtremus eſt fructus. Ergo & meſſis noſtra fides animarum eſt: Eccleſiæ gratia meritorum, vindemia eſt: quæ ab ortu mundi virebat in ſanctis, ſed poſtrema ætate ſe diffudit in populos, vt aduerterent omnes non rudibus animis irrepſiſſe fidẽ Chriſti. Nulla enim ſine aduerſario corona victoriæ: ſed exploſa ea opinione quæ antè conualuit, id quod erat verum iure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma ſucceſſit? Omitto abſconditam precio humum, & paſtorales caſas auro degeneri renitentes. Quid (vt de ipſo reſpondeam quod queruntur) captarum ſimulacra vrbium victóſque Deos, & peregrinos ritus ſacrorum, alienæ ſuperſtitionis æmuli receperunt? Vnde igitur exemplum, quòd currus ſuos ſimulato Almonis in flumine lauat Cybele? Vnde Phrygij vates, & ſemper inuiſa Romanis non æquè Carthaginis numina? quàm Cæleſtẽ Afri, Mitram Perſæ, plerique Venerem colunt, pro diuerſitate nominis non pro numinis varietate. Sic Deam eſſe, & Victoriam crediderunt, quæ vtique munus eſt non poteſtas, donatur non dominatur, legionum gratia non relligionum potentia. Magna igitur Dea, quam militum multitudo ſibi vẽdicat, vel prœliorum

[a] v.c. ſoli abſcondens.

[b] v.c. primæua mutarunt, vt.

[c] *alij leg.* in occaſu autumni eſt.

donat euentus. Huius aram ſtrui in vrbis Romæ Curia petunt, hoc eſt,quo plures conueniunt Chriſtiani. Omnibus in templis aræ,ara etiam in templo Victoriatū, quando numero delectantur,ſacrificia ſua vbique concelebrant. Quid eſt niſi inſultare fidei,vnius aræ ſacrificium vendicare?Ferendúmne iſtud,vt Gentilis ſacrificet, & Chriſtianus interſit? Hauriant omnes, inquit, hauriant vel inuiti fumum oculis,ſymphoniam auribus,cinerem faucibus,thus naribus,& auerſantium licèt ora excitata focis noſtris fauilla reſpergat. Non illis ſatis ſunt lauacra,non porticus, non plateæ occupatæ ſimulachris. Etiámne in communi illo conſilio non erit communis conditio? Obſtringetur pia Senatus portio obteſtantium vocibus,adiurantium ſacramentis? Si refutet,videbitur mendacium prodere:ſi acquieſcat,ſacrilegium cōfiteri. Vbi,inquit,in leges veſtras & verba iurabimus?[a] Ergo mēſuram,quæ legibus tenetur incluſa, ceremoniis gentium ſuffragium colligit,fidem ſtringit,iam non ſolùm præſentium ſed abſentium etiam?Et quod eſt amplius,Imperatores fides veſtra pulſatur. Vos enim cogitis,ſi iubetis. Conſtantius Auguſtæ memoriæ,nondum ſacris initiatus myſteriis,contaminari ſe putauit,ſi aram illam videret.Iuſſit auferri,non iuſſit reponi. Illud auctoritatem facti habet,hoc præcepti non habet. Nemo ſibi de abſentia blandiatur,præſentior eſt qui ſe animis inſerit,quàm qui oculis proteſtatur. Plus enim eſt mente connecti, quàm corpore copulari. Vos Senatus cogendi conſilij Præſules habet,vobis coit, vobis conſcientiam ſuam non Diis gentium præſtat, vos liberis ſuis non tamen fidei ſuæ præfert. Hæc eſt caritas expetenda,hæc eſt caritas maior imperio,ſi fides tuta ſit,quæ ſeruat imperium. Sed fortaſſe aliquem moueat, ita fideliſſimum Principem deſtitutum,proinde quaſi meritorum precium caducis æſtimetur præſentium. Quis enim ſapiens non in orbe quodam atq; circuitu locata humanarum rerum nouit negocia:quia non eoſdem ſemper ſucceſſus habent,ſed variant ſtatus,& mutant vices? Quem beatiorem Cneo Pompeio Romana templa miſerunt? At is cùm tribus triumphis terrarum cinxiſſet orbem,pulſus acie, bello profugus,& ſui terminis exul imperij, Canopei manu ſpadonis occubuit. Quē nobiliorem Cyro Perſarum totius Oriētis terræ regē dederūt? Is quoque cū Principes potentiſſimos aduerſantes viciſſet,victos reſeruaſſet,muliebribus armis fuſus interiit.

[a] aliÿ leg. Ergo meus veſtra quæ leg.

Et ille rex qui ſuperatos etiam confeſſus honore donauerat, exe-ĉto capite & intra vtrem plenum cruoris ſatiari iuſſus incluſo, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in iſtius vitæ curriculo nõ paria paribus, ſed longè diuerſa referuntur. Quem etiam magis ſacrificiis deditum, quàm Carthagnenſium ducem Hamilcarem reperimus? qui cùm toto prœlij tempore inter acies poſitus dimicantes ſacrificium faceret, vbi partem ſuorum victam eſſe cognouit, in ipſos quos adolebat ſe præcipitauit ignes, vt eos vel cruore ſuo reſtingueret, quos ſibi nihil profuiſſe cognouerat. Nam de Iuliano quid loquar? qui cùm reſponſis aruſpicum male credulus eſſet, ademit ſibi ſubſidia reuertendi. Ergo in communi caſu non eſt communis offenſa. Neminem etenim promiſſa noſtra luſerunt. Reſpondi laceſſentibus tanquam non laceſſitus. Refellendæ etenim relationis, non exponendæ ſuperſtitionis mihi ſtudiũ fuit. Te tamen Imperator, ipſa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cùm de ſuperioribus Principibus texuiſſet, quia prior eorũ numerus ceremonias patrum coluit, recentior non remouit, addidiſſet etiam ſi exemplum religio veterum non facit, faciat diſſimulatio proximorum: euidenter docuit quod & fidei tuæ debeas, vt gentilitij ritus non ſequaris exemplũ, & pietati vt fratris ſtatuta non violes. Si enim pro ſuis duntaxat partibus eorum diſſimulationem Principum prædicarunt, qui cùm eſſent Chriſtiani, decreta tamen gentilium minimè remouerunt: quanto magis amori debent deferre fraterno, vt qui diſſimulare deberes, etiam ſi quid forſitan non probares, ne fraternis derogares ſtatutis, & nunc teneas quod & fidei tuæ & germanitatis neceſſitudini iudicas conuenire.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, CONTRA L. AVRELIVM AVIANIVM SYMMACHVM vrbi Præfectum, in lib. I.

PRÆFATIO.

Carminis genus, quale iſtud, Inuentor rutili Dux bone luminis.

P*Avlvs præco Dei: qui fera Gentium*
Primus corda ſacro perdomuit ſtilo,
Chriſtum per populos ritibus aſperis
Immaneis, placido dogmate ſeminans,
Immanſueta ſuas vt ceremonias
Gens pagana Deo ſperneret agnito,
Actus turbinibus fortè nigerrimis
Hibernum pelagus iam rate debili,
Et vim naufragi pertulerat Noti.
Sed cùm cærulei prœlia gurgitis
Iuſſiſſet Domini dextra quieſcere:
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponítque ſolo litoris vuidi
Contractos pluuio frigore remiges.
Tunc de litoreis ſæpibus algidi
Arentum properè brachia palmitum
Conuectant: rapidos vnde focos ſtruant.
Faſcem quiſque ſuum congerit ignibus,
Exſpectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragileis cogere ſurculos
Et denſare foci congeriem ſtudet,
Incautam cumulis inſeruit manum,
Torpebat glacie pigra vbi vipera,
Sarmentis laqueos corporis implicans:
Quæ poſt quam intepuit fomite fumeo,
Laxauítque ferox colla rigentia,

Iam flecti facilis, rettulit ad manum
Vibrato capite ſpicula dentium.
Hærentem digiti vulnere mordicus,
Pendentémque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alij, quòd cute liuida
Virus mortiferum ſerpere crederent.
At non intrepidum terret Apoſtolum
Triſtis tam ſubiti forma periculi:
Attollens oculos ſidera ſuſpicit,
Chriſtum ſub tacito pectore murmurans,
Excuſſúmque procul decutit aſpidem.
Abiectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli ſoluit acumina.
Mox omnis ſanies deſerit, & dolor,
Ceu nullo laceram vulnere, dexteram,
Siccatúſque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arſurum medijs intulit ignibus.
Sic nunc poſt hiemem, vímque trucis freti,
Quo iactata ratis tunc ſapientiæ eſt,
a ſacrilegis. *Cum ſub* [a] *ſacricolis territa Regibus,*
Vix paſſo poterat currere carbaſo,
Afflictóſque ſuos turbine ſæculi
Vectarat, rapidis fluctibus innatans,
Morſum vulnificum lex pia pertulit:
Occultabat enim ſe priùs abditum
Virus, nec grauidum protulerat caput,
Contentum inuolucris, atque cubilibus,
b cōprimere. *Subter* [b] *quò premeret clauſa ſilentia.*
Sed dum fortè latens impietas riget:
Dextram iuſtitiæ pigra momorderat.
Succenſi ſtomacho fellis inæſtuans.
Heu, quàm catholicam nil propè profuit
Puppim enaſſe ſacri remigio ſtili:
Quem Paulus varijs gentibus edidit!
Vix portu placido tuta quieuerat
Victrix, edomitis mille furoribus:
Vix adſticta ſuis iam retinaculis

Vectores ſtabili condiderat ſolo:
Erumpit ſubitò triſte periculum.
Nam, dum præcalidos igniculos ſibi
Soluendis adolent, & ſenio, & gelu,
Dum virgas ſteriles, atque ſuperfluas
Flamis de fidei palmite concremant,
Vt concreta vagis vinea crinibus
Siluoſi illuuiem poneret idoli,
Palpauit nimius perniciem tepor.
Spes inſueta ſubit ſerpere flexibus,
Et vibrare ſagax eloquij caput:
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rhetorici depulit halitus,
Effuſum ingenij virus inaniter,
Summa Chriſticolis in cute ſubſtitit.
Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum ſtatuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu:
Huius, ſi potis eſt, iam miſereſcito
Præruptam in foueam præcipitis viri.
Spirat ſacrilegis flatibus inſcius,
Erroréſque ſuos indocilis fouet.
Obteſtor iubeas, ne citus impetus
Arſurum medijs inferat ignibus.

Seps. non Spes mendoſe legit: eſt autem ſepœdis genus; de quo Alexander Trallianus.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, ADVERSVS L. AVrelium Auianium Symmachum, lib. I.

CREDEBAM *vitijs ægram Gentilibus vrbem*
Iam ſatis antiqui pepuliſſe pericula morbi,
Nec quidquam reſtare mali, poſtquàm medicina
Principis immodicos ſedarat in arce dolores.
Sed, quoniam renouata lues turbare ſalutem
Tentat Romulidûm, Patris imploràda medela eſt.

Ne ſinat antiquo Romam ſqualere veterno,
Né ve togas procerum,fumóq; & ſanguine tingi.
Inclytus ergo parens patriæ,moderator & orbis
Nil egit,prohibendo vagas,ne priſtinus error
Crederet eſſe Deum,nigrante ſub aëre,formas:
Aut elementorum naturam,quæ Patris ars eſt
Omnigeni,ſumma pro maieſtate ſacraret.
Vir ſolus,cui cura fuit,ne publica morum
Plaga cicatricem ſumma leuiter cute clauſam
Duceret,& latebram tabentis vulneris altè
Impreſſam,penitúſque putri de pure pereſam,
Iuncta ſuperficies medico fallente foueret.
Sed ſtuduit,quò pars hominis generoſior intus
Viueret, atque animam lethali peſte piatam
Noſſet ab interno tutam ſeruare veneno.
Illa tyrãnorum fuerat medicina,videre
Qui ſtatus ante oculos præſentibus,ac perituris
Competeret rebus,nec curam adhibere futuris.
Heu,malè de populo meriti,malè patribus ipſis
Blanditi:quos præcipites in Tartara mergi
Cum Ioue ſinerũt, multa & cum plebe Deorum.
Aſt hic imperium protendit latiùs æuo
Poſteriore, ſuis cupiens ſancire ſalutem:
Nimirum pulcrè quidam doctiſsimus,eſſet
Publica res,inquit,tunc fortunata ſatis,ſi
Vel Reges ſaperent,vel regnarent ſapientes.
Eſt ne ille è numero paucorum:qui diadema
Sortiti,ætheræ coluerunt dogma ſophiæ?
Contigit ecce hominum generi,gentíque togatæ
Dux ſapiens.felix noſtræ res publica Romæ
Iuſtitia regnante viget.parete magiſtro
Sceptra gubernanti:monet,vt teterrimus error,
Vtque ſuperſtitio veterum procul abſit auorum,
Nec putet eſſe Deũ,niſi qui ſuper omnia ſummus
Emineat,magníque immenſa creauerit orbis.
Saturnus. *Num melius Saturnus auos rexiſſe Latinos*
Creditur:edictis qui talibus informauit
Agreſteis animos,& Barbara corda virorum?

Sum deus, aduenio fugiens, præbete latebras,
Occultate ſenem, gnati feritate tyranni
Deiectum ſolio. placet heic fugitiuus, & exſul
Vt lateam: genti, atque loco Latium dabo nomen.
Vitibus incuruum, ſi qua eſt ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon & mœnia veſtri
Fluminis in ripa ſtatuam Saturnia vobis.
Vos nemus, appoſitáſq; meo ſub honore ſacrantes
(Sum quia nam Cælo genitus) celebrabitis aras.
Inde Deos, quorum patria ſpectata ſepulcra
Scimus, in ære hebetes informauere minores:
Aduena quos profugus gignẽs, & equina libido
Intulit Italiæ: Tuſcis nanque ille puellis
Primus adhiuniuit ſimulato Numine mœchus.
Mox patre deterior ſiluoſi habitator Olympi Iupiter.
Iupiter, inceſtas ſpurcauit labe Lacænas:
Nunc boue ſubuectam rapiens ad crimen amatã:
Nunc tenera pluma leuior, blandóſque ſuſurros
In morem, recinens ſuauè, immorientis oloris:
Capta quibus volucrũ virguncula ferret amorẽ.
Nunc foribus ſurdis, ſera quas, vel peſſulus arctis
Firmarat cuneis, per tectum diues amator
Imbricibus ruptis, vndantis deſuper auri
Infundens pluuiam gremio excipientis amicæ:
Armigero modò ſordidulam curante rapinam,
Compreſſu immũdo miſerũ afficiens catamitum,
Pellice iam puero magis indignante ſorore.
Hæc cauſſa eſt, & origo mali, quòd ſecla vetuſto
Hoſpite regnanti, crudus ſtupor aurea finxit,
Quódque nouo ingenio verſutus Iupiter, aſtus
Multiplices, varióſque dolos texebat, vt illum,
Vertere cùm vellet pellem, faciémque, putarent
Eſſe bouem, prædari aquilam, concumbere cycnũ,
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.
Nam quid ruſticitas non crederet indomitorum
Stulta virûm, pecudes inter, rictúſque ferinos,
Dedere ſueta animum, [a] diuinationis egenumẽ a die.
In quamcunque fidem nebulonis callida traxit

Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.
Succeßit Iouis imperio corruptior ætas:
Quæ docuit rigidos vitijs ſeruire colonos,
Expertes furandi homines. hac imbuit arte
Mercurius. *Mercurius, Maia genitus: nunc magnus habetur*
Ille Deus, cuius dedit experientia fures:
Nec non Theſſalicæ doctißimus ille magiæ
Traditur exſtinctas ſumtæ moderamine virgæ
In lucem reuocaſſe animas, Cocytia lethi
Iura reſignaſſe, ſurſum reuolantibus Vmbris:
Aſt alias damnaſſe neci, penitúſque latenti
Immerſiſſe Chao. facit hoc ad vtrumque peritus
Vt fuerit, geminóque armarit crimine vitam:
Murmure nam magico tenueis excire figuras,
Atque ſepulcraleis ſcitè incantare fauillas,
Vita itidem ſpoliare alios, ars noxia nouit.
Artificem ſcelerum ſimplex mirata vetuſtas
Supra hominem coluit, ſimulans per nubila ferri,
Aligeróſque leuis pedibus tranſcurrere ventos.
Priapus. *Ecce Deûm in numero formatꝰ, & æneus adſtat*
Graius homo, auguſtáq; Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quondam fuit agri,
Hortorúmque opibus memorabilis. hic tamen idē
Scortator nimius, multáque libidine ſuetus
Ruricolas vexare lupas, intérque ſalicta,
Et denſas ſæpes obſcœna cubilia inire.
Indomitum intendens animum, ſempérq; paratū
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic Deus è patrio prænobilis Helleſponto
Venit aduſque Italos ſacris cum turpibus hortos:
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſeruat vineta Sabini,
Turpiter affixo pudeat quem viſere ramo.
Hercules. *Herculeus mollis pueri famóſus amore*
Ardor, & in tranſtris iactatæ efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemeæa pelle fouere
Concubitus, & Hylan pereūtem quærere cælebs.
Nunc Salijs, cantúque domus Pinaria templum

Collis Auenti conuexa in ſede frequentat.
Thebanus iuuenis ſuperatis fit Deus Indis, Bacchus.
Succeſſu dum victor ouans laſciuit, & aurum
Captiuæ gentis reuehit, ſpoliíſque ſuperbus
Diffluit in luxum cum ſemiuiro comitatu,
Atque auidus vini, multo ſe proluit hauſtu
Gemmantis pateræ ſpumis, multóque Falerno
Perfundens bijugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis, Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virideis diſcindunt ore chelydros,
Qui Bromiũ placare volũt: quod & ebria iã tunc
Ante oculos Regis Satyrorum inſania fecit,
Et feciſſe reor ſtimulis Furialibus ipſas
Mænadas, inflamãte mero in ſcelus omne rotatas.
Hoc circunſaltante choro, temulentus adulter
Inuenit expoſitum ſecreti in litoris acta
Corporis egregij ſcortum: quod perfidus illic
Liquerat, inceſto iuuenis ſatiatus amore.
Hanc iubet aſſumtam, feruẽs poſt vina, Neæram,
Secum in delicijs fluitantis ſtare triumphi,
Regalemq́ue decus capitis geſtare coronam.
Mox Ariadnæus ſtellis cæleſtibus ignis
Additur: hoc pretium noctis perſoluit honore
Liber, vt æthereum meretrix illuminet axem.
Tantum poſſe omneis illo ſub tempore Reges, Reges Dij.
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Vt tranſire ſuis cum ſordibus Induperator
Poßit in æternum cæli ſuper ardua regnum.
Regia tunc omnis vim maieſtatis, & omnis,
Parua licet, cæli imperium retinere poteſtas
Credita. thure etiam Ducibus, paruóque ſacello
Impertitus honos: quẽ dũ metus, aut amor, aut ſpes
Accumulant, longum miſeris proceßit in æuum
Mos patrius. cœpit falſæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes:
Tum quia quæ viuis veneratio Regibus antè
Contigerat, functis eadem iam munere lucis
Ceßit, & ad nigras altaria tranſtulit vrnas.

Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtiuus amor iuuenum, & deprenſa iugalis
Corruptela tori: quoniam regalibus aula
Feruere tunc vitijs ſolita eſt, nec perdita luxu
Diuorum ſoboles ſancti meminiſſe pudoris.
Atque vt Roma tuos cæleſti ex ſede parentes,
Queis te ſemideam iactant auctoribus ortam,
Mars. Venus. Iuno. Cybele. *Perſtringam breuiter, Gradiuum, vel Cytherea͂.*
Ille ſacerdotem violat: contrà illa marito
Succubuit Phrygio. coitus fuit impar vtrique.
Nec terreſtre Deam decuit mortalis inire
Coniugium, nec cælicolam deſcendere ephebum
Virginis ad vitium, furtiuóque igne calere.
Sed Venus auguſto de ſanguine fœmina, vili
Priuatóque viro vetitum per dedecus hæſit.
Et ſi Rhea ſacram laſciui Martis amore
Luſa pudicitiam, fluuiali amiſit in vlua:
Crediderim generoſæ aliquem ſtirpis, ſed eundem
Moribus infamem, compreſſa virgine per vim
Se dixiſſe Deum, ne ſtuprum Numinis vllus
Obijcere auderet turpi, miſeræque puellæ.
Hæc Italos induxit auos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent vt ſacra campo,
Vtque Palatinis Capitolia condita ſaxis
Signarent titulo proaui Iouis, atque Pelaſgæ
Palladis, & Libyca Iunonem ex arce vocarent.
Cognatos de Marte Deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Erycino è vertice ſignum.
Vtque Deûm mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur vt Orgia Naxo:
Facta eſt terrigenæ domus vnica maieſtatis,
Et tot templa Deûm Romæ, quot in vrbe ſepulcra
Heroum numerare licet. quos fabula Maneis
Nobilitat, noſter populus veneratus adorat.
Hos habuêre DEOS *Ancus, Numitor, Numa, Tull⁹.*
Talia Pergameas fugerunt Numina flamas.
Sic Veſta eſt, ſic Palladium, ſic vmbra Penatum,
Talis & antiquum terror ſeruauit Aſylum.

Vt ſemel obſedit gentilia pectora patrum Erroris cauſa.
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Aetatum per mille gradus. tener horruit heres,
Et coluit, quidquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant ataui. puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit: guſtauerat inter
Vagitus de farre molæ: ſaxa illita ceris
Viderat, vnguentóque Lareis humeſcere nigros.
Formatum fortunæ habitum cum diuite cornu,
Sacratúmque domi lapidem conſiſtere paruus
Spectarat, matrémque illic pallere precantem.
Mox humeris poſitus nutricis, triuit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris, puerilia vota
Fudit, opéſque ſibi cæca de rupe popoſcit,
Perſuaſumq́; habuit, quod quis velit, inde petēdū.
Nunquā oculos animūq́ue leuans rationis ad arcē
Rettulit: inſulſum tenuit ſed credulus vſum,
Priuatos celebrans agnorum ſanguine Diuos.
Iamq́ue domo egrediēs, vt publica feſta, diéſque,
Et ludos ſtupuit, celſa & Capitolia vidit,
Laurigeróſque Deûm templis adſtare miniſtros,
Ac ſacram reſonare viam mugitibus, ante
Delubrum Romæ (colitur nam ſanguine & ipſa Romæ ſimulacrum.
More Deæ, noménque loci, ceu Numen, habetur,
Atque vrbis, Veneríſque pari ſe culmine tollunt
Templa: ſimul geminis adolentur thura Deabus)
Vera ratus, quæcunque fiant auctore Senatu,
Contulit ad ſimulacra fidē, dominóſq́; putauit
Aetheris, horrifico qui ſtant ex ordine vultu.
Illic Alceides, ſpoliatis Gadibus hoſpes
Arcadiæ fuluo ære riget: gemini quoque fratres Gemini.
Corrupta de matre nothi, Ledeia proles,
Nocturníque equites, celſæ duo Numina Romæ
Impendent, retinéntque veru, magníque triūphi
Nuntia ſuffuſo figunt veſtigia plumbo.
Aſſiſtunt etiam priſcorum inſignia Regum, Italiæ Reges.
Tros Italus, Ianuſque bifrōs, genitorq́ue Sabinus,
Saturnúſque ſenex, maculoſo & corpore Picus,

Coniugis epotum ſparſus per membra venenum.
Omnibus ante pedes poſita eſt ſua cuique vetuſta
Arula. Iano etiam celebri de menſe litatur
Auſpicijs, epuliſque ſacris: quas inueterato,
Heu! miſeri ſub honore agitant, & gaudia ducũt
Feſta Kalendarum. ſic obſeruatio creuit,
Ex atauis quondam malè cœpta: deinde ſecutis
Tradita temporibus, ſeriſque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconſulta catenam,
Móſque tenebroſus vitioſa in ſæcula fluxit.
Auguſtus. Hunc morem veterum docili iam ætate ſecuta
Poſteritas, menſe, atque adytis, & flamine, & aris
Auguſtum coluit, vitulo placauit, & agno.
Strata ad puluinar iacuit, reſponſa popoſcit.
Teſtantur tituli, produnt conſulta Senatus,
Cæſareum Iouis ad ſpeciem ſtatuentia templum.
Liuia. Adiecêre ſacrum, fieret quo Liuia Iuno,
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quàm cùm fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuauerat aluum,
Conceptamque viri ſobolem paritura gerebat.
Pronuba, iam grauidæ fulcrum geniale paratur:
Iam ſponſus, ſaliente vtero nubentis, amicos
Aduocat, haud ſterilẽ certus fore iam ſibi pactã.
Vitricus antè venit tardum præferuidus ortum
Priuigni nondum geniti: mox editur inter
Feſcenina nouo proles aliena marito.
Idque Deûm ſortes, & Apollinis antra dederũt
Conſilium: nunquam meliùs nam cedere tedas
Reſponſum eſt, quàm cùm prægnans noua nupta iugatur.
Hanc tibi, Roma, Deam titulis, & honore ſacratam,
Perpetuò Floras inter, Veneréſque creaſti.
Nec mirum: quis enim ſapiens dubitauerat illas
Mortali de ſtirpe ſatas vixiſſe, & eaſdem
Laude venuſtatis claras, in amoribus vſque
Ad famæ excidium formæ nituiſſe decore?
Hadrianus, & Antinous. Quid loquar Antinoum cæleſti [a] ſede locatum?
Illum delicias nunc Diui Principis: illum

a In ſede.

Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili,
Hadrianique Dei Ganymedem, non cyathos Dijs
Porgere: ſed medio recubantem cum Ioue fulcro,
Nectaris ambroſij ſacrum potare Lyæum,
Cumque ſuo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auſpicibus, Traianus, Nerua, Seuerus,
Et Titus, & fortes geſſerunt bella Nerones:
Quos terrena viros illuſtreis gloria fecit,
Et virtus fragilis prouexit in ardua famæ
Adſcitæ terris, ſub relligione iacenteis.
Quam pudet hoc illis perſuaſum, talibus vt ſe,
Romanasque acies conſerent Martis amore
Poſſe regi, dum ſe Paphiæ malè blandus adulter
Venditat, Aeneadáſque ſuos ſucceſsibus auget.
Felices, ſi cuncta Deo ſua proſpera Chriſto
Principe diſpoſita ſciſſent, qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorúmque triumphis
Creſcere, & impletis voluit ſe infundere ſaclis:
Sed caliganteis animas, & luce carenteis,
In Iouis, Auguſtique adytis, templíſque duarum
Iunonum, Martíſque etiam, Veneríſque ſacellis
Mactatas, tetro lethi immerſere Barathro,
Supremum regimen craſsis in partibus orbis
Eſſe rati, merſoque poli conſiſtere fundo.
Quidquid humus, [a] pelagus, cælum mirabile gignunt, Elementa a quidquid pelagus mir.
Id duxere Deos: colleis, freta, flumina, flamas.
Hæc ſibi per varias formata elementa figuras
Conſtituere patres, hominúmque vocabula mutis
Scripſerunt ſtatuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel Cyaneas caua flumina Nymphas,
Vel ſiluas Dryadas, vel deuia rura Napæas.
Ipſe ignis, noſtrum factus qui ſeruit ad vſum,
Volcanus perhibetur, & in virtute ſuperna
Fingitur, ac delubra Deus, & nomine & ore
Adſimulatus habet, nec non regnare caminis
Fertur, & Aeolia ſummus faber eſſe, vel Aetnæ.
Eſt, qui conſpicuis Superos quæſiuit in aſtris,
Auſus habere Deum Solem: cui tramite certo Sol.

Conditio impoſita eſt, vigilem tolerare laborem,
Viſibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretíque globo per inane volantem,
Et, quod nemo negat, mundo, cælóque minorem.
Area maior enim, quàm qui percurrit in illa,
Et longè campi ſpatium diffuſius, in quo
Emicat, ac volucri feruens rota voluitur axe.
a breuiore. *Quamuis non nullus placeat, terram* [a] *breuiorem*
Dicere circuitu, quàm ſit pulcerrimus ille
Circulus, & flamas immenſi ſideris, vltra
Telluris normam, porrecto extendere gyro.
Núm ne etiam cæli minor, & contractior orbis:
Cuius planiciem longo tranſmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus: quo non eſt grandior vlla
Materies, qui fine caret, qui præſidet omni
Naturæ, qui cuncta ſimul concludit, & implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus varijs diſtinguitur: aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu, latet aut ſub nocte recurrens:
Nec torquere facem potis eſt ad ſigna Trionum,
Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec ſolitum conuerſus iter reuocare retrorſum.
Hic erit ergo Deus præſcriptis lege ſub vna
Deditus officijs? libertas laxior ipſi
Conceſſa eſt homini: formam cui flectere vitæ,
Atque voluntatis licitum eſt, ſeu tramite dextro
Scandere, ſeu læuo malit decurrere campo,
Sumere ſeu requiem, ſeu continuare laborem,
Seu parere Deo, ſiue in contraria verti.
Iſta miniſtranti regimen ſollenne dierum,
Haudquaquam Soli datur à factore poteſtas:
Sed famulus ſubiectus agit, quodcũque neceſſe eſt.
Hoc ſidus, currum, rapidaſque agitare quadrigas
Commenti, & capitis radios, & verbera dextræ,
Et frenos, phaleráſque & equorũ pectora anhela
Aeris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Iuſſerunt nitido fulgere polita metallo.

Poſt trabeas,

Poſt trabeas, & eburnam aquilam, ſellámque curulem,
Cernuáque ora ſenex barbatus, & oſcula figit
Cruribus [a] ænipedum, ſi fas eſt credere, equorum: a æripedum.
Immotáſque rotas, & flecti neſcia lora
Aut ornat redimita roſis, aut thure vaporat.
Hoc tamen vtcunque eſt tolerabile. quid, quod & ipſæ Lolia.
Dant tibi, Roma, Deos inferni gurgitis vmbræ?
Eumenidum domina Stygio caput exſerit antro,
Rapta ad Tartarei thalamum Proſerpina Regis,
Et, ſi quando ſuos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ ſterilis ceruice reſecta,
Et regnare ſimul cælóque, Ereboque putatur:
Nunc bijugas frenare boues, nunc ſæua ſororum
Agmina vipereo ſuperis immittere flagro,
Nunc etiam volucres caprearum in terga ſagittas
Spargere, terque ſuas eadem variare figuras.
Denique cùm Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu:
Cùm ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt:
Cùm ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniux,
Imperitat Furijs, & dictat iura Mageræ.
Si verum quæris: Triuiæ ſub nomine Dæmon
Tartareus colitur: qui te modò raptat ad æthram,
Sidereóque Deum venerandum ſuadet in aſtro:
Per ſiluas modò mortiferi diſcurrere mundi,
Erroréſque ſequi ſubigit, nemorúmque putare
Eſſe Deam, quæ corda hominum pauitantia figat,
Quæque feras perimat lethali vulnere menteis:
Depreſſos modò ſubter humum formidine ſenſus
Obruit, implorent vt Numina lucis egena,
Séque poteſtati committant noctis opertæ.
Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis: Dis.
Cui cadit infauſta fuſus gladiator arena.
Heu, male luſtratæ Phlegethontia victima Romæ.
Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
Quid mortes iuuenum? quid ſanguine paſta voluptas?
Quid puluis caueæ ſemper funebris, & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Nempe Charon, iugulis miſerorum ſe duce dignas

Accipit inferias, placatus crimine ſacro.
Hæ ſunt deliciæ Iouis infernalis: in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit Auerni.
Nón ne pudet Regem populis, ſceptríſque potentẽ
Talia pro patriæ cenſere litanda ſalute?
Relligionis opem ſubternis poſcere ab antrũ?
Euocat, heu, pœnis tenebroſa ex ſede miniſtrum
Interitus, ſpecioſa hominum cui funera ſoluat.
Incaſſum arguere iam Taurica ſacra ſolemus:
Funditur humanus Latiari in munere ſanguis,
Conſeſſúſque ille ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera vota ſui. quid ſanctius ara,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?
An nè fides dubia eſt tibi, ſub caligine cæca
Eſſe Deum. quem tu tacitis vimeris in vmbris?
Ecce Deos maneis cur inficiaris haberi?
Ipſa patrũ monumenta probãt: Dijs Manibus illic
Marmora ſecta lego, quacunque Latina vetuſtos
Cuſtodit cineres, denſiſque Salaria buſtis.

Roma ad Chriſtum conuerſa

Dic quibus hunc ſcribis titulum: niſi quod truci Orci
Imperium, veræ ceu maieſtatis, adoras?
En quibus implicita ſqualebat regia ſummi
Imperij, tractis maiorum ab origine ſacris.
Cùm Princeps gemini bis victor cæde tyranni
Pulcra triumphali reſpexit mœnia vultu:
Nubibus obſeſſam nigrantibus adſpicit vrbem,
Noctis obumbratæ caligine. turbidus aër
Arcebat liquidum ſeptena ex arce ſerenum:
Ingemuit miſerans, & ſic ait. exue triſteis
Fida parens habitus: equidem prædiuite cultu
1 *Illuſtrata cluis, ſpoliiſque inſigne ſuperbis*
Attollis caput, & multo circumflua auro.
Sed nebulis propter volitantibus, obſitus alti
Verticis horret apex: ipſas quoque liuida gemmas
Lux hebetat, ſpiſſúſque dies, & fumus ob ora
Suffuſus, rutilum frontis diadema retundit.
Obſcuras video tibi circumferrier Vmbras,
Cæruleáſque animas, atque idola nigra volare.

Cenſeo ſublimem tollas ſuper aëra vultum,
Sub pedibúſque tuis nimboſa elementa relinquas.
Omne, quod ex mundo eſt, tibi ſubiacet: hoc Deus ipſe
Conſtituit: cuius nutu dominarer, & orbi
Imperitas, & cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, vt ſummiſſa oculos Regina caducum
Contemplere ſolum, maieſtatémque requiras
Circa humileis rerum parteis, quibus ipſa ſuperſtas.
Non patiar, veteres teneas vt me duce nugas,
Vt carioſorum venereris monſtra Deorum.
Si lapis eſt, ſenio diſſoluitur, aut crepat ictu
Percuſſus tenui: mollis ſi bractea gypſum
Texerit, infido rareſcit glutine ſenſim.
Si formam ſtatuæ lamnis commiſit aënis
Lima terens: aut in partem caua membra grauato
Pondere curuantur, ſcabra aut ærugo pereſam
[a] Conficit effigiem, crebróque foramine rumpit. a Contegit.
Nec tibi terra Deus, cæli nec ſit Deus aſtrum,
Nec Deus Oceanus, nec vis quæ ſubter operta eſt,
Infernis triſte ob meritum damnata tenebris.
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spirituúmve, vagæ tenui ſub imagine formæ.
Abſit vt Vmbra Deus tibi ſit, [b] Genius ve, locus ve, b lucus, Genius ve,
Aut Deus aëreas volitans phantaſma per auras,
Sint hæc Barbaricis Gentilia Numina pagis:
Quos penes omne ſacrum eſt, quidquid formido tremendum
Suaſerit: horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monſtra Deos, quos ſanguinolentus edendi
Mos iuuat, vt pinguis luco lanietur in alto
Victima, viſceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges, ac iura dediſti
Gentibus, inſtituens magnus quà tenditur orbis,
Armorum, morúmque feros manſueſcere ritus,
Indignum, ac miſerum eſt, in relligione tenenda
Hoc ſapere, immanes populi de more ferino
Quod ſapiunt, nulláque rudes ratione ſequuntur.
Seu nos procinctus maneat, ſeu pace quietas
Dictemus leges, ſeu debellata duorum

Colla tyrannorum media calcemus in vrbe:
Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt:
In quibus effigies crucis,aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.
Hoc ſigno,inuictus tranſmiſſis Alpibus vltor
Crucis potentia. *Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus:*
Cùm te peſtifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum,
Vt ſcis ipſa,patres.aut ſponſus fœdera pactæ
Intercepta gemens,diróque ſatellite raptã,
Immerſus tenebris dura inter vincla luebat:
Aut ſi nupta torum Regis conſcendere iuſſa,
Cœperat impurum domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum,patrúmque ergaſtula ſæui
Principis.abducta genitor ſi virgine muſſans
Triſtiùs ingemuit:non ille impunè dolorem
Prodidit,aut confeſſa nimis ſuſpiria traxit
Vim libertatis nimiæ,patriúmque dolorem,
Teſtis Chriſticolæ Ducis aduentantis ad vrbem
Miluius,exceptum Tiberinis in ſtagna tyrannum
Præcipitans, quánam victricia viderit arma
Maieſtate regi,quod ſignum dextera vindex
Prætulerit,quali radiarint ſtemmate pelta:
Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum,clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.
Ipſe Senatorum meminit clariſſimus ordo,
Qui tunc concreto proceſſit crine,catenis
Squalens carcereis,aut nexus compede vaſta,
Complexúſque pedes victoris,ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens.tunc ille Senatus
Militiæ vltricis titulum,Chriſtíque verendum
Nomen adorauit,quod collucebat in armis.
Ergo caue,egregium caput orbis,inania poſthac
Prodigia,& Laruas ſolito tibi fingere cultu,
Atque experta Dei virtutem ſpernere veri.
Deponas iam feſta velim puerilia,ritus

Ridiculos, tantóque indigna ſacraria regno.
Marmora tabenti reſpergine tincta lauate
O proceres: liceat ſtatuas conſiſtere puras
Artificũ magnorũ opera. hæc pulcerrima noſtræ
Ornamenta cluant patriæ, nec decolor vſus
In vitium verſæ monumenta coinquinet [a] artis. [a] arcis.
Talibus edictis vrbs informata refugit
Errores veteres, & turbida ab ore vieto
Nubila diſcuſſit, iam nobilitate parata
Aeternas tentare vias, Chriſtúmque vocantem
Magnanimo ductore ſequi, & ſpẽ mittere in æuũ.
Tunc primùm ſenio docilis, ſua ſæcula Roma
Erubuit: pudet exacti iam temporis: odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox vbi contiguos foſſis muralibus agros
Sanguine iuſtorũ innocuo maduiſſe recordans,
Inuidioſa videt tumulorum millia circum:
Triſtis iudicij mage pænitet, ac ditionis
Effrenis, nimi æque ſacris pro turpibus iræ.
Compenſare cupit teterrima vulnera læſæ
Iuſtitiæ, ſero obſequio, veniáque petenda,
Ne tanto imperio maneat pietate repulſa
Crimen ſæuitiæ, monſtrata piacula quærit,
Inque fidem Chriſti pleno transfertur amore:
Laurea victoris Marij minus vtilis vrbi,
Cùm traheret Numidã populo plaudẽte Iugurthã:
Nec tantum Arpinas Conſul tibi, Roma, medelæ
Contulit, exſtincto iuſta inter vincla Cethego,
Quantum præcipuus noſtro ſub tempore Princeps
Proſpexit tribuitque boni. multos Catilinas
Ille domo pepulit: non ſæua incendia tectis,
Aut ſicas patribus, ſed Tartara nigra animabus,
Internóque hominum ſtatui tormenta parantes.
Errabant hoſtes per templa, per atria paſſim,
Romanúmque forum, & Capitolia celſa tenebãt:
Qui coniuratas ipſa ad vitalia plebis
Moliti inſidias, intus ſerpente veneno
Conſuerant tacitis peſtem miſcere medullis.

Ergo triumphator latitanti ex hoſte togatus,
Clara tropæa refert ſine ſanguine, remq́ Quirini
Aſſueſcit ſupero pollere in ſæcula regno.
Denique nec metas ſtatuit, nec tempora ponit:
Imperium ſine fine docet, ne Romula virtus
Iam ſit anus, norit ne gloria parta ſenectam.
Exſultare patres videas, pulcerrima mundi
Lumina, conciliúmque ſenum geſtire Catonum,
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere, & exuuias deponere pontificales.
Iamq́ue ruit, paucis Tarpeia in rupe relictis
Ad ſincera virûm penetralia Nazareorum,
Atque ad Apoſtolicos Euandria Curia fonteis,
Anniadum ſoboles, & pignora clara Proborum:
Fertur enim ante alios generoſus Anicius, vrbis
Illuſtraſſe caput. ſic ſe Roma inclyta iactat.
Quin & Olybriaci generiſque, & nominis heres
Adiectus faſtis, palmata inſignis abolla,
Martyris ante fores Bruti ſummittere faſceis
a Ambiet. [a] *Ambit, & Auſoniã Chriſto inclinare ſecurim.*
Non Paulinorum, non Baſſorum dubitauit
Promta fides dare ſe Chriſto, ſtirpémque ſuperbã
Gentis patriciæ venturo attollere ſæclo.
Iam quid poplicolas percurram carmine Graccos,
Iure poteſtatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, ſimulacra Deûm iuſsiſſe reuelli,
Cumq́ue ſuis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Chriſto ſe conſecraſſe regendos?
Sexcentas numerare domos de ſanguine priſco
Nobilium licet ad Chriſti ſignacula verſas,
Turpis ab idolij vaſto emerſiſſe profundo.
Si perſona aliqua eſt, aut ſi ſtatus vrbis in his eſt:
Si formam patriæ facit excellentior ordo:
Hi faciunt, iuncta eſt quoties ſententia plebis,
Atque vnum ſapiunt plures, ſimul ac potiores.
Reſpice ad illuſtrem, lux eſt vbi publica, cellam,
Vix pauca inuenies Gentilibus obſita nugis
b obſtrictos. *Ingenia,* [b] *obtritos ægrè retinentia cultus,*

Et quibus exactas placeat ſeruare tenebras,
Splendentémque die medio non cernere Solem.
Poſt hinc ad populum conuerte oculos:quota pars eſt,
Quæ Iouis infectam ſanie non deſpuit aram?
Omnis qui celſa ſcandit cenacula vulgus,
Quíque terit ſilicem varijs diſcurſibus atram,
Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis:
Aut Vaticano tumulum ſub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obſes:
Cœtibus aut magnis Laterani accurrit ad ædes,
Vnde ſacrum referat regali chriſmate ſignum,
Et dubitamus adhuc Romam tibi, Chriſte, dicatã
In leges tranſiſſe tuas?omníque volentem
Cum populo, & ſummis cũ ciuibus ardua magni
Iam ſuper aſtra poli terrenum extendere regnum?
Nec moueor, quòd pars hominũ rariſsima clauſos
Non aperit ſub luce oculos, & greſsibus errat.
Quamlibet illuſtres meritis, & ſanguine clari
Præmia virtutum titulis, & honoribus aucti
Ardua rettulerint, faſtorúmque arce potiti
Annaleis proprio ſignarint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur, & ære:
Attamen in paucis iam deficiente caterua,
Nec perſona ſita eſt patriæ, nec Curia conſtat,
Et quodcunque fouet ſtudij priuata voluntas,
Ac iam rara tenet: ſed publica vota reclamant,
Diſſenſu celebri trepidum damnantia murmur.
Si conſulta Patrum ſubſiſtere conſcriptorum,
Non aliter licitum priſco ſub tempore, quàm ſi
Tercentum ſenſiſſe ſenes legerentur in vnum:
Seruemus leges patrias: infirma minoris
Vox cedat numeri, paruáque in parte ſileſcat.
Adſpice quàm pleno ſubſellia noſtra Senatu
Decernant infame Iouis puluinar, & omne
Idolium, longè purgata ex vrbe fugandum.
Quà vocat egregij ſententia Principis, illac
Libera cùm pedibus, tum corde frequẽtia tranſit.
Nec locus inuidiæ eſt, nullum vis aſpera terret,

Ante oculos ſic velle patet, cunctíque probatum,
Non iuſſum, ſola capti ratione ſequuntur.
Denique pro meritis terreſtribus æqua rependens
Munera ſacricolis, ſummos impertit honores
Dux bonus, & certare ſinit cum laude ſuorum:
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet: quoniam cæleſtia nunquam
Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant.
Ipſe magiſtratum tibi Conſulis, ipſe tribunal
Contulit, oratúmque togæ donauit amictum,
Cuius relligio tibi diſplicet. ô pereuntûm
Aſſertor Diuûm: ſolus qui reſtituendos
Volcani, Martíſque dolos, Veneríſque perorat,
Saturníque ſenis lapides, Phœbíque furores:
Iliacæ matris Megaleſia, Bacchica Niſi,
Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſirim
Mimicáque, & ridenda ſuis ſollennia caluis,
Et, quaſcunque ſolent Capitolia claudere, Laruas.
O linguam miro verborum fonte fluentem!
Romani decus eloquij, cui cedat & ipſe
Tullius, has fundit diues facundia gemmas!
Os dignum, æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum: cui ſordida monſtra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter, quàm ſi raſtris quis tentet eburnis
Cœnoſum verſare ſolum, limóque madenteis
Excolere aureolis ſi fortè ligonibus vluas,
Splendorem dentis nitidi ſcrobis inquinat atra,
Et pretioſa acies ſqualenti ſordet in aruo.
Non vereor, ne me nimium confidere quiſquam
Arguat, ingeniíque putet luctamen inire.
Sum memor ipſe mei, ſatis & mea friuola noui:
Non auſim conferre pedem, nec ſpicula tantæ
Indocilis fandi coniecta laceſſere linguæ.
Illæſus maneat liber, excellénſque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam:
Sed liceat tectum ſeruare à vulnere pectus,
Oppoſitáque volans iaculum depellere parma.

Nam ſi

Nam ſi noſtra fides ſæclo iam tuta quieto,
Viribus infeſtis, hoſtilique arte petita eſt:
Cur mihi fas non ſit, lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſas iactu pereunte ſagittas?
Sed iam tempus, iter longi cohibere libelli,
Ne tractum ſine fine ferat faſtidia carmen.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, CONTRA L. AVRELIVM AVIANIVM SYMMACHVM vrbi Præfectum, in lib. II.

PRÆFATIO.

Genus carminis ſimile illi, Inſignem meritis virum.

SIMON, *quem vocitant Petrum,*
Summus diſcipulus Dei,
Lucis fortè ſub exitu,
Cùm Veſper croceus rubet,
Curuam auulſerat ancoram,
Captans flamina linteis,
Et tranſnare volens fretum:
Nox ventum mouet obuium.
Fundo qui mare miſceat,
Iactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens, atque vlulans ferit,
Cum ſtridore rudentium:
Nec quidquam ſuberat ſpei,
Mergendis propè naufragis,
Cum Chriſtum procul adſpicit
Pallens turba periculis,
Calcantem pedibus mare,

Vu

Calcantem pedibus mare.
Ac ſi per ſolidam viam,
Siccum litus obambulet.
Hæc miracula ceteri
Vectores pauidi ſtupent.
Solus non trepidus Petrus
Agnoſcit Dominum poli,
Terræque,& maris inuij:
Cuius cunctipotentiæ eſt
Plantis æquora ſubdere.
Tendit ſuppliciter manus,
Notum ſubſidium rogat.
Aſt ille placidè annuens,
Puppi vt deſiliat iubet.
Iuſſus obſequitur Petrus:
Sed vaſtigia fluctibus
Summis tingere cœperat,
Et lapſante gradu pedes
Peſſum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Qui ſit non ſtabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Chriſtum valeat ſequi.
Tum dextra famulum leuat,
Siſtitque,& docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me tuta ſilentia
Egreſſum,dubijs loquax
Infert lingua periculis:
Non vt diſcipulum Petrum
Fidentem merito,& fide:
Sed quem culpa frequens,leuem
Voluat per freta naufragum.
Sum planè temerarius,
Qui noctis mihi conſcius,
Quam vitæ in tenebris ago
Puppim credere fluctibus
Tanti non timeam viri:

Quo nunc nemo diſertior:
Exſultat, fremit, intonat,
Ventíſque eloquij tumet:
Cui merſare facillimum eſt
Tractandæ indocilem ratis:
Ni tu Chriſte potens, manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris vt impetus
Non me fluctibus obruat.
Sed ſenſim gradiens, vadis
Inſiſtam fluitantibus.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS, CONTRA L. AVRELIVM AVIANIVM SYMMACHVM, LIB. II.

HACTENVS *& veterum cunabula prima Deorum,*
Et cauſſas, quibus error hebes conflatus in orbe eſt,
Diximus, & noſtro Romam iàm credere Chriſto:
Nunc obiecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Vnde igitur cœpiſſe ferunt, aut ex quibus orſum,
Quo mage ſancta Ducum corda illice flecteret arte?

SYMMACHVS.

QVIS ita familiaris eſt Barbaris, vt aram Victoriæ non requirat? Cauti in poſterum ſumus, & talium rerum oſtenta vitamus. Reddatur tamen nomini honor, qui Numini denegatus eſt. Multa Victoriç debet æternitas veſtra, & adhuc plura debebit. Auerſantur hanc poteſtatem; quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium nolite deſerere. Cunctis potentia iſta votiua eſt. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam.

PRVDENTIVS.

Armorum dominos vernanteis flore iuuentæ,
Inter caſtra patris genitos, ſub imagine auita
Eductos, exempla domi congeſta * *tenenteis* — a colenteis.
Orator catus inſtigat, ceu claſſica belli

Clangeret, exacuítque animos, & talia iactat.
Si vobis vel parta, viri, Victoria cordi eſt,
Vel parienda dehinc: templũ Dea virgo ſacratum
Obtineat, vobis regnantibus. ecquis amicus
Hoſtibus, hanc ſanctè veſtro negat eſſe colẽdam
Imperio: cui ſemper adeſt, quod laudibus implet?
Hæc vbi legatus: reddunt placidiſſima fratrum
Ora Ducum: Scimus quàm ſit Victoria dulcis
Fortibus, Auſoniæ vir facundiſſime linguæ:
Sed quibus illa modis, qua ſit ratione vocanda
Nouimus. hac primùm pueros pater imbuit arte:
Hanc genitore ſuo didicit puer ipſe magiſtro.
Non aris, non farre molæ Victoria fœlix
Exorata venit: labor impiger, aſpera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt. durum tractãdis robur in armis:
Quæ ſi defuerint bellantibus, aurea quamuis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
Explicet, & multis ſurgat formata [a] talentis: a metallis:
Non aderit, verſiſque offenſa videbitur haſtis.
Quid, miles, proprijs diffiſus viribus, optas
Irrita femineæ tibimet ſolatia formæ?
Numquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? ſua dextera cuiq; eſt,
Et Deus omnipotens: non pexo crine virago,
Nec nudo ſuſpenſa pede, ſtrophióque recincta,
Nec tumidas fluitante ſinu veſtita papillas.
Aut vos pictorum docuit manus, adſimulatis
Iure Poetarum Numen componere monſtris:
Aut lepida ex veſtro ſumſit pictura ſacello,
Quod varijs imitata notis, ceráque liquenti
Duceret in faciem, ſociíque poematis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic vnum ſectantur iter, [b] & inania rerum b ſic caſſa figuris.
Somnia concipiunt & Homerus, & acer Apelles,
Et Numa, cognatúmque [c] malum pigmenta, Camena. c volunt.
Idola conflauit fallendi docta poteſtas.

Hæc ſi non ita ſunt:edatur,cur ſacra vobis
Ex tabulis ceriſque poetica fabula præſtet?
Cur Berecyntiacus perdit truncata ſacerdos
Inguina,cùm pulcer ſeſe caſtrauerit Atys?
Cur etiam templo Triuiæ,luciſque ſacratis
Cornipedes arcentur equi,cùm Phædra pudicum
Raptarit iuuenem volucri per litora [a] *curru,* a curſu.
Idque etiam paries tibi verſicoloribus adumbret?
Deſine ſi pudor eſt,gentilis ineptia,tandem
Res incorporeas ſimulatis fingere membris.
Deſine,terga hominis plumis obducere fruſtra:
Fertur auis mulier,magnusq; eadem Dea vultur.
Vis decorare tuum,ditiſſima Roma, Senatum?
Suſpende exuuias armis,& ſanguine [b] *captas,* b raptas.
Congere cæſorum victrix diademata Regum,
Frange repulſorum fœda ornamenta Deorum:
Tunc tibi non terris tantùm Victoria parta,
Sed ſuper aſtra etiam media ſeruabitur æde.
Talia Principibus dicta interfantibus,ille
Proſequitur,magniſque tubam concentibus inflat:
Allegat morem veterum:nil dulcius eſſe
Affirmat ſolitis,populóſque hominéſque teneri
Lege ſua. ſicut variæ naſcentibus,inquit,
Contingunt pueris animæ:ſic vrbibus adfert
Hora diéſq; ſuum,cùm primùm mœnia ſurgunt,
Aut fatũ,aut Geniũ,cuius moderamine regnent,
Addit & arcanum rerum,veríque latebras
Proſperitate aliqua deprendi poſſe,ſecundi
Per documenta boni:ſi ſint fœlicia,quæ quis
Experiendo probet.ceſſiſſe parentibus omne
Idolium ſemper fœliciter,& pede dextro
Enumerat longi vim temporis: excitat ipſam
Crinibus albentem niueis,& fronte victam,
Ore repoſcentem querulo ſua Numina Romam.
Libera ſum,liceat proprio mihi viuere more.
Ecquis erit,qui mille meos reprehenderit annos?
Vno omnes ſub Sole ſiti:vegetamur eodem
Aere: communis cunctis viuentibus aura.

Sed, qui ſit, qualíſque Deus diuerſa ſecuti
Quærimus, atque vijs longè diſtantibus, vnum
Imus ad occultum. Proprius genti cuique eſt mos:
Per quod iter properans eat ad tam grande profundum.
His tam magnificis, tantáque fluentibus arte,
Reſpondet vel ſola fides, doctiſſima primum
Pandere veſtibulum veræ ad penetralia ſectæ.
Nam, cùm diuinis agimus de rebus, & illum,
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quíque Chao anterior fuerit, mundúmque crearit,
Conectare animo contendimus, exigua eſt vis
Humani ingenij, tantoque anguſta labori:
Quippe minor natura, aciem ſi intendere tentet
Acriùs, ac penetrare Dei ſecreta ſupremi.
Quis dubitet victo fragilem laſſeſcere viſu;
Vimque fatigatæ mentis ſub pectore paruo
Turbari, inualidiſque hebetem ſuccumbere curis?
Sed facilis fidei via prouocat Omnipotentem
Credere: qui bona non tantùm præſentia donat:
Sed ventura etiam, longíſque intermina ſæclis
Promittit, ne totus eam reſolutus inane
In nihilum, pereamque breuem poſt luminis vſum.
Muneris auctores ipſo de munere pendas.
Aeterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis: diuina Deus, peritura caducus.
Omnia quæ tempus peragit, quæque exitus aufert,
Vilia ſunt breuitate ſui, nec digna perenni
Largitore: cui propria eſt opulentia, nunquam
a atque. *Deſinere,* [a] *idque homini dare, quod non deſinet vnquam.*
Nam ſi corruptum corrupendúm ve Deus quid
Præſtat, habetque nihil quod ſit pretioſius iſtis:
Pauper, & infirmus, ſummóque indignus honore,
Et non omnipotens, ſed inanis Numinis vmbra eſt.
Hac ratione fides ſapienter conijcit, immo
Non dubitat verum eſſe Deum: qui, quod ſumus, & quod
Viuimus, illæſum ſemper fore, ſi mereamur,
Nos ſperare iubet. cæleſtia, ſi placet, inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.

Nam quantùm ſubiecta polo tellus iacet infra,
Diuiditúrque ab humo conuexi regia cæli:
Tantùm veſtra meis diſtant mundana futuris,
Dira bonis, ſcelerata piis, tenebroſa ſerenis.
Quidquid obire poteſt fugiatis cenſeo: quidquid
Naturæ ratione capit vitium, atque ſeneſcit,
Pro nihilo, in nihilum, quia ſunt reditura, putetis.
Cuncta quidem quæ gignit humus, quæ continet, ipſe
Principio inſtitui, nitidóque inſignia mundo
Ornamenta dedi, ſpecioſáque ſemina finxi.
Sed tamen eſſe modum volui, parcíſque fruenda
Moribus indulſi, quantum moribundus, & æger
Corporis, ac vitæ volucris ſibi poſceret vſus:
Non vt captus homo ſtudiis, & inaniter ardens,
Duceret omne bonum poſitum in dulcedine rerum,
Et [a] ſpecies tenueis, quas currere tempore iuſſi, a ſpecie tenui.
Atque æuum ſtatui, ſub quo generoſa probarem
Pectora, ne torpens, & non exercita virtus,
Robur eneruatum gereret ſine laude palæſtræ.
Illecebroſus enim ſapor eſt, & peſtifer horum,
Quæ dum prætereunt, miro oblectamine menteis
Implicitas vinctáſque tenent: vincenda voluptas,
Elaqueanda animæ conſtantia, ne retinaclis
Mollibus, ac lentis nexa, & captiua prematur.
Luctandum ſummis conatibus: inter acerba
Sectandum virtutis iter: ne ſuauia fluxæ
Conditionis amet nimium: ne congerat aurum,
Nec varios lapidum cupidè ſpectare colores
Ambitioſa velit: ne ſe popularibus auris
Oſtentet, pulcróque inflata tumeſcat honore;
Ne natale ſolum, patrij ne iugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat ſenſibus omne
Quod vult, aut quod agit. ne præferat vtile iuſto,
Spémque [b] ſuam in me omnem ſtatuat. nunquam peritura, b in me me.
Quæ dedero, longóque die mea dona manebunt.
Hæc igitur ſpondente Deo, quis fortis, & acer,
Virtutíſque capax, breue quídque perennibus in ſe-

Prætulerit? vel quis ſapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quàm viuæ præmia mentis?
Nónne hominem, ac pecudem diſtantia ſeparat vna:
Quòd bona quadrupedum ante oculos ſita ſunt? ego contrà
Spero, quod extra aciem longum ſeruatur in æuum.
Nam ſi tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit ſupereſſe meum poſt funera quidquam.
Quis mihi regnator cæli? quis conditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iam meritò metuenda poteſtas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus:
Inceſtabo toros: ſacrum calcabo pudorem:
Inficiabor habens aliquod ſine teſte propinqui
Depoſitum. tenueis auidus ſpoliabo clienteis:
Longæuam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus dominum dilata morte ſecundum.
Nec formido malum: falluntur publica iura.
Lex armata ſedet: ſed neſcit crimen opertum.
Aut ſi res pateat, Iudex corrumpitur auro.
Rara reos iuſta percellit pœna ſecuri.
Sed quid ego hæc meditor? reuocat Deus ecce ſeuera
Maieſtate minax: negat interitura meorum
Per mortem monumenta operum. non occidet, inquit,
Interior qui ſpirat homo: luet ille perenne
Supplicium, quòd ſubiectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile eſt liquidam circundare flamis
Naturam, quamuis perflabilis illa feratur
More Noti: capiam tamen, & tormenta adhibebo
Ipſe incorporeus, ac ſpirituum ſator vnus.
Quin & corporibus parilis conſortia pœnæ
Decernam: poſſum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem. nec deſperanda poteſtas.
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non deſunt exempla meæ virtutis. in ipſis
Seminibus natura docet reuireſcere cuncta
Poſt obitum: ſiccantur enim pereunte vigore,
Quo vixêre priùs. tunc ſicca & mortua ſulcis,
Aut foueis mandata latent, & more ſepulcri
Obruta, de tumulis rediuiuo germine ſurgunt.

Nunquid

Nunquid noſſe potes, vel coniectare, quis iſtud
Tam ſollers opifex ſtruat? aut quæ vis agat intus?
Nil vos ô miſeri Phyſicorum dogmata fallant.
En ego gignendi Dominus, ac reſtituendi
Quod peryt, fluxítque, potens: arentia quæque
In veteres formas aut flore, aut fronde reduco.
Idque ipſum quandoque homini facturus, inani
Surgat vt ex cinere, ſtructuráque priſtina cõſtet:
Quæ mihi pro meritis vel per tormenta rependat
Crimina vel ſummæ virtutis in arce coruſcet,
Non peritura debinc quacunque in ſorte manebit.
Intereà, dum miſta viget ſubſtantia in vnum,
Sit memor auctoris proprij, veneretur, & oret
Artificem ſummiſſa ſuum. non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter.
Nec bona præſentis vitæ numeroſa gubernant
Numina. non alius ſegetes, & ſpicea farra
Suppeditat Deus: aut alius dat muſta racemis,
Purpureúmque graui fundit de palmite ſuccum.
Ipſe ego ſum, virideis oleas pingueſcere baccis
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo naſcentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera ſexus
Gignere amat ſobolẽ, generiſq; propagine gaudet.
Quem vos laſciuis violatis amoribus ignem,
Et ſtupra veſtra Deæ Veneris prætexitis vmbra.
Vnus ego [a] *ipſe elementa rego, nec mole laboris* a hæc.
Vt miſer infirmús ve aliquis, fragilís ve fatigor.
Lux immenſa mihi eſt, [b] *nec morte ſolubilis ætas,* b & non reſolubilis.
Senſibus & veſtris haud intellecta vetuſtas.
Inde miniſterijs ad tot moderamina mundi
Non egeo, nec participes, ſociós ve requiro.
Porro autem Angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, noſſe meum eſt, & quæ natura creatis
Subſiſtat, qualeiſque mihi ſeruentur ad vſus.
Tu me præterito, meditaris Numina mille:
Quæ ſimules parere meis virtutibus, vt me
Per varias parteis minuas: cui nulla recidi

Pars, aut forma poteſt: quia ſum ſubſtantia ſimplex,
Nec pars eſſe queo. ſolis diuiſio rebus
Compoſitis, factiſque ſubeſt. me nemo creauit,
Vt ſcindi valeam, cunctorum conditor vnus.
Crede, quod ex nihilo formaui, pars mea non eſt.
Quare agè mortalis, ſoli mihi conſtrue templum,
Méque vnum venerare Deum. cæmenta remitto,
Et quæ ſaxa Paros ſecat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculoſaque Synnas.
Natiuum nemo ſcopuli mihi dedicet oſtrum,
Templum mentis amo, non marmoris, aurea in illo
Fundamenta manent fidei: ſtructura niuali
Conſurgit pietate nitens: tegit ardua culmen
Iuſtitia: interius ſpargit ſola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, & atria ſeruat.
Hæc domus apta mihi eſt, hæc me pulcerrima ſedes
Accipit, æterno, cæleſtique hoſpite digna.
Nec nouus hic locus eſt: fluxit mea gloria in artus,
Et lux vera Dei. Deus illuſtrauit alumnam.
Materiem, corpúſque parens habitabile fecit
Ipſe ſibi, placito vt poſſet requieſcere templo.
Condideram perfectum hominem. ſpectare ſuperna
Mandaram, totis conuerſum viribus in me
Recto habitu, celſóque ſitu, & ſublime tuentem:
Sed deſpexit humum, ſeque inclinauit ad orbis
Diuitias, pepulitque meum de pectore numen.
Reſtituendus erat mihimet: ſummiſſus in illum
Spiritus ipſe meus deſcendit, & edita limo
Viſcera diuinis virtutibus informauit.
Iamque hominem aſſumtum ſummus Deus in Deitatem
Tranſtulit, ac noſtro docuit recaleſcere cultu.
Scire velim præcepta patris, quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ Cenſor doctiſſime gentis.
An veterem tantùm morem ratione relicta
Eligis, & dici id patitur ſapientis acumen,
Ingeniúmque viri? potior mihi priſtinus eſt mos,
Quàm via iuſtitiæ, pietas quàm prodita cælo,
Quámque fides veri, rectæ quàm regula ſectæ.

SYMMACHVS.

Svvs cuique mos, ſuus cuique ritus eſt. Iam ſi lõga ætas auctoritatem relligionibus faciat, ſeruanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſecuti ſunt ſuos.

PRVDENTIVS.

Si quidquid rudibus mũdi naſcentis in annis
Mos habuit, ſanctè colere, ac ſeruare neceſſe eſt:
Omne reuoluamus ſua per veſtigia ſeclum,
Vſque ad principium: placeat damnare gradatim
Quidquid poſteriùs ſucceſſor repperit vſus.
Orbe nouo, nulli ſubigebant arua coloni.
Quid ſibi aratra volũt? quid cura ſuperflua raſtri?
Ilignis meliùs ſaturatur glandibus aluus.
Primi homines cuneis ſcindebant fiſſile lignum:
Decoquat in maſſam feruens ſtrictura ſecureis,
Rurſus, & ad proprium reſtillet vena metallum.
Induuias cæſæ pecudes, & frigida paruas
Præbebat ſpelunca domos: redeamus ad antra,
Pellibus inſutis hirtos ſumamus amictus.
Immanes quondam populi feritate ſubacta
Edomiti, iam triſte fremant, iterúmque ferinos
In mores redeant, atque ad ſua priſca recurrant.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate, vietum
Votiuo de ponte patrem: ſic mos fuit olim.
Cædibus infantum fument Saturnia ſacra,
Flebilibúſque truces reſonent vagitibus aræ.
Ipſa caſas fragili texat gens Romula culmo:
Sic tradunt habitaſſe Remum. regalia fœno
Fulcra ſuperſternant, aut pelle Libyſtidis vrſæ
Compoſitam chlamydem villoſo corpore geſtent:
Talia Trinacrius ductor, vel Tuſcus habebat.
Roma antiqua ſibi non conſtat, verſa per æuum,
Et mutata ſacris ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit ſub Rege Quirino:
Inſtituit quædam meliùs, non nulla refugit,
Et morem variare ſuum non deſtitit, & quæ
Pridem condiderat iura, in contraria vertit.

Quid mihi tu ritus ſolitos, Romane Senator,
Obiectas? cùm ſcita patrum, populíque frequenter
a Inſtabilis. [a] In tabulis placiti ſententia flexa nouarit?
Nunc etiam quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritóſque habitus cultu damnare recenti.
Gaudemus compertũ aliquid, tandémque retectũ,
Quod latuit. tardis ſemper proceſſibus aucta
Creſcit vita hominis, & longo proficit vſu.
Sic æui mortalis habet ſe mobilis ordo:
Sic variat natura vices, infantia repit,
Infirmus titubat pueri greſſuſqúe animúſque:
Sanguine præcalido feruet neruoſa iuuenta:
Mox ſtabilita venit maturi roboris ætas:
Vltima conſilijs melior, ſed viribus ægra,
Corpore ſuccumbit, mentem purgata ſenectus.
b fluxit. His genus humanũ per diſſona tempora [b] duxit
Curriculis æuum mutabile: ſic hebes inter
Primitias, merſumque ſolo, ceu quadrupes, egit.
Mox tenerum docili ingenio, iamqúe artibus aptũ
Noſcendis, varia rerum nouitate politum eſt.
Inde tumens vitijs, calidos adoleuit in annos,
Donec decocto ſolidaret robore vires.
Tempus adeſt, vt iam ſapiat diuina, ſerenæ
Mentis conſilio, viuacius abdita ſollers
Quærere, & æternæ tandem inuigilare ſaluti.
c tãtus amor. Quanquam ſi [c] tantũ ſtudium eſt, & cura vetuſti
Moris, & à priſco placet haud diſcedere ritu:
Exſtat in antiquis exemplum nobile libris,
Iam tunc diluuij ſub tempore, vel priùs, vni
Inſeruiſſe Deo gentem, quæ prima recenteis
Incoluit terras, vacuóque habitauit in orbe,
Vnde genus ducit noſtræ porrecta propago
Stirpis, & indigenæ pietatis iura reformat.
Sed, quia Romanis loquimur de cultibus, ipſum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore lõgo
Non multos coluiſſe Deos, raríſque ſacellis
d paucis. Contentum, [d] paucas poſuiſſe in collibus aras.

Innumeros poſt deinde Deos virtute ſubactis
Vrbibus, ex claris peperit ſibi Roma triumphis,
Inter fumanteis templorum armata ruinas
Dextera victoris ſimulacra hoſtilia cepit,
Et captiua domum, venerans ceu Numina, vexit.
Hoc ſignum rapuit bimaris de ſtrage Corinthi:
Illud ab incenſis in prædam ſumſit Athenis.
Quaſdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies: quaſdam domitis Ammonis arenis,
Syrtica cornutas facies habuere tropæa.
Roma triumphantis quoties Ducis inclyta currũ
Plauſibus excepit; toties altaria Diuûm
Addidit, & ſpolijs ſibimet noua numina fecit:
Numina, quæ patrijs cum mœnibus eruta, nullum
Præſidium potuere ſuis afferre ſacellis.
Cernis, vt antiqui ſemper veſtigia moris
Greſſibus incertis variè titubaſſe probentur,
Adſciſcendo Deos maioribus incompertos,
Séque peregrina ſub religione dicaſſe,
Nec ritus ſeruaſſe ſuos? quodcũque ſacrorum eſt,
Exſulat, [a] *æternúmque inimicam vênit in vrbẽ.* a externúmque migrans deuênit in orbem.
Fruſtra igitur ſolitis, praua obſeruatio, inhæres.
Non eſt mos patrius, quẽ diligis, improba: non eſt.
At ſollers orator ait: fataliter vrbem
Sortitam, quó nam Genio propriũ exigat æuum.
Cũctis nam populis, ſeu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut Genius, noſtrarũ more animarũ,
Quæ ſub diſparili ſubeunt noua corpora ſorte.

SYMMACHVS.

VARIOS cuſtodes vrbibus mens diuina diſtribuit. Vt animę naſcentibus, ita populis fatales Genij diuiduntur.

PRVDENTIVS.

Iam primùm, qui ſit Genius, vel qui ſtatus illi
Competat, ignoro, &, quid poſſit, & vnde oriatur

Spiritus informis, ſine corpore, formâ ve, an vlla
Sit ſpecies, & quid ſapiat, quæ munera curet.
Contrà, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfuſas intelligo, ſanguis vt ex his
Accipiat, motúmque leuem, tenerúmque vaporem.
Vnde pererratis vegetet præcordia membris,
Frigida ſuccendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam ſibi temperat, atque gubernat
Viuida mens: quam tu ficto componere tentas
Membrorum Genio, qui nuſquam eſt, nec fuit vnquam.
Quin & corporibus verſat mens viua regendis
Summum conſilium, fida vt tutacula nudis,
Inualidiſque paret, metuenda pericula vitet,
Vtile proſpiciat, varias agitetur ad arteis,
Conſultet, cui ſe domino ſummittat, & orbis
Quem putet auctorem, quem rerum ſumma ſequatur.
At tuus hic vrbis Genius, dicas volo, quando
Cœpit adhuc paruæ primùm ſe infundere Romæ,
Fluxit ab vberibus nemoroſa in valle lupinis,
Infanteiſque aluit, dum naſcitur ipſe, gemellos?
An cùm vulturibus volitans ignota per auras
Vmbra, repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus ſummis ſedet, an penetralia [a] ſeruat?
Inſtituit mores, & iura forenſia condit?
An caſtrorum etiam foſſis interuenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, vrget in hoſtem?
Quæ quis non videat ſapientum digna cachinno?
Fingamus tamen eſſe aliquam, quæ talia curet,
Vmbram, ſiue animam: per quam Res publica fatum
Hauſerit, & [b] calidis animetur tota medullis.
Cur non hæc eadem de relligione colenda
Conſultat? cur non [c] proſpectat libera cælum?
Cur ſibi præſcriptum non commutabile fatum,
Vt captiua, putat? geneſis cur vincula fingit?
Cur iam nolle licet, quod tunc voluiſſe licebat,
Erroréſque abolere ſuos, ac flectere ſenſus?
Sic ſeptingentis errauit circiter annis,

a ſeruans, al. curans.

b calidas animet curata medullas.

c adſpectat, al. ſuſpectat.

Lubricáque, & ſemper dubitans, quæ forma placeret
Imperij, & quæ regnandi foret æqua poteſtas.
Regius exortam iam tunc habuit ſtatus vrbem,
Non ſine grandæuis curarum in parte locatis.
Mox proceres de ſtirpe ſenum tractaſſe videmus
Clauum conſilij: plebeias inde cateruas
Collatas patribus miſtim ditionibus æquis,
Imperitaſſe diu, bellóque, & pace regendis.
Conſule nobilitas viguit: plebs fiſa Tribuno eſt.
Diſplicet hic ſubitò ſtatus, & bis quina creantur
Summorum procerum faſtigia: quos duodeni
Circumſtant faſces, ſimul & ſua quenque ſecuris.
Rurſus ſe geminis reddit Ductoribus omnis
Publica res, & Conſulibus dat condere faſtos.
Vltima ſanguineus turbauit ſæcla Triumuir.
Fluctibus his olim fatum, Geniúsue, animúsue
Publicus errauit: tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Auguſtum diademate a cinxit, a texit.
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ ſit Ductor, & idem
Dictator, Cenſorque bonus, morúmque magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.
Quòd ſi tot rerum gradibus toties variatis
Conſilijs, ægrè tandem peruênit ad illud
Quod probet, ac ſancto reuerentia publica ſeruet
Fœdere: quid dubitat diuina agnoſcere iura,
Ignorata priùs ſibimet, tandémque retecta?
Gratemur, iam non dubitat: nam ſubdita Chriſto
Seruit Roma Deo, cultus exoſa priores.
Romam, dico viros, quos mentem credimus vrbis,
Non Genium: cuius fruſtrà ſimulatur imago.
Quanquã cur Genium Romæ mihi fingitis unũ?
Cùm portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos, Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angul⁹ vllus ab Vmbra?
Reſtat, vt & fatum ſimilis dementia cunctis.

Aedibus imponat:paries vt quiſque ſub aſtro
Fundatus,ſtructúſque ſuo,qua ſorte maneret,
Quando autem rueret,primus acceperit horis.
Adſcribunt ſaxis Lacheſis malè fortia fila,
Tectorúmque trabeis fuſis pendère rotatis.
Credunt,atque ipſis tribuunt decreta tigillis:
Ceu diſtet,cuius ſtellæ ſit fraxinus ortu
Eruta,quæ ſummum conſcenderet ardua culmen.
Denique nulla hominũ res eſt,nulla actio mundi,
Cui non fatalem memorent incumbere ſortem.
Quæ quia conſtituunt , dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis:aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos,quos ferrea fata
Ad facinus cogunt,& ineuitabilè mergunt.
Quin & velle adigũt,prauum inſinuantia votũ,
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle.
Cedite,ſi pudor eſt,gladiũmque retundite veſtrũ,
Aſpera nil meritos pœnis plectentia iura:
Antrum carcereum diſſoluite,corpora ſub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis:
Nemo nocens,ſi fata regunt, quod viuitur,ac fit:
Immo nocens,quicunque volens,quod non licet,audet,
Alterutrum quia velle ſuum eſt,nec fata reatum
Imponunt homini:ſed fit reus ipſe [a] *ſuopte*
a per amplũ. b Ingenium. [b] *Arbitrio,placitúmque nefas,& facta rependit*
Impia ſupplicijs,merito, non ſorte peremtus.
Quiſquis putat fato eſſe locum,ſciat,omniparentem
c Eſſe. [c] *Noſſe Deum.nulli vetitum* [d] *fallacibus aſtris,*
d fatalibus. *Nec matheſis preſcripto aliquo pia vota repelli.*
Spirat enim maiora animus,ſeque altiùs effert
Sideribus,tranſitque vias,& nubila fati,
Et momenta premit pedibus,quæcunque putantur
[e] *Figere propoſitam natali tempore ſortem.*
e Fingere. *Huc ades omne hominum genus, huc concurrite & vrbes:*
Lux immenſa vocat.factorem noſcite veſtrum:
Libera ſecta patet.nil ſunt fatalia:vel ſi
Sunt aliqua,oppoſito vaneſcunt irrita Chriſto.

SYMMACHVS.

Accedit vtilitas, quæ maximè homini Deos adſerit. Nam cùm ratio omnis in operto ſit: vnde rectiùs, quàm de memoria, atque documentis rerum ſecundarum, cognitio venit Numinum?

PRVDENTIVS.

Sed multi duxere Dij per proſpera Romam:
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo agè bellatrix, quæ vis ſubiecerit eda
Europam, Libyámque tibi: dic nomina Diuûm.
Iupiter vt Cretæ domineris, Pallas vt Argis,
Cynthius vt Delphis, tribuerunt omine dextro:
Iſis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.
Venatrix Epheſum virgo, Mars dedidit Hebrũ,
Deſtituit Thebas Bromius, conceſſit & ipſa
Iuno ſuos Phrygijs ſeruire nepotibus Afros.
Et quam ſubiectis dominam Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, iam tum tendítque, fouétque,
Iuſſit Romuleis addictam viuere frenis.
Perfidiá ne Deûm indigenûm cecidêre tot vrbes?
Deſtructæque iacent ipſis prodentibus aræ?
O pietas, ô ſancta fides! traduxit alumnos
Maieſtas infida locos, & creditur iſtis
Numinibus, quæ transfugio meruere ſacrari?
An voluit ſeruare ſuos, luctatáque multùm
Relligio, infeſtas tentauit pellere turmas
Romanis obniſa globis? ſed fortior illam
Virtus luctifico camporum in puluere fregit.
Immo ita id eſt: armis, & viribus, indiga veri,
Victa ſuperſtitio eſt, & inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut ſatis ardua gents
Natæ procinctus victoria frangere inerteis,
Molliáque omnigenûm colla inclinare Deorum.
Nunc cum Dictæis bellum Coribantibus aſper
Samnitis, Marſuſqúe leui ſudore gerebat.

Yy

a maſtraco-phoris.

Nunc [a] maſtigophoris, oleóque, & gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Etruſcus,
Nec petaſo inſignis poterat Lacedæmone capta
Mercurius ſeruare ſuas de clade palæſtras.
Apennicolam peditem, Cybeleius hoſtis
Congreſſu excipiens, Aſiam defendere & Idam
Qui potuit, cogente acies in prœlia Gallo?
Idalias niſi fortè roſas, laurum citharœdi
Vatis, ſiluicolæ calamos, arcúmque puellæ
Dedere ſeruitio, calcatáque ſacra domare
Difficiliſque operis fuit, immenſique laboris.
Fluctibus Actiacis ſignum ſymphonia belli
Aegypto dederat: clangebat buccina contrà.
Inſtar erant tenuis cymbæ, fragiliſque faſeli,
Inter turritas Memphitica roſtra Liburnas:
Nil potuit Serapis Deus, & latrator Anubis.
Stirpis Iulæ Ductore exercitus ardens
Præualuit, gelido quem miſerat Algidus axe.
Non armata Venus, non tunc clypeata Minerua
[b] Venêre auxilio. non Diuûm degener ordo,
Et patria extorris, Romanis adſuit armis,
Victus & ipſe priùs inimica nec agmina iuuit,
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
Sed dicis legiſſe Deos, vbi ſanctior vſus
Templorum, cultu celebri, ſine fine maneret,
Aeneadúmque vltro victricia ſigna virorum
Regis amore Numæ nullo cogente ſecutos.
Num Diomedis item tentoria, & acris Vlyſſi
Caſtra volens Pallas, cæſis cuſtodibus, vltro
Legit, vbi humenti ſudaret mæſta ſigillo?
Aut quoties Ductor Macedûm fortiſſimus altos
Templorum cineres victis cumulauit Amyclis:
Optarunt prædis domini ſe Numina capta
Miſceri, [c] Aſſyriæque vehi Babylonis [d] ad arcẽ?
Non fero Romanum nomen, ſudatáque bella,
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.
Detrahit inuictis legionibus, & ſua Romæ

b Venêre auxilium:

c Aſſyriâque d ab arce?

Præmia deminuit,qui,quidquid fortiter actum eſt,
Adſcribit Veneri:palmam victoribus aufert.
Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadriiugos,ſtanteiſque Duces in curribus altis,
Fabricios,Curios,hinc Druſos,inde Camillos,
Sub pedibúſque Ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos,manibúſque in terga retortis,
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco:
Si Brennum,Antiochum,Perſen,Pyrrhum,Mithridatem,
Flora,Matuta,Ceres,& Laurentina ſubegit.
His tamen auſpicibus ſucceſſus dextra dederunt
Omnia lætificos,& felix adſuit ales.
Quid ſibi vult virtus,quid gloria,ſi Coruinum
Coruus Apollineus penna,vel gutture vicit?
Sed tamen hic coruus cur defuit exitiali
Fortè die,infauſtas tegerent cùm funera Cannas,
Oppeteretque ſuper congeſta cadauera Conſul?
Cur Cremeræ in campis,cornice,vel oſcine parra,
Nemo Deûm monuit perituros Marte ſiniſtro
Tercentum Fabios,vix ſtirpe ſuperſtite in vno?
Nullá ne triſtificis Tritonia noctua Carrhis
Aduolitans,præſto eſſe Deam prænuntia Craſſo
Prodidit?aut Paphiam niueæ vexere columbæ,
Cuius inauratum tremeret gens Perſica limbum.
Sed video,quæ te moueant,exempla vetuſtæ
Virtutis.dicis domitum terráque,maríque
Orbem:res lætas,& proſpera quæque retexis:
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductáque per mediam ſpoliorum fercula Romam.
Vis dicam quæ cauſſa tuos,Romane,labores
Intantum extulerit?queis gloria fortibus aucta
Sic cluat,impoſitis vt mundum frenet habenis?
Diſcordes linguis populos,& diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus,ſubiungier vni
Imperio,quidquid tractabile moribus eſſet,
Concordíque iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit,quô corda hominum coniuncta teneret

Relligionis amor: nec enim fit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica Genteis.
Sola Deum nouit concordia, ſola benignum
Rite colit tranquilla Patrem: placidiſſimus illum
Fœderis humani conſenſus proſperat orbi,
Seditione fugat, ſæuis exaſperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.
Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roſeóque Aurora illuminat ortu,
Miſcebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armarátque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, vndique Genteis
Inclinare caput docuit, ſub legibus iiſdem,
Romanóſque omneis fieri, quos Rhenus, & Iſter,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus,
Corniger Heſperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, trepidíque lauant ſeptem hoſtia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Viuitur omnigenis in partibus, haud ſecus, ac ſi
Ciueis congenitos concludat mœnibus vnis
Vrbs patria, atque omnes Lare[a] conciliemtur auito. a cōciliẽtur.
Diſtantes regione plagæ, diuiſáque Ponto
Litora conueniunt, nunc per vadimonia ad vnum,
Et commune forum, nunc per commercia, & arteis
Ad cœtum celebrem, nunc per Genialia fulcra
Externi ad ius connubii: nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex Gentibus vna propago.
Hoc actum eſt tantis ſucceſſibus, atque triumphis
Romani imperii: Chriſto iam tunc venienti,
Crede, parata via eſt: quam dudum publica noſtræ
Pacis amicitia ſtruxit moderamine Romæ.
Nam locus eſſe Deo quis poſſet in orbe feroci,
Pectoribúſque hominum diſcordibus, & ſua iura
Diſſimili ratione tuentibus, vt fuit olim?
Sic incompoſitos humano in pectore ſenſus,
Diſiunctáſque animi turbato fœdere parteis,

Nec liquida inuiſit ſapientia, nec Deus intrat.
At ſi mentis apex regnandi iure potitus,
Pugnacis ſtomachi pulſus, fibráſque rebelleis
Frenet, & omne iecur ratione coërceat vna:
Fit ſtabilis vitæ ſtatus, & ſententia certa
Haurit corde Deum, domino & ſubiungitur vni.
En ades Omnipotens, concordibus influe terris:
Iam mundus te Chriſte capit, quem congrege nexu
Pax & Roma tenent: capita hæc, & culmina rerum
Eſſe iubes, nec Roma tibi ſine pace probatur.
Et pax vt placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios ſimul & ditione coërcet,
Et terrore premit: nec enim ſpoliata prioris
Robore virtutis ſenuit, nec ſæcula ſenſit,
Nec tremulis cùm bella vocant, capit arma lacertis,
Nec tam degeneri venerandis ſupplicat ore
Principibus, quàm vult prænobilis ille Senator,
Orandi arte potens, & callida fingere doctus,
Mentitúmque grauis perſonæ inducere pondus:
Vt Tragicus cantor ligno tegit ora cauato,
Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.

SYMMACHVS.

ROMAM nunc putemus adſiſtere, atque his vobiſcum agere ſermonibus. Optimi Principes, patres patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit. Vtar cæremoniis auitis: neque enim pœnitet. Viuam more meo: quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbẽ redegit: hæc ſacra Hannibalem à mœnibus, à Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ego ſeruata ſum, vt longæua reprehẽdar? videam quod inſtituendum putatur? Sera tamen, & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Ergo Dijs patriis, Dijs indigetibus pacẽ rogamus.

PRVDENTIVS.

Si vocem ſimulare licet: nempe aptior iſta

Vox Romæ eſt, quam nunc eius ſub nomine promam.
Quæ, quia turpe putat templorum flere repulſam,
Aegidáque in dubijs pro ſe pugnaſſe periclis
Dicere, ſeque grauem ſenio inclinante fateri,
Ductores complexa ſuos, ſic læta profatur.
O clari ſaluete Duces, generoſa propago
Principis inuicti, ſub quo ſenium omne renaſcens
Depoſui, vidíque meam flaueſcere rurſus
Canitiem: nam cùm mortalia cuncta vetuſtas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit æuum,
Quæ viuendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc iuſta meis reuerentia competit annis:
Nunc meritò dicor venerabilis, & caput orbis,
Cùm galeam ſub fronde oleæ, criſtáſque rubenteis
Concutio, viridi velans fera cingula ſerto,
Atque armata Deum ſine crimine cædis adoro.
Crimen enim, piget heu, crimen perſuaſerat atrox
Iupiter, vt ſacro iuſtorum ſanguine tincta,
a in funere. *Aſſuetum bellis ſceleraret [a] funere ferrum.*
Illius inſtinctu primus Nero, matre peremta,
Sanguinem Apoſtolicum bibit, ac me ſtrage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi ſæuus iuſſit.
Poſt hunc & Decius, iugulis bacchatus apertis,
Inſanam pauit rabiem: mox & ſitis arſit
Multorum ſimilis, per vulnera triſtia flagrans,
b Et trahere. *[b] Extrahere inſigneis animas, ac ludere pœnis,*
Vndanteiſque meum in gremium diffundere morteis,
Et ſub iure fori non noxia colla ſecare.
Hac me labe ream modò tempora veſtra piarunt.
Viuo piè vobis auctoribus, impia pridem,
Arte Iouis, fateor. quid enim non ille cruentum
Tradidit: aut quid mite ſibi, placidúm ve popoſcit?
Qui dum præmetuit cultus inoleſcere Chriſti,
Sæuijt, ac miſerum fœdauit ſanguine ſeclum.
Et ſunt, qui nobis bella exprobrare ſiniſtra
Non dubitent, poſtquàm templorum ſpreuimus aras,
Affirméntque Libyn Collinæ à cardine portæ

Hannibalem Iouis imperio, Martíſque repulſum:
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Cùm ſuper excelſo pugnarent Numina ſaxo.
Qui mihi præteritam cladem, veteréſque dolores
Inculcant iterum: videant me tempore veſtro
Iam nil tale pati. nullus mea Barbarus hoſtis
Cuſpide clauſtra quatit: non armis, veſte, comíſque
Ignotus, capta paſſim vagus errat in vrbe,
Tranſalpina meam rapiens in vincula pubem.
Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro,
Has arceis æquare ſolo, tecta aurea flamis
Soluere, maſtrucis proceres veſtire togatos.
Iámque ruens, Venetos turmis protriuerat agros,
Et Ligurum vaſtarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Tuſcúmque ſolum victo amne premebat.
Depulit hos equitum nimbos non peruigil anſer,
Proditor occulti tenebroſa nocte periclis:
Sed vis cruda virûm, præfractáque congredientum
Pectora, nec trepidans animus ſuccumbere letho
Pro patria, & pulcram per vulnera quærere laudem,
Nunquid & ille dies Ioue contulit auſpice tantum
Virtutis pretium? Dux agminis, imperiíque
Chriſtipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atque parens Stilico. Deus vnus Chriſtus vtrique:
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inſcripta cecinere tubæ: prima haſta dracones
Præcurrit, quæ Chriſti apicem [a] ſublimior offert. a ſublimitæ affert.
Illic ter denis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famoſis olim ditata rapinis
In cumulos [b] congeſta iacent. mirabere ſeris b coniecta.
Poſteritas ſæclis inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.
Si potui manibus Gallorum exciſa leuare
De cinerum ſqualore caput, redeunte Camillo
Signa renidenti fumans ſi fronte recepi:

Si potui miſeras ſertis redimire ruinas,
Et malè pendenteis lauro præcingere turreis:
Quo te ſuſcipiam gremio, fortiſſime Princeps,
Quos ſpargam flores, quibus inſertabo coronis
Atria, quæ feſtis ſuſpendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te ſtante ſub armis
Libera, & Alpetenus Geticos experta tumultus!
Scande triumphalem currum, ſpoliiſquè receptis
Huc Chriſto comitante veni: data vincula demã
Captiuis gregibus: manicas deponite longo
Tritas ſeruitio matrum, iuuenúmque cateruæ.
Dediſcat ſeruire ſenex Laris exſul auiti,
Diſcat & ad patrium limen genitrice reuerſa
Ingenuum ſe noſſe puer: timor omnis abeſto.
Vicimus: exſultare libet. quid tale repulſo
Pœnorum quondam Duce contigit? ille petitæ
Poſtquàm perculerat tremefacta repagula portæ:
Baianis reſolutus aquis duriſſima luxu
Robora deſtituit, ferrúmque libidine fregit.
a congreſſus. *At noſter Stilico* [a] *congreſſum cominus ipſa*
Ex acie ferrata [b] *virum dare terga coëgit.*
b virũm. *Heic Chriſtus nobis Deus adfuit, & mea virtus:*
Illic laſciuum Campania fertilis hoſtem
Deliciæ vicere tuæ. non Iupiter acrem
Protexit Fabium: ſed iuuit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependã,
Non habeo. membra ſtatuis effingere vile eſt.
Virtutem nil vile decet: nam vile, quod ætas
Eripit æra cadunt, aut fuluum defluit aurum,
Aut candor perit argenti, ſi defuit vſus,
Et fuſcata ſitu corrumpit vena colorem.
Viua tibi, Princeps, debetur gloria, viuum
Virtutis pretium, decus immortale ſecuto.
Regnator mundi Chriſto ſociabere in æuum:
Quo ductore meum trahis ad cæleſtia regnum.
Nil te permoueat magni vox rhetoris oro:

Qui

Qui ſub legati ſpecie, ſacra mortua plorans,
Ingenij telis, & fandi viribus audet,
Heu, noſtram tentare fidem: nec te videt, ac me
Deuotos, Auguſte, Deo: cui ſordida templa
Clauſimus, & madidas ſanie deiecimus aras.
Vnus noſtra regat, ſeruétque palatia Chriſtus,
Ne quis Romuleas Dæmon iam nouerit arceis:
Sed ſoli pacis domino mea ſeruiat aula.
Sic effata pios Roma exorauit alumnos,
Spernere legatum non admittenda petentem:
Legatum Iouis ex adytis ab haruſpice miſſum,
At non à patria: patriæ nam gloria Chriſtus.
Perſiſtit tamen affirmans, iter eſſe viandi
Multifidū, variūmque, DEVS cùm quæritur vnus.
Hinc alios, aſt inde alios properare ſeorſim.
Quémque per anfractus proprios, ſed cōpita eodē
Fine coarctari, ſimul & concurrere in vnum.
Quin etiā cælum, atque ſolum, vētos, mare, nubes,
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te,
Chriſte, vel exta litant ſculptis qui tabida ſaxis.

SYMMACHVS.

ÆQVVM eſt, quidquid omnes colunt, vnum putari. Eadem ſpectamus aſtra: commune cælum eſt: idem nos mundus inuoluit. quid intereſt, qua quiſque prudentia verum requirat? Vno itinere non poteſt perueniri ad tam grande ſecretum.

PRVDENTIVS.

Non nego communem cunctis viuētibus vſum
Aëris aſtrorum, pelagi, telluris & imbris.
Immo etiam iniuſtus pariter, iuſtúſque ſub vno
Axe habitant. vnas capit impius, & pius auras:
Caſtus, & inceſtus: meretrix, & nupta. nec alter
Ore ſacerdotis, quàm mirmillonis anhelat

Spiritus: aëreo vitam qui temperat hauſtu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente: ſed æquè
Furis, & innocui fecundat rura coloni.
Gurgitis æſtiui ſic pura fluenta viator,
Vt latro feſſus, adit: ſic peiratis mare ſeruit,
Vt mercatori: nec fluctus ſecius hoſti
a licitæ. *Obſequitur, quàm cùm* [a] *dominæ fert tranſtra carinæ.*
Ergo capax vtriuſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viuentum meritum, quos tantùm paſcere iuſſa eſt.
Seruit enim mundus, non iudicat: hoc ſibi ſummus
Naturæ Dominus præſcripta in tempora ſeruat.
Nunc adſunt homini data munera legibus iiſdem:
Queis conceſſa ſemel. fons liquitur, amnis inundat,
Veliuolum ratibus mare finditur, influit imber,
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,
Et res naturæ fit publica, promtáque cunctis,
Dum ſeruant elementa ſuum famulantia curſum:
Sic probus, atque reus capitalis criminis iiſdem
Sideribus, faciliſque poli bonitate fruuntur.
Viuere commune eſt: ſed non commune mereri,
Denique Romanus, Daa, Sarmata, Vandalus, Hunnus,
Gætulus, Garamas, Alemanus, Saxo, Galaulas,
Vna omnes gradiuntur humo, cælum omnibus vnum eſt,
Vnus & Oceanus, noſtrum qui continet orbem.
Addo aliud, noſtros potant animalia fonteis.
Ipſo rore mihi ſeges eſt, quo gramen [b] *onagris,*
b in agris. [c] *Spurcáque ſus noſtro amne natat, noſtra intrat & ipſos*
c Sordida. *Aura canes, animátque leui fera corpora flatu.*
Sed tantùm diſtant Romana, & Barbara, quantùm
Quadrupes adiuncta eſt bipedi, vel muta loquenti:
Quantùm etiam qui ritè Dei præcepta ſequuntur,
Cultibus à ſtolidis, & eorum erroribus abſunt.
Non facit ergo pares in relligione tenenda
Aëris, & cæli communio: corpora tantùm
Gignit, alit, reparat, rediuiuáque ſemina ſeruat.
Nec refert, cuius generis, cuiúſve figuræ,

Aut cuius meriti: modò ſint vt corpora terra
Edita, terrenis quibus eſt vigor ex elementis.
Artificis quia patris opus diſcrimine nullo
Influit in medium, nec auaro munere currit,
Antè datum, quàm primus homo ſordeſceret Adam.
Nec vitio vtentum reſtrictum deficit, aut ſe
Subtrahit indignis, nec fœda, aut turpia vitat.
Haud aliter Solis radius colluminat omneis
Diffuſo ſplendore locos. ferit aurea tecta:
Sed ferit & nigro ſordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus Capitolia clara: ſed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clauſi
Stercoris, & ſpurcam redolenti [a] fornice cællam.
Sed non illud erunt obſcura ergaſtula, quòd ſunt a in fornice.
Regia gemmato laquearia fulua metallo.
Nempe magis non illud erunt, qui Numen in vrnis
Quærunt, ac tumulis, & Laruas ſanguine placant:
Quòd ſunt qui ſummum cæli Dominum venerantur,
Iuſtitiámque litant, & templum pectoris ornant.
Secretum ſed grande nequit rationis opertæ
Quæri aliter, quàm ſi ſparſis via multiplicetur
Tramitibus, ſi centenos terat orbita calles
Quæſitura Deum variata indage latentem.
Longè aliud verum eſt: nam multa ambago viarum,
Anfractus dubios habet, & perplexius errat:
Sola errore caret ſimplex via, neſcia flecti
In diuerticulum, biuijs nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Cùm dubitant, quó nam ferat ignorantia greſſum.
Altera multifida eſt: at ſimplex altera, & [b] vna. b vnum.
Vna Deum ſequitur: Diuos colit altera plureis,
Et tot ſunt eius diuortia, quot templorum
Signa, quot aëreis volitant phantaſmata monſtris.
Aut hos thyrſigeri rapit ad Dionyſia Bacchi,
Illicit aut alios ad Saturnalia feſta,
Aut docet occultus quæ ſacra Dieſpiter infans,

Inter tinnitus ſolui ſibi poſcat aënos.
Iamq́ue Lupercales ferulæ, nudiq́ue petuntur
Diſcurſus iuuenum: Megaleſius hinc ſpado, diris
Incenſus Furijs, cæca ad reſponſa vocatur.
Sunt qui quadriuijs breuioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis:
Porrum, & cepe Deos imponere nubibus auſi,
Haliáque, & Serapin cæli ſuper aſtra locare.
Iſis enim, & Serapis, & grandi ſimia cauda,
Et crocodilus id eſt, quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile Deos colis, & tu Tybris adoras.
Vna ſuperſtitio eſt, quamuis non concolor error.
Hinc alia exoritur, tenebroſis tecta frutetis,
Semita: quam pecudes, & muta animalia carpũt,
Quæq́ue latens ſiluis operitur. neſcia cæli
Mens hominum, ſæuo viuens captiua tyranno.
Hæc putat eſſe Deum nullũ: namque omnia verti
Caſibus, & nullo ſub Præſide ſæcla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno diſcrimine diſtat
Hiſce vijs, quas vos teritis, qui Numina multa,
Et portenta, Deum ſummum, numeroſa putatis.
Simplicis ergo viæ dux eſt Deus. ille per vnam
Ire iubet mortale genus: quam dirigit ipſe
Sublimem dextro celſa ad faſtigia cliuo.
Prima viæ facies, inculta, ſubhorrida, triſtis,
Difficilis: ſed fine ſui pulcerrima, & amplis
Prædita diuitijs, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos poßit penſare labores.
Multiplicis Dux Dæmon at eſt, qui parte ſiniſtra
Centifidum confundit iter, trahit inde ſophiſtas
Barbatos, trahit hinc opibus, vel honore potẽteis,
Illicit & volucrum linguis, & haruſpice fallit:
Inſtigat bacchantis anus ambage Sibyllæ,
Inuoluit matheſi, magicas impellit in arteis,
Omine ſollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis, vt vna via eſt, multis anfractibus errans,
Talem paſſa Ducem, qui non ſinat ire ſalutis

Ad Dominum,ſed mortis iter per deuia monſtret?
Deuia,picta bonis breuibus:ſed fine ſub ipſo
Triſtia,& in ſubitam præceps immerſa Charybdim.
Ite procul Gentes:conſortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei.diſcedite longè,
Et veſtrum penetrate Chaos,quô vos vocat ille
Præuius infernæ perplexa per auia noctis.
At nobis vitæ Dominum quærentibus,vnum
Lux iter eſt,& clara dies,& gratia ſimplex.
Spe ſequimur,gradimúrque fide,fruimúrque futuris:
Ad quæ non veniunt præſentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta,& capienda voluptas.

SYMMACHVS.

QVANTO commodo ſacri ærarij veſtri, Veſtalium virginum prærogatiua detracta eſt? Sub largiſſimis Imperatoribus denegatur,quod parciſſimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt,in illo velut ſtipendio caſtitatis. Vt vittæ earum capiti decus faciunt: ita inſigne ducitur ſacerdotij vacare muneribus. Nemo me putet ſolam cauſſam relligionum tueri.Ex huiuſmodi facinoribus orta ſunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Veſtaleis virgines, ac miniſtros Deorũ victu modico,iuſtiſque priuilegiis. Stetit muneris huius integritas vſque ad degeneres trapezitas: qui ad mercedem viliũ baiulorum,ſacræ caſtitatis alimenta verterunt. Secuta eſt hoc fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit.Non ſunt hæc vitia terrarum.Nihil imputamus aſtris. Nec rubigo ſegetibus obfuit,nec auena fruges necauit.Sacrilegio annus exaruit. Neceſſe enim fuit perire omnibus,quod relligionibus negabatur.Quid tale prouinciæ pertulerũt, cùm relligionum miniſtros honor publicus paſceret? commendabat enim terrarum prouentus, victus Antiſtitum, & remediũ magis quàm largitas erat. An dubium eſt, pro copia omnium datum,quod nunc inopia omnium vindicauit?

PRVDENTIVS.

Vltima legati defleta dolore querela eſt,

Palladiꝭs quòd farra focis, vel quòd ſtipis ipſis
a choris. *Virginibus, caſtuſque* [a] *toris alimenta negentur:*
Veſtales ſolitis fraudentur ſumtibus ignes.
Hinc ait & ſterileis frugeſcere parcius agros,
Et triſtem ſeruire famem, totúmque per orbem
Mortaleis pallere inopes, ac panis egenos,
Quæ tanta exſtiterit præſenti tempore, tamq́ue
Inuidioſa fames, quam Triptolemi, Cererîſque
Mouerit ira penu pro virginis vlciſcendo,
Non memini: nec tale aliquid vel fama ſuſurrat.
Audio per Pharios Nilum diſcurrere campos
More ſuo, viridíſque ſata ſtagnare Canopi.
Haud venit à ſicco qui flumine nuncius adfert
Ieiunam ſqualere ſiti ſub puluere Memphim,
Nec Peluſiacæ limum ſudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit, & tenuem vix ſtillat vena liquorem?
Num refugus noſtras odit perſtringere ripas
Amnis, & exuſtos curſum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alueus vndã
Fluminis, & ſubitò ſtagna abſorbentur hiatu:
Ne ſulcos operire vadis, né ve arida poſſint
Aegypti per plana trahi, glebáſque rigenteis
Infuſis ad pingue lutum mollire fluentis:
Vnde ſeges latè crinitis fluctuet agris,
Denſius & grauidus ſe veſtiat æquor ariſtis?
Reſpice num Libyci deſiſtat ruris arator
Frumentis onerare rateis, & ad oſtia Tybris
Mittere triticeos in paſtum plebis aceruos?
Númne Leontini ſulcator ſoluere campi
Ceſſet frugiferas Lilybæo ex litore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congeſta vehens granaria claſſis?
Ergo pyris menſas ſilueſtribus implet arator
Pœnus, & auulſas Siculus depaſcitur herbas?
Iámque Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, iam corna cibus lapidoſa Quiritum?

Quis venit eſuriens magni ad ſpectacula Circi?
Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Suſtinet: aut quæ Ianiculo mola nota quieſcit?
Quantos quæque ferat fructus prouincia, quàque
Vbere fecundo largè fluat orbis opimus:
Indicio eſt annona, tuæ quæ publica plebi,
Roma, datur, [a] *tãtæque manus longa ocia* [b] *paſcit.*
Sit fortaſſe aliquis paullò infecundior annus,
Nil mirum, nec in orbe nouo didicere priores,
Perpeſſi plerumque famem, ſi tabidus aer
Siccauit tenueis ardenti ſidere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge noua, et viridis ſi meſſis adulta, priùs quàm
Conceptas tenero ſolidaret lacte medullas,
Afflatum calido ſuccum contraxit ab Euro,
Ieiunóſque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ, ſterilis ſtipularum ſilua fefellit.
His, ni fallor, ager vitijs corruptus, & antè
Subiacuit, quàm Palladium, quàm Veſta, Penates
Sub Lare Pergameo ſeruarent igne repoſto,
Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Exſtrueret, quàm virgo ſuas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam Veſtalis origo fauillæ
Vrbibus, vt memorant, primo de fomite ſumta eſt,
Sacrarúntq; focos aut Phryx, aut Graiꝰ alumnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de
Legitimo diſcuſſa modo plerunque feruntur
In caſus alios, quàm lex habet, aut iter anni.
Nunc conſumit edax ſegetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Poſt Zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambuſtúmque caput culmi fuligine tingit.
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis, nimijſq́ue perit conſtricta pruinis,
Nec potis eſt tenuem telluri affigere fibram:
Mox eiecta ſolo glacie ſidente ſuperſit,
Nudáque ſubducto radix auellitur aruo.

[a] tantáſque.
[b] paſcunt.

Ancipites tribuli ſubeunt, & carduus horrens.
Hos fert ſicca ſitis: hunc ebrius educat humor.
Temperies effuſa minùs, vel plùs, agit iſtos
Terrarum morbos, & mundum vulnerat ægrũ.
Non aliter noſtri corruptus corporis vſus
In vitium plerumque cadit, nec in ordine recto
Perſtat, & exceſſu moderaminis afficit artus:
Vnus enim ſtatus eſt mũdique, & corporis huius,
Quod gerimus: natura eadem ſuſtẽtat vtrumque.
Edita de nihilo creſcunt, nihilúmque futura.
Aut titubant morbis, aut tempore victa ſeneſcũt.
Nec natura caret vitio, cui terminus inſtat.
Semper, crede, polus varijs prouentibus annos
Texuit. hos multa ditauit fruge fluenteis:
Quoſdam infelices aſtris damnauit iniquis,
Spe caſſa, & ſterili, curam fruſtratus agreſtem.
Sed, ſi Veſtaleis vlciſcitur iſta puellas
Peſtis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non Chriſticolûm tantùm populatur agellos,
Per quos virginibus veſtris ſtata dona negantur?
Vtimur & ruris reditu, & ratione colendi:
Exercere manus non pænitet, &, lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueuerat error
Faſciolis, vel gallinæ pulmone rogare,
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis,
Et, quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici ſucciſa bipenni.
Nec tamen iccirco minor eſt aut fructus agelli,
Aut tempeſtatis clementia læta ſerenæ,
Temperat aut [a] pluuius qui culta noualia ventus. a plouiis.
Sed nec magno opus eſt frugi viuentibus, & cùm
Maxima proueniunt, non amplo in gaudia ſenſu
Soluimur, inque lucrũ ſtudio exſultamus auaro.
Nam quibus æternum ſpes informatur in æuum,
Omne bonum tenue eſt, quod præſens ingerit ætas
O felix nimium ſapiens, & ruſticus idem,
Qui terras, animumque colens, impẽdit vtriſque

Curam

Curam peruigilem: qualeis quos imbuit auctor
Chriſtus, & aſſumtus dedit hæc præcepta colonis.
Semina cùm ſulcis committitis, arua cauete
Dura, lapillorum macie, ne decidat illic,
Quod ſeritur: primò quoniam præfertile germen
Luxuriat: ſucco mox deficiente ſub æſtu
Sideris igniferi ſitiens torretur, & aret.
Néve in ſpinoſos incurrant ſemina vepres:
Aſpera nam ſegetem ſurgentem vincula texunt,
Ac fragileis calamos nodis rubus arctat acutis.
Et, ne iacta viæ ſpargantur in aggere grana:
Hæc auibus quia nuda patet, paſſimque vorátur,
Immundiſque iacent fœda ad ludibria coruis.
His Deus agricolam confirmat legibus. ille
Ius cæleſte Patris non ſumma intelligit aure:
Sed ſimul & cordis ſegetem diſponit, & agri,
Ne minùs interno niteant præcordia cultu,
Quàm cùm læta ſuas oſtentant iugera meſſeis.
Exſtirpamus enim ſentos de pectore vepres,
Ne vitioſa necent germen vitale flagella,
Ne frugem, ſegetémque animæ ſpinoſa malorum
Impediat ſentis ſcelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis ieiunis ſiccet arenis
Marcentem ſub corde fidem, ne pectoris æſtus
Flagret, & effetis vrat chariſmata venis.
Denique ne iecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deûm, ne ſpem, qua veſcimur intus,
Deſerat, obſceniſque auibus permittat edendam,
Et proiecta fides hoſti fit præda volucri.
Talis noſtrorum ſolertia centuplicatos
Agrorum reddit fructus: quibus acriùs inſtat,
Nec metuit, ne congeſtum populetur aceruum
Curculio, vel nigra cauis formica recondat,
Sunt & virginibus pulcerrima præmia noſtris,
Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus,
Et priuatus honos, nec nota, & publica forma,
Et raræ tenuéſque epulæ, & mens ſobria ſemper,
Lexque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.

Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non vnquam obnoxia furi.
Nam cælum fur nullus adit: cæleſtia nunquam
Fraude reſignantur: fraus terris voluitur imis.
Quæ nunc Veſtalis ſit virginitatis honeſtas,
Diſcutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primùm paruæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quàm libera ſecta
Laude pudicitiæ feruens & amore Deorum,
a contemnat. Iuſta maritandi [a] condemnet vincula ſexus.
Captiuus pudor ingratis addicitur aris,
Nec cõtemta perit miſeris, ſed adempta voluptas.
Corporis intacti mens non intacta tenetur,
Nec requies datur vlla toris: quibus innuba cæcũ
Vulnus, & amiſſas ſuſpirat femina tedas.
Tum, quia non totum ſpes ſalua interficit ignem:
Nam reſides quandoque faces adolere licebit.
Feſtáque decrepitis obtendere flamea canis,
Tempore præſcripto mẽbra intemerata requirens,
Tandem virgineam faſtidit Veſta ſenectam.
Tum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fecundauit amor materno viſcera partu.
Nubit anus veterana ſacro perfuncta labore,
Deſertíſque focis, quibus eſt famulata [b] iuuentas.
b iuuentus. Tranfert emeritas ad fulcra iugalia rugas,
Diſcit & in gelido noua nupta tepeſcere lecto.
Intereà, dum torta vagos ligat infula crineis,
Fataleíſque adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias, vt publica pompa, plateas,
Pilento reſidens molli, ſeq́ue ore retecto
c Implicat. [c] Imputat attonitæ virgo ſpectabilis vrbi.
Inde ad conſeſſum caueæ pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus, morteíſque, & vulnera vẽdita paſtu
Spectatura ſacris oculis. ſedet illa verandis
Vittarum inſignis phaleris, fruiturq́ue laniſtis.
O tenerum, mitémque animum cõſurgit ad ictus,
Et, quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa

Delicias ait eſſe ſuas, pectuſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:
Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis,
Altiùs impreſſo dum palpitat enſe ſecutor.
Hoc illud meritum eſt, quòd continuare feruntur
Excubias, Latij pro maieſtate Palatî,
Quòd redimunt vitam populi, procerúmque ſalutem?
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora tæniolis, & licia crinibus addunt?
Et quia ſubter humum luſtraleis[a] *teſtibus Vmbris*
In flamam iugulant pecudes, & murmura miſcent?
An quoniam podij meliore in parte ſedentes
Spectant, æratam faciem quàm crebra tridente
Impacto quatiant haſtilia, ſaucius & quàm
Vulneribus patulis partem perfundat arenæ,
Cùm fugit, & quanto veſtigia ſanguine ſignet?
Quod genus vt ſceleris iam neſciat aurea Roma,
Te precor Auſonij Dux auguſtiſſime regni,
Et tam triſte ſacrum iubeas, vt cetera, tolli.
Perſpice, nón ne vacat meriti locus iſte paterni:
Quem tibi ſupplendum Deus, & genitoris amica
Seruauit pietas? ſolus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi gnate reſeruo,
Dixit, & integrum decus, intactúmque reliquit.
Arripe dilatam tua, Dux, in tempora famam,
Quódque patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum ſanguine tingi:
Tu morteis miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas:
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora.
Iam ſolis contenta feris infamis arena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit deuota Deo, ſit tanto Principe digna,
Et virtute potens, & criminis inſcia Roma,
Quemque Ducem belli ſequitur, pietate ſequatur.

[a] triſtibus.

PHILIPPVS ROBERTVS I.C. IN SYMMACHVM A FRANC. IVRETIO NVNC PRIMVM RESTITVTVM ET ILLVSTRATVM.

Symmachus inſanas dum trudit ad æthera voces,
Próque Deo portenta colit, Chriſtúmque laceſſens
Ad nitidi radium ſolis caligat, & excors
Naſcentem domini proſcindit relligionem
Enceladi fera progenies! hæc rara reliquit
Ingenij documenta ſui damnata catenis
Aeternóque ſitu, & tetricæ pædore Cataſtæ. (∴)
Sic tanto meritas ſenſit pro crimine pœnas.
Donec ſquallentem fœdo mucore libellum,
Auctoríſque ſui ſcelus exitiale gementem,
Poſt annos centum decies eduxit in auras
Iuretius doctæ decus immortale cateruæ, (∴)
Herculea fretus virtute, & fortibus auſis
Perrumpens validis obducta repagula clauſtris.
Sic olim manes rediuiui fidus amici
Abſtulit Alcides, ſuperúmque reuexit in orbem.
Vnde illi meritis pro tantis reddita vitam
Vita dabit, cunctos quæ ſit victura per annos.

Non vlla laborum noua mi facies.

IN SYMMACHVM RECENS A FRANC. IVRETO I.C. RESTITVTVM N. BONYERII HENDECASSYLLABI.

Dum nobis lacerum miſerriméque
Mille anfractibus, atque tot lacunis,
Mille & ſentibus hiſpidis ſcatentem
Symmachum lepidum grauem & venuſtum.
Quondam, nunc carie & ſitu inquinatum
Pernix, ſedulus, impiger, ſagáxque

Priſco reſtituis ſuo nitori:
Illum dúmque labore pertinaci
Nodoſa implicitum eximis catena,
Et perrumpere clauſtra auara cogis, (.·.)
Quæ tantum occuluere ſæculis tot
Scriptorem (licet impium ethnicúmque)
Vt tandem volitet politus inter
Doctorúmque manus teratur & his;
Te, Iurete, ſenem probas adultus.
Mirum quódque magis magíſque mirum eſt,
Nodos difficiles notis acutis,
Doctis his ſimul atque tam diſertis
Soluis, Symmachus vt vetuſtus vrbi (.·.)
Præfectus, tibi totus ille notus
Et viſus pariter putetur olim.
Ac iam Gallia quod diu expetiuit
Per te nunc habet, abditas recludat
Nempe qui venerandæ & approbatæ
Vetuſtatis opes, ſacróſque ſenſus.
Quod quantumlibet eruditus antè
Annis mille quidem hincve plus peractis (.·.)
Nunquam præſtitit, aggredi eſt nec auſus,
Quod ſaltem edidit aut inabſolutum,
Aut cultum minus, aut minus politum.
Et tantùm rabula improbat laborem?
Verùm id improbet vſque & vſque nequam,
Dum quod nectis opus perennitate
Credatúrque probis & eruditis
Dignum, quódque boni legant nepotes, (.·.)
Aequa poſteritas & vſque laudet.
Quod, Iurete, decus latrationes
Raucos vulturij & fame furentis
Garritus ſuperat, ſuóque vincit
Tantùm lumine, crede, ſcriptor hic iam
Es quantum melior probatus illo,
Qui eſt hic peſſimus omnium patronus.

FRANC. IVRETI
NOTAE AD SYMMACHVM,
QVIBVS EMENDATIONVM RATIO REDDITVR.

AD LIB. I. EPIST. I.

Q*VAM longa expectatione viciſsitudinis deſiderer.* Ita vulgò. Sed vetus codex Diui Benigni (quem ſemper illis notis v.c. deſignari profiteor) haber, quòd longa &c. liber verò clariſſ. P. Pithœi ſic, quàm longa viciſſitudinis expectatione deſidere.

Non enim actuum. Hæc eſt ſcriptura v.c. cum interrogationis nota. Excuſa tamen olim lectio haber, Nunc tamen vobis actuum noſtrorum ordo pandendus eſt. Libet enim &c. Ceterùm quod de ocij ratione addit, ſumpſit ex M. Catone, qui in *Ocij ratio.* principio ſuarum originum ſcripſit clarorum virorum atque magnorũ non minus ocij quàm negocij rationem extare oportere. auctor Tullius pro Plancio. Sed & Ennodius Ticinenſis in dictione Epiphanij, Si reddenda eſt (ait) de ocioſo ſermone ratio, non minus de ocioſo ſilentio. Galba tamen cùm in deſidiam conuerſus eſſet, dicere ſolebat neminem cogi rationem ocij ſui reddere. Suetonius in Galba. cap. 9.

Ibi Acindyne. v.c. Acinodo, ſed vitioſè. vide Cuſpinianum.

Antiſtas ceteris. Sic v.c. rectè. vt etiã infrà lib. 4. epiſt. 20. apud te gra- *Antiſto.*
tia fratris antiſtat. Vulgò tamen vbique legebatur anteſtat. Lucretius lib. 5.

Herculis antiſtare autem ſi facta putabis
Longius à vera multo ratione ferere.

A. Gellius lib. 9. cap. 13. viribus & magnitudine & adoleſcẽtia ſimúlque *Gellij locus.* virtute ceteris antiſtabat. Ita enim habent v. c. Sanè Papirianus apud Caſſiodorum lib. de ortogr. cap. 4. ante præpoſitio (inquit) interdum integra manet, vt anteactum, anteuenit, antecedit: interdum mutatione in i litteram corrumpitur, vt antiſtat, anticipat.

Ego infãtia & imprudẽtia mea. In omnib' aliis libris legebatur, ego infãtiæ meæ. Sed cùm vidiſſẽ ſcriptũ eſſe in v. c. ego infantiæ & prudẽtiæ meæ:

ſuſpicatus ſum reponi oportere, & imprudentiæ. ludit enim auctor in anthiteris, cùm ſeſe prudenter patrem imprudentiæ ſuæ iudicem elegiſſe dicat.

Silentium mihi niſi præſtiteris. Hæc eſt lectio v.c. tolerabilior quàm vulgata quæ habuit, Silétium mihi niſi præſtiteris, miraberis quàm nihil abs re metuamus probari. Vnde fortaſſe rectius quis ſuſpicari poſſit reponendum, metuamus improbari. quanquam lectio excuſa aperta ſit. Séſus eſt. Niſi verſiculos meos rudes ſponte audire volueris, irroga ſilentiũ. Cenſuram enim tuam in lucrum deputabo. Ita Sidonius Apollinaris.

I liber, hic noſtrum tutatur crede pudorem,
Hoc Cenſore etiam diſplicuiſſe placet.

Orſitus. v.c. *Orſitus.*

AD EPIST. II.

Hanc exſtipulationem. Ita omnes libri vno conſenſu. Sed tamen ego non inuitus aſſentior Philippo Roberto I. C. doctiſſimo & grauiſſimo emendanti, hanc expoſtulationem. Idque alios probaturos confido.

Prænestina ſeceſſio.

De Prænestina ſeceſſione. Ita v.c. rectius quàm vulgati libri, de Præn. ſede. Prænestini diuerſorij meminit Symmachus lib. 3. epiſt. 50. & lib. 7. epiſt. 35. & lib. 9. epiſt. 78. Tranquillus in Auguſto, cap. 72. Ex ſeceſſibus (ait) præcipuè frequẽtauit maritima, inſuláſque Campaniæ, aut proxima vrbi oppida, Lanuuinũ, Præneſte, Tybur. Capitolinus in Antonino philoſopho. Sub ipſis profectionis diebus in ſeceſſu Prænestino agés &c. Solebant verò Romani ſecedere quietioris vitæ gratia. Plinius lib. 3. epiſt. 15. Petis vt libellos tuos in ſeceſſu legam. Et Ouidius 4. triſt. eleg. 7.

Sed modò quos habui vacuos ſecedere in hortos.

Non eſt igitur dubium, quin iure, ſedis vocem ſede ſua hoc loco dimouerim.

Et alloquio crebriori quæ c.p.ſ.p. Hæc eſt lectio vulgata: niſi quod pro, quæ cum, habebat, quæque. Codex vetus ſic, quæ competunt, ſedulò pollicetur. Vnde quis efficeret non malè, quæ qui petunt, ſedulò pollicentur. Hanc autem ſententiam idem auctor expreſſit lib. 3. epiſt. 61. & 64. Nam qui ab alio (ait) poſcit officia, ſui quoque ſtudij frequentem operam pollicetur.

AD EPIST. III.

Conferendum. Sic ex v. c. repoſui. vulgò erat, offerendum, ſed vitioſè. Idem tamen v.c. pro, in vobis, habuit, in nobis. Cæterùm qua patrem laude hîc commendat Symmachus, eadem afficit Auſonium infrà hoc lib. epiſt. xv. quòd nimirum in conferendo beneficio non opperiretur petitioné, ſed volũtatis famã dũtaxat ſequeretur. Eodem modo Sidonius Apollin. lib. 6. epiſt. 12. Papã Patienté laudat, quia prius ſoleret indigentiũ reſpicere cauſas, quã inſpicere perſonas. Nullius (ait) obeſt renuitari debilitatiq;, ſi te expetere nõ poſſit. Nam præuenis manibus illũ, qui nõ noluerit ad te pedib⁹ peruenire. Auſonius etiã in Panegyr. Gratianum ſcribit ſolitum ſpem ſuperare, cupienda præuenire, vota præcurrere, quæque animi celeritas affectaret, beneficiis præeuntibus ante-

Beneficiis petitio præuenienda.

cedere. Et poſtea addit. Præſtare tibi eſt,quàm nobis optare velocius. Sed & auctor Panegyrici dicti Flauienſium nomine, Conſtantinum Imper. ita alloquitur. Si conſilium callidioris amici admitteres, eſſet quod fortaſſe reprehenderetur, nimium te ſcilicet facilè ea quæ ſis tributurus aperire,& ſine vllo artificio citò promere quæ ſperare diu debeat. Neſcis Imp. tua commendare beneficia: præſtãdi celeritate occupas tempus optãdi &c. Pari denique honore Theodoſium proſequitur Latinus Pacatus,cùm refert tam certa illius fuiſſe beneficia,vt tum accepta viderentur,cùm ſponderet:quia vota hominum nõ fatigaret,nec adhiberet muneribus artem difficultatis. Cui etiam conſenſiſſe videtur Symmachus, cùm ſcribit lib. 10. epiſt. 48. ſolitum Theodoſium vota omnium beneficiis præuenire. Qua re gloriantur Arcadius & Honorius in l. 11. C.Theod.de infir. his quæ ſub tyr. vbi profitentur ſeſe vltrò deferre beneficia inopinantibus. Inde igitur rectè Caſſiodorus Var.lib.3. epiſt. 41.Non occurritur (ait) ſub Principe benigna remedia poſtulare ſubiectos,quoniam ſupplicationem præcedit humanitas, & miro modo poſteriora fiunt vota quàm præſtita &c. Sed mores illi verecundi cum ſuis Principibus perierunt,& magis etiam perituri ſunt.

Nunc nuper. Ita v.c. ſed τὸ, nunc, vulgò aberat: nec eſt dubitandum quin omiſſum ſit ab illis qui venuſtatem locutionis non aſſequebãtur. Sanè idem auctor aliàs ſic locutus eſt, vt lib.5.epiſt.64. Nũc nuper(ait) veterator quidam procuratorio nomine extulit caput. Arnobius Afer lib.1.cont. gent. Nunc nuper in vtero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem. Terentius in prol. Eun. Idem Menandri phaſma nunc nuper dedit. In quẽ locum vetus interpres notat, nuper ex illis eſſe verbis, quæ antiqui propter ambiguitatem cum adiectione proferebant. Nam niſi adderet poëta, nunc, hoc nuper olim & pridem ſignificaſſet. *Nunc nuper.*

Ex propinquis bonis cũ mæſtitia. v.c.propinquæ. Pithœi codex habet,ex propriis bonis. Quod verò ex alterius morte cõmodũ cũ mœſtitia ſumptũ vocat,cõſtitutiones Imperatorũ portionẽ luctuoſã dixere l.28.licet. C.de inoff.teſt.& luctuoſã hereditatẽ l.vlt.C.de inſt.& ſubſt.& luctuoſũ lucrũ l.vlt.C.com. de ſucc.& duræ fortunæ ſolatia l.4. C.ad Sen.Tertyl.

Quod mihi honorem vtrumque feciſtis. Ita ex v. c. repoſui, quia vulgò legebatur,quod in honorẽ. Sed & ex eodem v. c. multos hìc verſus addidi,qui hactenus deſiderabantur. Vtrumque verò honorem vocat,quoniam elogio & facultatibus à patre auctus fuerat. Nam ferè in donationibus & legatis inſerebatur titulus, qui ad laudem donatarij & legatarij pertineret. vt apud Senecam lib.3.decl.vlt. mercator,vicini vxorem heredem inſtituit cum hoc elogio, quia caſtam repererat. & in l.27. D. de donatio. Quia me eloquentia & diligentia tua meliorem reddidiſti,dono &c. Sed & qui aliquid ab alio conſequebantur, honorati dicebãtur. Inde apud Valerium lib.7.cap. 7. honorem hereditatis transferre, & ſanguini honorem debitum reddere lib. 5.cap. 9. Inde eleganter Timotheus Epiſcopus ad eccleſ. Cathol. Quod heredibus tuis(ait) vel qui- *Honor quid.*

buſcunque res proprias derelinquis,& honorare te eos indicas, & amare: deum vtique, cui non relinquis,nec honorari à te indicas, nec amari.

AD EPIST. IIII.

Exædificandum. corruptè v.c. exodific. & paulopoſt, pro Prætarij, quod erat in v.c.repoſui,Prætorij. Habuit Symmachus multa Prætoria. Nam lib.6.ep.9.Baiani Prætorij meminit, & eod.lib.6.ep. 67.Puteolani Prætorij,& lib.6.ep.17. alterius cuiuſdam mentio fit. Palladius verò nomine Prætorij vrbanam villam ſignificaſſe videtur,eiúſque ſitum ita deſcribit, vt loco erectiore & ſicciore ſit, quo læto fruatur aſpectu. Atque in eiuſmodi ædificia ingentes olim profundebantur pecuniæ,vt colligere eſt ex Tranquillo in Calig.cap.37.&in Aug.cap.72. Erunt tamen,qui hanc auctoris epiſtolam non de priuato, ſed publico Prætorio intelligant. Nam diſertè in l.35.quicquid. Cod. Theod.de oper. publ. cauetur,vt quicquid de Prætoriis Iudicum ruina lapſum fuerit, id rectorum facultatibus reparetur. Romanis enim multæ curæ fuit, vt ædes ſartæ rectæ ſeruarentur.

Prætoria.

Ætas ædificiis tributa.

Aedium ſenectutem. Pro,odium quod erat in v.c. ſubſtitui ædiũ. rectè. ætatem enim tribui ædificiis non nouum eſt. Sic Caſſiodorus lib. 1. Var.ep.25. Vt antiqui Principes(inquit)nobis meritò debeant ſuas laudes,quorum fabricis dedimus longiſſimam iuuentutem: vt priſtina nouitate reluceant,quæ veternoſa iam fuerant ſenectute fuſcata. Et Mamertinus in Panegyr. Iuliani,dixit vrbium mœnia renouata ab Imperatore induiſſe iuuentutem.Eadem etiam ratione,ornamenta vrbium ac decora marmorum ſentire ſenium temporis legimus in l.16. C. Theod. de oper.pub.& ædes ætatis ſenio concuti l. xv. eod.tit. Ouidius lib. 1. amor.eleg.8.

Caneſcunt turpi tecta relicta ſitu.

Ennodius Ticinenſis epiſt.ad Boëtium: Ædificia eius ſub negligentia conſeneſcunt. Et alio loco:

Abiurant priſcam te Præſule tecta ſenectam.

Atque hæc eorum ſententiam adiuuant, qui defendunt legendum eſſe ætatem ædificiorũ in l.58.D. de legat.1. Nam illius lectionis venuſtatem alij interpollarunt,qui ignorant pari forma ætatem chirographi dici in l.1.C.Theod. ſi cert.pet.& ætatem fidémque libri apud Gellium in illis fragmentis quæ luci reddidit Canterus nou. lectio.lib.2.cap.6.& ætatem vino accedere apud Plinium lib.23.cap.1. Sed & noſter auctor lib.4.ep. 34. ſenectutem papyri dixit,& epiſt.35. ætatem charitatis de epiſtolarum tyrocinio non debere æſtimari.

AD EPIST. VI.

Hæc epiſtola,ita vt nos expreſſimus,corrupta fuit in v.c.nec ſine præſidio alterius libri commodè reſtitui nequit. Quod autem hîc de Cenſoribus notat,fortè referri poterit ad morem Cenſorum, qui ſarta tecta exigebant,teſte Aſconio in orat.3. Ciceronis in Verrem.

AD EPIST. VII.

Ianum aperibat. v.c.perperam,apibat,errore librarij. Sic idem auctor infrà epiſt.38. Calendæ tunc erant quibus annus aperitur. Plinius in Panegyr. Contigit ergo priuatis aperire annum, faſtóſque reſerare. Sidonius Apollin.lib.8.epiſt.6. Conſul Aſterius anni ſui fores votiuum trabeatus aperuerat. Ceterùm quod hîc de frequenti Senatu adiicit,id etiã illuſtratur verbis Plinij Secundi,qui lib.2.epiſt.11. Dilata res eſt(ait) in proximum Senatum, cuius ipſe conſpectus auguſtiſſimus fuit. Princeps præſidebat. erat enim Conſul. ad hoc Ianuarius menſis cùm propter cetera, tum præcipuè Senatorum frequentia celeberrimus. *Ianus aperit.*

Noui ſaeculi fata. Sic v.c. Quanquam non malè legeres,noua hæc fata. Etenim cùm inſolita & inſperata fœlicitas alicui contigiſſet, nouum fatũ dicebatur à veteribus. Id videtur innuiſſe Pacatus in Panegyr. Nullam maiorem ait Principum fœlicitatẽ eſſe crediderim,quàm feciſſe fœlicem,& interceſſiſſe inopiæ,& fortunam viciſſe, & dediſſe homini nouum fatum. Inde illud Iuuenalis Satyr.7. circa finem. *Nouum fatum.*

--- exempla nouorum

Fatorum tranſi.---

Antoninus Pius. Sic videor rectè emendaſſe,cùm horum verborum loco in v.c.eſſet. Strunuus Pius.

Temporibus adiuti. v.c.habuit, teporibus. Quarum vocum affinitate aliquoties peccatum ſcio.Sic apud Vegetium lib.4.cap.34.vulgò legitur, Nam ferreos clauos tempore & humore celeriter rubigo cõſumit. Quod non rectè procedit. Si enim tractu temporis claui ferrei rubigine abſumuntur,quomodo celeriter?Sed vetuſtus codex, quem mihi vtendum præbuere nobiliſſimi & ſtudioſiſſimi fratres Franciſcus & Lazarus Seluç, habet,tepore,non tempore. *Vegetius correctus.*

Tecum loquentur. Ita emendaui.Peſſimè enim v.c.luquentur.Nam eodem modo infrà lib.9.ep.102.dixit litteras loqui,& ep. 67. hiſtorias loqui.Sic M. Tullius pro domo ſua dixit annales loqui. Et Gellius lib.9. cap.3. Demoſthenis orationes & cõciones vocificare.Hanc enim vocem retinent membranæ ſcriptæ. Apuleius apolog.1.Si litteræ (ait) ita vt partim vocales dicuntur,etiam propriam vocem vſurparent:ſi verba, ita vt poëtæ aiunt,pinnis apta vulgò volarent, nónne cumprimum epiſtolam iſtam Rufinus mala fide excerperet, pauca legeret,multa & meliora ſciẽs reticeret, nónne tunc ceteræ litteræ ſceleſtè ſe detineri proclamaſſent? verba ſuppreſſa de Rufini manibus foras euolaſſent,totum forũ tumultu compleſſent?Neque verò ſolis litteris vocem tribuimus. Nam eodem exemplo Sidonius Apollinaris in Paneg. Maior.dixit ſydera clamare, & aues loqui fata. Sic Caſſiodorus Var.lib.8.epi.10.vulnera corporis vocat præconium ſine aſſertore,propriámque linguam virtutis. Quibus addere placet locum Ammiani Marcellini lib.25. de Iuliano Imper.loquentis: Si nocturna lumina (ait)inter quæ lucubrabat,potuiſſent voce vlla teſtari,profectò oſtenderent inter hunc & quoſdam Principes mul- *Gellius emẽdatus.*

tum intereſſe, quem norant voluptatibus ne ad neceſſitatem quidem indulſiſſe naturæ.

AD EPIST. VIII.

Eiuſdem argumenti extat epiſtola apud Sidonium Apollinar. lib. 9. ep. 9. Ceterùm quod hîc in vulgatis libris habetur, *Ita me Dij dominis probabilem præſtent*, non ſic in v. c. conceptum eſt in quo vox, dominis, omittitur. Sed ego nolui temerè reiicere, quia illo nomine voluit deſignare Imperatores, quo titulo ſæpe honeſtãtur in libris veterum, vt apud Plinium in epiſtolis, Martialem, & l. 3. D. de his quæ in teſt. del. Sidonius Apollin. in Paneg. Maioria.

Domini qui.

—mea Gallia rerum

Ignoratur adhuc dominis. —

Domini rerũ Anianus etiam antiquus interpres, rerum dominos aliquoties pro Principibus poſuit, in interpretatione ſcilicet l. vlt. C. Theod. de Pactis. l. 11. de Pœnis. l. 20. de Decurio eod. Cod. cui adde Caſſiodor. lib. 1. Var. epiſt. 4. & lib. 12. epiſt. 6. 7. 11. & 13. Et Symmachus noſter lib. 10. epiſt. 36. Sciui meliorem eſſe iudicum cauſam quæ rerum dominis reſeruatur. Idem honoris cauſa ſolet alios quàm Imperatores dominos vocare, vt & Neſennius ad Paulum ſcribens in l. 22. d. ad leg. falc. Tranquillus tamen in Auguſto cap. 53. narrat, Auguſtum domini appellationem ſemper exhorruiſſe, vt maledictum & opprobrium, dominúmque ſeſe poſthac appellari non paſſum fuiſſe. Quod & eius exemplo factitauit Tiberius, vt idem Tranquillus in eius vita cap. 27. refert, & Seuerus, teſte Lampridio. Tertullianus in apolog. cap. 34. Dicam planè Imperatorem dominum, ſed more communi, ſed quando non cogor vt dominum dei vice dicam. Ceterùm liber ſum illi. Dominus enim meus vnus eſt deus omnipotens, æternus idem qui & ipſius. Qui pater patriæ eſt quomodo dominus? Sed gratius eſt nomen pietatis quàm poteſtatis. Etiã familiæ magis patres quàm domini vocantur. Sic ille, qui & in lib. aduerſus Hermogenẽ, domini vocẽ, poteſtatis ſummæ nomẽ eſſe arguit.

Sed ego quaſi paupertinus, ingenij mei conſcius. Ita vulgari libri. In v. c. eſt, Sed ego qui ſim pauperrini ingenij cõſcius. Codex Pith. Sed ego paupertini ingenij mei cõſcius. In quadam ſcheda pro, paupertinus, erat exaratum, pauperrimus. At nihil mutandum eſt. Nam ea voce vtitur Varro apud Nonium. Et Ammianus Marcellinus lib. 14. dixit turbam imæ & paupertinæ ſortis, & lib 26. domos paupertinas. Et Prudentius in Pſycho. arma paupertina.

Ora præterlabitur. v. c. prælabitur. Sic Petronius in ſaty. Ita feras mentes obſidet, eruditas præterlabitur.

Improuiſò, clarorum verſuum dignitate. Ita v. c. & vulgati libri. Codex Pith. improuiſa clarorum verſ. dign.

Sarmatico Hiſtro frigidiorem. Ita vulgò. v. c. Scyth. Tanai frigidiorem. Liber Pyth. frigidiorem Sarmatico Tanai.

Quàm nominibus varia tam coloribus. Lib. Pith. quæ ſicut nominibus variata coloribus. aliàs, quæ non minùs variata coloribus.

AD EPIST. IX.

Athenæi hoſpes. In athenæo profeſſores & rhetores ſua profitebantur ſtudia, eiúſque mentionem facit Symmachus lib.9. epi. 83. Capitolinus in Pertinace. Lampridius in Alexād. Seuero, & in Gordianis. Et Sidonius, Apollinar. li.2.ep.9. & lib. 4.ep.8. & lib.9.ep.9. & ep.14. Palladij autē meminit idem Symmachus lib.3. ep.50. Et de illo videtur ſenſiſſe Sidonius, qui lib.5.epiſt.10.pompam Palladij laudat.

Latiare concilium. Ita conſtanti fide ſcriptum eſt in v.c. non autem Latiale, vt infrà lib.8.in epiſt. ad Martia. In ore tuo vernat Cecropia muſa, mihi lingua Latiaris eſt. Et lib.9.epi.68.in domicilio Latiaris facundiæ ocio & ſtudio torpeo. Sic Prudentius lib.1.in Symmach. Funditur humanus Latiari in munere ſanguis. Et apud Lactantium lib.1. cap. 21. membranæ habent, Latiaris Iuppiter: quamuis Latialis, excuſum ſit.

Oratione quàm moribus. Seneca lib.20.ep.115. Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.

Non ſolus vultus &c. Ego iudicium meum ſecutus (quod tamen infirmum eſſe ſentio) totum hunc locum ita emendaui. Nam valdè erat deprauatus in v.c. hoc modo. Non ſolui vultus aut colus aſſerit poſteros in honorem parentum. Certiores habet natura vin-icias benè ſentiendi &c. Quòd autem in autographo vni tantùm litteræ vacuum ſpacium relictum fuit in deſcribenda voce, vindicias, hoc modo, vin-icias, id errore librarij factum videtur. Senſus autem eſt: Si quis quæſierit, cui maiorem laudem tribuere debeamus, naturæ an arti, natura decreto quodā vindicias feret, rémque obtinebit. *Vindiciæ.*

AD EPIST. X.

Ego aſtutum. v.c. actuum. quod etiam recipi poteſt.

Iterando obtundere, quàm fraudare reticendo. In v.c. leui errore ſcriptum erat, retitendo. Non diſſimiles næuos emendabam nuper in l. quod ad. C.Theod.lib.6.tit.2.ibi à conſortio ampliſſimi ordinis non retendant. Nam puto reponendum, non recedant. Huc verò non malè referes quod habet Plinius lib. 2.ep. 20. Præuaricationem ſcilicet eſſe tranſire dicenda, vel curſim & breuiter attingere quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda. Et Ammianus Marcel.lib.29. Fallere non minus videtur (inquit) qui geſta præterit ſciens, quàm ille qui nunquam facta fingit. Nec minus verè apud Plautũ in Querolo: Peierat ſæpe qui tacet. Tantum eſt enim verum, quantum & falſum dicere. *Codex Theodoſ. emẽdatus.*

AD EPIST. XI.

Siciliæ commune legauit. Sic infra lib.4 ep.47. legationem illis Campanorum Prouincialium commune mandauit. Ea vox vniuerſitatem ſiue corpus deſignat, vt apud Tullium orat.3.in Verrem, commune Milyadũ, pro Republica poſitum notat Aſconius Pædianus. *Commune.*

AD EPIST. XII.

Potiris ſumma iudicij. Id ad dignitatem Præfecti Prætorio referendum eſt, qua claruit Auſonius, cuiuſque meritum reliquis antiſtat l.1. C.de offic. Vic. Inde Conſtantinus in l.1.C.Theod de Epiſc.iudic. ad Abla- *Dignitas Pr. Prætorio.*

uium Præf. Præt. ſcribens: qui iudiciorum, air, ſummam tenetis. Et in l. 40. C. de Decurionib. ad Cynegium PP. Vobis propter loci dignitatẽ rerum ſumma commiſſa eſt. Ammianus Marcell. lib. 17. ſub initium; Ob quæ Præfecto Præt. ferri non poſſe clamante ſe repentè factum infidum, cui Auguſtus ſummam commiſerit terum. Idem etiam Præfecturam Prætorianam honorum omnium apicem vocat lib. 21. circa finem.

Et Caſſidorus Var. lib. 6. ei poteſtati nullam eſſe dignitatem æqualem ſcribit. Denique Eunapius Sardianus in vita Proæreſij, Præfecturam hanc inſtar Imperatoriæ dignitatis habere norat, niſi quòd purpuræ trabeæve vſu careat.

AD EPIST. XIIII.

Gemellas iunctim. Sic v. c. in quo etiam adnotatum fuit apicibus litterarum legi, iunctis: quod eodem recidit. Quam verò hoc loco tangit hiſtoriam, legere eſt apud Valerium lib. 1. cap. 1. Liuium lib. 27. & Plutarchum, qui referunt templum Virtuti & Honori nuncupatis votis à Marcello conſecratum fuiſſe. Sed & Feſtus Pompeius memoriæ prodidit, C. Marium ſummiſſiorem aliis ædem Honoris & Virtutis feciſſe, nè ſi fortè officeret auſpiciis publicis, augures eam demoliri cogerẽt. Eiúſq; templi mentio fit in antiqua tabula marmorea inuenta in via Flaminia.

Ædes Virtutis & Honoris.

Denique temporibus Veſpaſiani Principis, Cornelium Pium & Actiũ Priſcum Honoris & Virtutis ædes pinxiſſe, quas Veſpaſianus reſtituerat, legimus apud Plinium lib. 35. cap. 10. in fine. Illud propterea obiter animaduertendum eſt, in veterum ſcriptorum monumentis, ſæpe Virtutis & Honoris nomina quodam coniungi vinculo, quoniam inuicem coniurare debeant, & mutuam opem flagitent. Teſtes ſunt hi duo vetuſti tituli. *Virtuti & Honori L. Vlpius Marcellus leg. Aug. Pr. Pr. Panno. inf. V. S.* Alter ita habet. *C. Poblitio L. F. Bibulo Aed. Pl. Honoris Virtutiſque cauſa Senatuſconſulto, Populique iuſſu locus monumento, quo ipſe poſterique eius inferrentur, publicè datus eſt.* Sed & Prudẽtius poëta lib. 1. in Symmach. virtutis & gloriæ nomina coniunxit:

--- nec Romula virtus
Iam ſit anus, norit nec gloria parta ſenectam.

Et paulo poſt:

Præmia virtutum titulis & honoribus aucti
Ardua rettulerint. ---

Sed enim præterea. v. c. habebat, Sed enim propter etiã caminarũ relligio ſacro fontis aduertitur. Quod ſententiam inuolutam complectitur, ideóque mutandum cenſui, ſaluo tamen aliorum iudicio. Videtur autem de induſtria poeticè loqui, quòd ad Auſonium poëtam ſcribat.

Adnitentur artes. Sic infrà lib. 9. epiſt. 81. maximóque ſudore (ait) arduum laudis adnititur. Cum præpoſitione extulit Tullius lib. de amicitia: Natura ſolitarium nihil amat, ſempérque ad aliquid tanquam adminiculum adnititur.

Cyneæ Pyrrhus. Ita puto legendum, non autem Æneæ Pyrrhus, vt tamen eſt in v.c.

AD EPIST. XVI.

Nouus annus exſpectat. Nouus annus dicebatur primus annus imperij alicuius Imperatoris, vt ex Seneca in ludo Claudij notat Turnebus aduerſ.lib.13.cap. 8. Dicebatur & initium anni, vt apud Naſonem: *Nouus annus*

Dic age frigoribus quare nouus incipit annus.

Exſpectare autem ait annum Symmachus, vt infrà lib. 4.epi.61.& lib.5. epi. 81. Et Sidonius Apollin. lib. 1. epi.9. Ecce Calendæ Ianuariæ, quæ auguſti Conſulis mox futuri repetendum faſtis nomen opperiebantur. Erat enim Conſulum inchoare annum, & pandere, vt liquet ex l.1.Cod.Theod.ne quid publ.læt.& nou. Major. 3.de rit.imp. Saluiano lib.6.de prouid.& Caſſiodor.Var.lib.2.ep.1.multiſque aliis.

AD EPIST. XVII.

Scitamenta. Sic rectè. Non autem ſcuramenta, vt quædam ſchedæ. Apuleius lib.x.de aſin. Scitamenta mellita vocat. Et apud Macrobium Satur.lib.7.cap.14.Popinatores ſcitamentorum legimus. Paulinus epi. 3.ad Aprum. Appoſuiſti mihi diuites eſcas, quæ me eſurientem facilè in omnia verborum tuorum quaſi in varia electarum guſtu & aſpectu dapum ſcitamenta rapuerunt. Aulus Gellius lib.18.cap.8. Tranſlatè pro loquendi leporibus hac voce vtitur. quam etiam apud Plautum reſtituit Turnebus aduerſ.lib.18.cap.14. *Scitamenta quæ.*

Precum arbiter, legum conditor. Sic rectè v.c.nam hæc imperfecta circunferebantur in vulgatis æditionibus. Hinc autem conſtat quæ fuerint partes Quæſtoris ſub Imperatoribus. Ille enim condebat leges, & veritatem precum rimabatur, vt ſubſcriberet illis, ſi iuſta ratione niterētur. Quod liquet ex l.2.C.de per.bon.ſubl.& ex l.vlt.C.de diu.reſcript. & ex Nouel.Valētiniani de hom.caſu aut vol.fac.atque huc referri opus eſt, quod idem Symmachus ſcribit lib.2.epi.8.ad Flauianum his verbis: Neque enim te exhauſerit, quòd adeuntium preces indefeſſo abſoluis affatu, quòd venerandi Principis mente loqueris & oraculis. Ita enim legit v.c. Et lib.4.ep.50.ad Florentium: Quid quod te magis Quæſturæ honor & condendarum ſanctionum vſus excoluit? Et lib.5.epi. 52.ad Fœlicem. Rogo te cogites, quid de auguſto aditu, cuius loqueris oracula, deceat impetrari. Fraterna tecum ſollicitudine loquor. Reſcriptorum omnium fama te reſpicit. Caſſiodorus Var.lib.6.Quæſtura linguæ Regiæ vox eſt. Et lib.8.epiſt.13. Ad Ambroſium Quæſtorem: Vox legum dicetis, dum iura condimus &c. Sed & in conſtitutione, de Theodoſ.Codic.auctoritate: Martyrius quidam dicitur Quæſtor Principis fidúſque interpres. *Quæſtor.*

Adde huc alia mille rerum. Ille. Sic legit & diſpungit v. c. rectiſſimè. Nam deterior eſt ſcriptura vulgatorum codicum, hæc ſcilicet: Adde huc alia mille. Ille rerum euentus nequaquam eueniet &c. Neque eſt cur quis ſuſpecti arguat ſcripturam v. c. Mille enim geni- *Mille.*

tiuo coniunctum antiqui efferebant, auctoribus A. Gellio lib. 1. cap. 16. & Macrobio lib. 1. cap. 5. Cùm dicis mille verborum (ait ille) quid aliud ſermo tuus niſi ipſam redolet vetuſtatem? M. Tullius pro Milone, Facilè Mille hominum verſabatur valentium. Quadrigarius 3. Annal. Ibi occiduntur mille hominum. Et Lucillius apud Nonium. Cui ſæpe mille impoſui plagarum in diem.

Imitanda eſt. Ita v.c. vulgò antea, Imitanda eſt mihi epiſtola recens, ne fortè plurimis occupatus recuſes.

AD EPIST. XVIII.

In queis, vt opinor. Non incommodè etiam ſic legeris, in qua, vt opinor, opulentia, eruditioni tuæ &c. Nam ferri non poſſe videtur hæc lectio v.c. in quis vt opinor opulentiæ eruditioni tuæ negligens veritatis librarij diſplicebit. Vtcunque ſit, ſenſus & mens auctoris liquet. Arguit enim incuriæ librarium, qui in exſcribendo Pliniano opere, plurima interpollauerit. Quamobrem optimo conſilio Diuus Hieronymus in fronte Chronicorum à ſe tranſlatorum adiurat librarios, vt quod exſcripſerint, cum authentico diligenter conferant & emendent, eiúſque genus adiurationis in eum codicem transferant quem deſcripſerint, vt nimirum cautiores fiant librarij.

AD EPIST. XX.

In ſpecula bonorum. Perperam in v.c. ſpocula. Sic Plinius lib. 2. epiſt. 12. ſpeculam pro Curia & Senatu poſuit. Et idem in Panegyr. amicitiæ ſpeculam dixit. Inde in ſpeculis agere prouerbialiter ſæpe repetitum eſt in codice Theodoſ.

AD EPIST. XXII.

Cautio eſt. *Longum de his loqui cautio eſt.* Ita optimè v.c. vt etiam liber Pithœi. Vulgò tamen cum negatione legitur, cautio non eſt. Sed vitiosè. nam ita aliàs auctor loquitur vt infrà epiſt. 39. Simul cautio eſt mihi, ne te ſermo multus offendat. & ep. 44. Sed longum de his loqui cautio eſt, ne tibi moleſtior. & Plautus in Pœnul.

--- nunc mihi cautio eſt
Ne meamet culpa meo amori oliexim moram.

Et Terentius Andr. act. 2. ſc. 3. Puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ab illa, cautio eſt.

Dies arguet. In æditione Scotti horum verborum loco legitur, quiſquam arguet.

AD EPIST. XXIII.

Nihil moror. Hanc epiſtolam magnoperè deprauatam reperi in v.c. & vbique emendatione ferè opus habet. Non diſſimulabo tamen rationes quibus adductus aliquid immutaui, ne quis ſucceenſeat.

Moror. v.c. meror. Ex quo effeci, moror, perſpicua ſententia. Nam miror, hoc loco non conueniret.

Habitu metiuntur. Ita v.c. nec audio eos qui hîc legunt mentiuntur.

Huc refert verba Gellij lib.9.cap.2.& l. 8.C.de med. & profeſſ. vt etiam Apuleij lib.1.Floridor.quo loco arguit quoſdam nebulones,qui palliotenus Philoſophi,diſciplinas ſapientiæ contaminarent. Et ſi autem verũ ſit ex habitu neminem metiri oportere:crinis tamen & habitus indicio ſolet eſſe philoſophis, vt ait idem Symmachus lib.2.ep.49.Sidonius certè Apollinaris lib.4.ep.9.Vectium illuſtrem virum commendat,quòd nouo genere viuendi monachum compleret,non ſub pallio, ſed ſub paludamento.& epiſt.11.de quodam Claudiano inter alia ſic ſcribit. Vir fuit prudens,populi ſui ingenioſiſſimus,quíque indeſinenter ſalua religione philoſopharetur, & licèt crinem barbámque non paſceret , nunc etiam exſecraretur: à collegio tamen complatonicorum ſolo habitu & fide diſſociabatur.Sic ille.Quanquam dubito num potius legendum ſit,ſolo habitu & facie.Idem denique auctor lib.9.ep.9.laudat Fauſtum ,quia non paſceret cæſariem,neque pallio aut claua , velut ſophiſticis inſignibus, gloriaretur,aut affectaret de veſtium diſcretione ſuperbiam , de nitore pompam, de ſqualore iactantiam &c. *Habitus philoſophorum.* *Sidon.Apoll. correctus.*

Tunc inquies. Malè v.c.tunc inq.

Myronis buculam. v.c. perperam, baculam.Myronem enim nobilitauit maximè bucula verſibus celebratis laudata. Quando alieno plerique ingenio magis quàm ſuo commendantur,vt ait Plinius lib.34.cap. 8. Scribit verò Petronius Arbiter Myronem ,qui pæne hominum ferarúmque animas ære comprehenderat,præ inopia hæredem non inueniſſe.

Et Policane ferus &c. Scripturam v.c fideliter adumbraui,licèt turpiter contaminatam. Atque mehercule mentirer niſi faterer mihi negotium vehementer exhibuiſſe. Nam vix id explicari poteſt , nec ſi Carneadem ipſum orcus remittat,quod apud Lucillium diſſerens Neptunus de re difficili ait. Coniicio tamen legendum eſſe, Et Polycleti canephoras rudis eius artis &c.Coniecturam meam cõfirmant verba M. Tullij ita ſcribentis in Verrem lib.4.oratione 9.paulo poſt principium.Erant ænea duo ſigna non maxima,verùm eximia venuſtate virginali habitu, atque veſtitu,quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium virginum repoſita in capitibus ſuſtinebant. Canephoræ ipſæ vocabantur. Sed earum artificem quemnam ? Rectè admones. Polycletum eſſe dicebant. Meſſanam vt quiſque noſtrum venerat,hæc viſere ſolebat.Omnibus hæc ad viſendum patebant quotidie.Domus erat non domino magis ornamento,quàm ciuitati.Ex quibus verbis colligere eſt,præſtantiſſimũ fuiſſe illud Polycleti opus.Et ſanè hoc loco Symmachus, egregia duntaxat artificum monumenta enumerare voluit.quàm verò fœliciter diuinarim, eorum erit iudicium qui in emendandis auctoribus aliquando ſudarint. *Polycleti canephora.*

Ad vetuſtatem vergeret. Ita emendaui ſecutus mentem auctoris , reiecta lectione v.c.habentis,ad venuſtatem. Nam voluit conferre ſæculum quo vixit cum antiquis.Et verò quotieſcunque honorificè de aliquo ſentirent,illum parem vel proximum veteribus eſſe profitebantur, vt idem Symmachus lib.10.ep.24.Vectium veteribus parem virtutum omnium

Sidon Apol. correctus. fata rapuerunt. Sidonius Apollin. lib. 5. ep. 10. Amore ſtudiorum te ſingulariter amat, in quo ſolo vel maximè omnium (ſic enim emendo & lego, non animum vt vulgò) aduertit veteris peritiæ diligentiæque reſediſſe veſtigia. Et lib. 4. ep. 17. Par ducibus antiquis lingua, manúque. D. Hieronymus in Mattroniano, In metrico opere veteribus comparandus. Et in antiquo monumento, *Memoria C. F. L. Perduceus Iuliana moribus, natalibus, ac pudicitia priſcis illuſtribúſque fœminis comparanda &c.* Velleius Paterculus lib. 2. de Sentio Saturnino loquens: Quod ego factum (ait) cuilibet veterum Conſulum gloriæ comparandum reor: niſi quòd naturaliter audita viſis laudamus libentius, & præſentia inuidia, præterita veneratione proſequimur: & his nos obrui, illis inſtrui credimus. Quare venuſtè Sidonius Apoll. lib. 8. ep. 11. de Lampridio oratore: Legebat (ait) inceſſanter auctores, cum reuerentia antiquos, ſine inuidia recentes. Et Plinius lib. 6. ep. 21. Sum ex iis qui mirer antiquos, non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa & effœta natura nihil tam laudabile parit &c.

Nec in his falſum eſſe quæ neſcio. Sic repoſui ex veſtigiis v. c. Quòd verò ait ſe nec in illis falli quæ neſcit, cauſæ ſeruit. Húcque non incommodè referes quod habet Apuleius apolog. 1. contra Æmilianum: Habuit Apuleius (ait) quæpiam linteolo inuoluta apud lares Pontiani. Hæc quoniam ignoro quæ fuerint, idcirco magica fuiſſe contendo. Crede igitur mihi quod dico, quia id dico quod neſcio. O pulchra argumenta & apertè crimen reuincentia. Hoc fuit, quoniam quid fuerit ignoro. Solus repertus es Æmiliane, qui ſcias etiã illa quæ neſcis. Tantùm ſuper omnes ſtultitiæ vectus es. Quippe qui ſolertiſſimi & acerrimi philoſophorum ne iis quidem confidendum eſſe aiunt, quæ videmus. At tu de illis quoque affirmas, quæ neque conſpexiſti vnquã, neque audiſti &c.

AD EPIST. XXIIII.

Roma elogia. *Vrbis noſtræ velis.* Hæc vitioſè expreſſa fuerant in v. c. Romam autem hic intelligit vrbis nomine, quo titulo ceteris dignior viſa eſt. Ammianus Marcellinus lib. 14. ſcribit Romam olim virtutum omnium domicilium fuiſſe. Caſſiodorus Var. lib. 1. ep. 37. vocat Romam matrem omnium dignitatum, & epiſt. 39. eloquentiæ fœcundam matrem, virtutúmque omnium latiſſimum templum. Sed & Sidonius Apollinaris lib. 1. ep. 6. nuncupat legũ domicilium, gymnaſium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, & patriam libertatis. Quamuis autem ſedes eſſet toto mirabilis orbe, vt ait idem Caſſiodorus lib. 11. ep 2. attamen diuus Hieronymus epiſt. ad Paulinum, miratur Gaditanum quendam Titi Liuij ſolo nomine & gloria potius commotum fuiſſe, quàm Romanæ vrbis ſplendore, cùm Romam pergeret. Quos (inquit) ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſæculis celebrandúmque miraculum, vt vrbem tantam ingreſsi, aliud extra vrbem quærerent. Exſtat lepidum dictum Conſtantij Imper. (vt opinor) apud Ammianum Marcellin. lib. 16. qui cùm vidiſſet ornamẽta & miracula vrbis, interrogatus quid de Roma ſentiret: id tantum ſibi

placuiſſe aiebat, quòd didiciſſet ibi quoque homines mori. Nunc verò nominis ſui decoctrix iacet, & eſt nihil aliud quàm ſuæ venuſtatis priſtinæ ſpurcum cadauer.

AD EPIST. XXV.

Merum gaudium. Ita editio Frobennij habet. At in v. c. vt etiam in editione Scotti, & in libro Pithœi ſcriptum eſt, Verum gaudium, quod vtrunque defendi poteſt, quia Nonius & Feſtus notant merum pro puro & ſincero ſumi. Poſtrema tamen lectio maximè arridet. Vt enim inania quædam ſunt gaudia, ſic etiam vera & ſolida, quemadmodum docet Seneca epiſt. 59. lib. 8. quo loco ſatis arguit ab imperitis ea dici gaudia, quæ tamen ſæpè initia futuræ triſtitiæ ſint. Sed & Diuus Auguſt. lib. 2. de ſermo. dom. in monte, ſub finem ſcribit malos homines non gaudere, ſed geſtire propriè, verùmque gaudium in bonis tantùm poni. Apud Fabium lib. 2. cap. 4. inania gaudia legimus, & vana apud Horatium lib. 2. ep. 1. & ſordida gaudia lib. 3. ſyluar. Apud Papinium Surculum Statium. Sic enim ille poeta vocatur in vetuſto codice diui Benigni Diuionenſis. *Gaudia vera.*

Quippe ita facundia antiſtas ceteris. In quibuſdam Auſonij libris editis ita legitur: Quippe ita facunda maieſtas eſt ſcriptorum tuorum. Quomodo etiam habet editio Scotti.

oblita Tulliano. editio Scotti, polita Tulliano.

Honorabili amore. Liber Scotti, memorabili amore.

Nimio plus. Eo ordine legit v. c. vulgò tamē legitur, plus nimio. Quod & ſi eodem ferè recidat, non propterea fuit recedendum ab antiqua ſcriptura. Quid quòd optimi auctores ſic locuti ſunt? M. Tullius lib. 10. ad Atticum. epiſt. 196. Sed quia te nimio plus diligo, non poſſum diſſimulare infamiā, quāuis falſa ſit. Titus Liuius lib. 2. dec. 1. nimio plus quā velim noſtrorum ingenia ſunt mobilia, multis id cladibus ſenſimus. Apuleius apolog. 2. ni bonæ vxoris prolixam liberalitatem circa me nimio plus æquo cohercerem. Et Plautus in Bacchid. Video nimio iam multo plus quàm volueram. *Nimio plus.*

Ardentes fauillas ore comprimere. In ora v. c. additum erat continere, quod idem eſt. Sed tamen prior lectio efficacior eſt. Hanc verò ſententiam ita extulit Tullius 2. de Orator. Dicere enim aiunt Ennium (inquit) flammā à ſapiente faciliùs ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneat, hæc ſcilicet bona dicta quæ falſa ſint. Petronius Arbiter in Saty.

> *Nam citiùs flammas mortales ore tenebunt*
> *Quàm ſecreta tegant. Quicquid dimittis in aula*
> *Effluit, & ſubitis rumoribus oppida pulſat.*

Sed & Ennodius epiſt. ad Agnellum: Facilius eſt ignem (ait) in pyras animatum lingua comprimere, quàm ſilentium inter optata ſeruare. Humanitatis lex eſt & naturæ imperium hilaritatem mentis, opibus ſcribtionis effluere. Emanant enim vel ſi arctentur fœcunda conclauibus. Sic ille: vbi tamen malim legere, ſecunda, non autem fœcunda. Notum eſt ex Plutarcho, Appiano, & Dione factum Porciæ, quæ ardentes ore carbones hauſit. *Ennodius notatur.*

Magis imitator. Ita omnes libri. Placet tamen mihi maximè coniectura quàm offendi in codice Pithœi, magis inuitator. eſt enim argutior.

Ammianus Marcel. emend.

Emittendi operis. Aliàs, enunciandi operis. Sic apud Ammianum Marcellinum lib. 15. vbi vulgò eſt, Cuius temperati mores emittendi ſunt potius quàm prædicandi, videtur legendum eſſe, imitandi ſunt. Et apud Vopiſcum in Tacito in fine, vbi eſt excuſum, Nec tacendum eſt, & frequenter imitandum. Puto reponendum, ſed frequenter intimandum.

Et Vopiſcus.

Dempſit inuidia. Lib. Scotti, depreſsit inuidia.

Admordere

Admorſu dentis vratur. Ita v.c. In quibuſdam Auſonij libris repoſitũ fuit, ad morſum dentis vratur. In libro verò Scotti vt etiam in codice Pith. legitur, à morſu dentis. Sed placet magis vt vna voce admorſu legamus. Sic Plautus in Pſeud. Habet argentum. iam admordere hunc mihi lubet. Et Propertius lib. 3. eleg. 11. brachia ſactis colubris admorſa dixit. Et Maro lib. 2. Georg. admorſo ſignatam in ſtirpe cicatricem. Simili exemplo adrodere caulas eccleſiaſticas clandeſtino morſu ait Sidonius Apol. lib. 7. epiſt. 6. Et apud Capitolinum Antoninus Pius cenſet, nihil eſſe ſordidius quàm ſi rempublicam ij adroderent, qui nihil in eam ſuo labore cõferrent. Et Seneca epiſt. 27. Quadratus ſtultorũ diuitũ arroſor, & quod ſequitur arriſor, & quod duobus his adiunctũ eſt deriſor.

Adrodere.

Ingratus ſcæuo cuique probóque laudabilis es. In libris quibuſdam Auſonij legitur, ingratiis. Ingratus hoc loco idem valet, ac coactus & inuitus, vt vetus interpres notat ad Terentium in Eunucho act. 2. ſce. 1. illo ſcilicet loco. Opus faciam vt defatiger vſque ingratus vt dormiam. Illud verò animaduertendum eſt in vulgata editione Frobennij peſſimè acceptũ fuiſſe hunc locum Symmachi, ita nimirum, Ingratiſſimo cuique probóque &c. Itaque ſecutus veriores libros repoſui, ingratus ſcæuo, aperto ſenſu. Vult enim innuere Auſonij ſcripta tam eſſe erudita & elegantia, vt præconium etiam ab inuitis extorqueant. Sic ſupra epiſt. 8. ad eundem ſcribens, Velim tacere, ait, quid ſentiam. Velim iuſto de te ſilentio vindicari: ſed admiratio ſcriptorum tuorum ſenſum frangit iniuriæ. Et Sidonius Apollinaris eodem exemplo lib. 7. epiſt. 8. Simplicium Epiſcopum vocat virum exactiſſimum, de quo quiuis malus loqui, bonus tacere non poſſet. Et lib. 9. epiſt. 9. ad Fauſtum, Sed iam nec ipſe fruſtra ſuperbis (inquit) vtpote intelligens tibi ineſſe virtutem ſic perorandi, vt lectori tuo ſeu reluctanti ſeu voluntario ius voluptatis excludat præconij neceſſitatem. proinde accipe quid ſuper ſcriptis tuis & iniuriam paſſi cenſeamus. Sic ille. Vbi tamẽ malim legere, excudat præconij neceſſ. qua voce aliâs ſæpe vtitur. Sed & Ennodius epiſt. ad Partinium, Facundia ab illo prædicata (ait) præualet fauorem etiam ab inimicis exigere. Ceterùm voce, ſcæui, vſus eſt idem Symmachus lib. 3. epiſt. 69. ſub obtentu tuo à quibuſdam ſcæuis deſignata dicuntur. quem locum Iunius v.c. retulit in ſuorũ prouerbiorũ claſſem, & ſcæuos homines pro ſtolidis & rerum imperitis accipit. Quod ego tamen minimè probo, pace illius dixerim. Nam antiqua gloſſaria, ſcæuos interpretãtur ſiniſtros, malos, peruerſos, contrarios, ſceleratos, & crudeles. quanquam ſcæuũ pro obliquo

Sidonius emendat.

Scæuus quid.

&

& ſinuoſo videtur poſitum à Vegetio li.1.c. 5. & in Græco-latino lexico ſcribitur,σκαιός, ſcæuus, opportunus. Quod non malè retuleris ad auguria, quæ ſiniſtra boni eſſe euentus credita ſunt. Alij prætetea auctores hac voce aliquoties vſi ſunt: vt Atnobius li.5. Ac ne ſcæuus aliquis nuptialia in terrumperet gaudia, fecit oppidū claudi. Apuleius li.9. de Aſino, omnia prorſus vt in quandam cœnoſam lattinam in eius animum confluxerant flagitia, ſcęua, ſæua, vitioſa, ebrioſa, peruicax, pertinax. In Codice Theodoſiano l.9. de hæret. ſcęui dogmatis retinere principatum legimus. & in l.43. ſcæua relligio dicitur. & in l.9. de infir. his quæ ſub tyr. ſcæua tyrannorum tempora vocātur. Vt etiam in l.17. de pœnis. eodem Codice, iubetur Eutropius Patriciatus dignitate, atque omnibus inferioribus ſpoliari, quos morum polluit ſcæuitate. Qui locus facit vt ego exiſtimē in l.5. ſi quis. C. de poſtul. legendum eſſe, huiuſmodi ſcæuitate. Nam ea vox in exemplaribus vulgatis corrupta eſt, modò habētibus, inciuilitate: modò, fœditate: modò, ſæuitate. Nec id nouum videri debet. Nam & aliis locis ea vox temerè deturbata repetitur: vt apud Sulpitium Seuerū dial. 1. de virt. mon. orient. vbi vulgò legitur, ſæuo exemplo ad regendam Eccleſiæ diſciplinam profectus: libri calamo exarati habent, ſcæuo. Et dialog. 2. cap. 7. vniuerſis ſæuæ opinionis opprobriis careremus: iidem libri myſtici legunt, ſcæuæ. Sic apud Gellium lib.12. cap.13. Turnebus monuit reponendum, ſcænus profectò & cæcus animi forem. Nam vulgò excuſum fuit, ſæuus, & læuus. Magna vbique diſcordia, adeò omnia mendis deformata ſunt. Denique in l. 19. C. de Epiſc. & cler. paſſim legitur: Nihil ſæui criminis æſtimari fœdus naturale permittit. At in archetypo, id eſt in l. 44. C. Theod. eod. tit. rectiùs habetur, ſcæui criminis. Sunt qui nullo diſcrimine, ſcæuum & ſæuum permiſceant: ſed falluntur, ſi rem propiùs conſideres.

L.5 C.de poſtu. — *Sulp. Seuerus emendatur.* — *Gellius.* — *L.19. C.de Epiſ.& cler.*

Caſſas dehinc. Lib. Scotti, deinde.

Iactantia fugax. Idem, iactantiam fugis.

AD EPIST. XXVI.

Mihi epiſtola mea apud Capuam tibi reddita concinnationem inhumanā non eſſe. Sic vulgò legitur. At in v.c. mihi quòd epiſtolæ meæ a.c.t. r. concinnatio inhumana non eſſet. In aliquot Auſonianis libris concinnatio humana non eſſet. Quæ lectio non eſt repudianda, cùm eodem ſchemate Symmachus ſupra ep.8. diuinis potiùs quàm humanis verſibus Moſellam conſecratum ab Auſonio dixerit. Et Apuleius l.5. Aſini, inhumanam menſam pro diuina nec mortali vſurpat. Sed tamen excuſam lectionem præfero. Nam video Ennodium in epiſt. ad Conſtantium hunc locum ita adumbraſſe. Ipſe oris mei labentem confirmet infantiam, vt ratiocinationis noſtræ concinnatio non inhumana videatur. Sic enim legendum & emendandum puto. Nam vulgò eſt, vt hallucinationis noſtræ. Idem epiſt. ad Patricium: Sed quid epiſtolæ terminos loquacitate produxi, coactas lege paginas inhumana concinnatione tranſgreſſus?

Ennodius correctus.

Succo nectaris. Sic v.c. quidam excuſi libri, fuco nectaris: Pius verò, in ſuis ad Lucretium commentariis, non ſatis piè cenſuit cùm hic reponeret, fauo nectaris: inuitis omnibus libris. Succum autem nectaris pro re ſuauiſſima & gratiſſima poſuit vt apud Lucretium lib. 2.

Nectaris ſuccus.

Nardi florem nectar qui naribus halet. Et idem Symmachus lib.9.ep. 79.litteræ tuæ halentes Platonicum nectar. Et Martialis lib.9.

Nomen nectare dulcius beato.

Prudentius lib.1.Steph. reddente nectar carcere.Et hymno 9.nectar ſacri oris Chriſti dixit.Vt etiam in Hamartig.peccati nectare captis hominibus dulce mori eſſe. Sic alius vetus poeta dixit,Pierio nectare mentem perfundere. Sunt tamen qui hoc referant ad illud vini genus quod nectar olim appellabatur,quódque mixtum fuit odoribus teſte Atheneo lib. 2. cap.1.Quanquam etiam frequenter veteres vſi fuerint vino odoribus cõdito,vt eſt apud Caſſiod.Var.lib.12.ep.4.Ælianum lib.12. hiſt.Eunapium Sardianum in Iamblico,& Arnobium lib.5.

Tum abſynthium meum reſipit. Sic vulgò: in quibuſdam tamen exemplaribus legitur,meum reſpicio.

Rurſus illicior.& rurſum. Lib. Scotti,rurſus illicior retrorſum. vt etiam cod. Pith.

Bractea. *Acrius bractea fucus.* Lib.Pith. bractearum. Veteres gloſæ bracteam ſiue bracteam, tenuem auri argentíque laminam interpretantur. Inde bractearij in l.1.C.de exc.artif. quos bracteatores vocat Iulius Firmicus Math. lib.1.apud Plinium lib.16.c.44.bracteas ligni legimus. Et bractearum lacunar apud Sidonium lib.2.ep.10.& lib.8.ep.8.geſtatorias bractearas: apud Prudentium hym. 10. fulgorem bractealem: apud Martianum Capellam lib. 1.comas bracteatas.Sed & Plinius in Panegyr. mentis aureæ dictum bracteatum vocat Et Seneca fœlicitatem bracteatam pro tenui & parum ſolida videtur poſuiſſe lib.21.ep.116.

Aut quiſquam ita. Lib. Pith. quis ita nitet. Editio Scotti, Haud quiſquam ita.

Sermonis affatus. Al.afflatus.

Commẽdatio & emẽdatio. *Vltra commendationem omnium.* Sic vulgò. Sed v.c. vt etiam Auſoniani aliquot codices habent,emendationem quod ego verius arbitror. Nam ita hunc locum Ennodius imitatus eſt epiſtola ad Conſtãtium. Vt tu qui tè vltra emendationem omnium protuliſti, triumphi honore gratuleris. Ea voce etiam vtitur ſæpe Symmachus,vt ſuprà lib.1. ep.19. & lib.3. ep.43.& lib.10.ep.45.vtuntur & alij auctores.Vt Auſonius in Panegyr. emendatiſſimi viri eſt pœnitenda non facere.Plinius lib. 8. ep.22. ego optimum & emendatiſsimum exiſtimo,qui ceteris ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet.Sic Arnobius lib.2.emendatiſsimos mores dixit.Petronius Arbiter mulierem omnibus ſimulachris emendatiorem. Et Aurelius Victor Traianum excultum atque emendatum vocat. Quemadmodum etiam Vlpianus li.11.d.de dol. mal. prodigum ac vilem homini vitæ emendatioris oppoſuit. Ceterùm vulgata lectio non caret elegãtia.Nec enim vlla laus amplior eſſe poteſt, quàm videri omni commendatione maiorem eſſe.Quo ſenſu Macrobius Satur.1. cap. 24 de Virgilio loquens, Hæc eſt Maronis (ait)gloria vt nullius laudibus creſcat,nullius vituperatione minuatur.Et Petronius Arbiter in Saty.Nulla vox eſt,quæ formam eius poſsit cõprehendere.nam quicquid dixero, minus eſt.

Ad ſophiſticas Iſocratis concluſiones. Sic v.c. Liber Scotti, ad ſophiſticam Socratis concluſionem: vt etiam codex Pithœi. Alia exemplaria habent, ſophiſticas Socratis concluſiones.

Hæc domine mi fili Symmache non vereor. Lib. Pith. hęc dicere fili mi Symmache iam vereor.

Noſtri Maronis. Ita omnes. Sed v.c. veſtri. perperam. Cùm enim Auſonius poeta huius epiſtolę auctor ſit, non immeritò Maronem ſuum dixit. Ea loquendi ratio exemplis adiuuatur. Soſiparer lib. I. aliquid tamen auctoritati Virgilij noſtri tribuendum eſt. Anneus Seneca lib. 8. ep. 59. Cùm dicat Virgilius noſter &c. Ennodius in quadam præfatione, Maro noſter tantis inſtitutores ſuos commendauit, quantis ipſe notus eſt. Et certè illos per merita ſua fama non prodidit. Hieronymus noſter, niſi præceptorem ſuum Gregorium diceret, nihilo melior cenſeretur. Sed illi applicanda ſunt bona nominati, à quo ſumpſiſſe videntur originem In ſumma vt dixi, cælum pulſat magiſtri opinio perfectione diſcipuli. Sic enim arbitror emendandum eſſe illum locum vulgò corruptum. Denique Paulus in l. 10. d. de bon. poſſ. ſec. tab. & Scæuola noſter probat. *Noſter Maro.* *Ennodius correctus.*

Et mare vt effluat. Id ſic adumbratum video ab Ennodio ad Florum: Hunc ergo improbus & fronte debilis excitaui. Hac fiducia prouocaſſem ventos ad flandum, ad curſum flumina, Fauſtum meum ad facundiam.

AD EPIST. XXVII.

Dum ſitiunt aeris Sic ex v.c. repoſui, & libro Pith. qui tamen pro illiquitur, habuit, liquitur. Totum verò hoc deſumptum eſt ex Plauto in Captiuis. Æſtum autem infeſtum eſſe cochleis docet Var. lib. 3. de re ruſt. cap. 14.

Qui deſertus eloquij tui paſtu. v.c. qui deſertus paſtus eloquij tui.

AD EPIST. XXVIII.

Atque exculpere à te. Ita rectè omnes libri præter Scottum, qui legit, atque expoſtulare à te. Vide notas ad epiſt. 21. lib. 8.

Citò marcet vt roſa. Sic repoſui ex v.c. vulgati codices, citò mucet vt roſa. Non tam aptè. Mucere enim propriè vini eſt & liquoris, vt apud Plinium lib. 14. cap. 20. in fine: Marcere autem magis ad flores refertur, vt apud eundem lib. 21. cap. 11. Seneca lib. de diu. prouid. figuratè dixit virtutem ſine aduerſario marcere.

Liuet vt lilia. Ita v.c. vulgò, liquet vt lilia. Liber Scotti habet. candet & liquet vt lilia Quod adeò non probatur. Eſt enim liuor veſtigium & macula, quæ ex contuſione vel percuſsione oritur. Et antea dixerat auctor, ſi negligentiùs tractes.

Tuæ vnanimitatis. Ita v.c. vulgò erat, tuæ animoſitatis. Sed id corruptè. quemadmodum etiam l. 5. ep. 47. & l. 6. ep. 61. ea vox deprauata fuerat, cuius loco humanitatis nomen ſubſtitutum repperi, licèt veteres libri reclamarent. Sanè ſic loqui ſolet auctor, vt liquet ex epiſt. libri 6. & alij ſcriptores ea voce vtũtur paſſim, vt Paulinus, D. Ambroſius, Ammianus Marcellinus, & Sulpitius Seuerus ep. ad Deſiderium: Ego quidem frater vnanimis, ait, libellum &c. Ita enim habent manuſcripti codices. *Vnanimitas.* *Sulpitius Seuer. emendat.*

Qua dolebant. Al. dolebam.

Nam quoties &c. Totum hunc locum auxi & reſtitui ope v. c. niſi quòd pro deſit, habebat, deſit, quod nolui mutare. Nam ſic alij locuti ſunt auctores. Lucretius li.3. nec deſit ponderis hilum. & l.6. vitai copia deſit. Vegetius lib.3.c.1. Nam quantolibet ſtudio præparetur annona, tantò maturius deſit, quantò pluribus erogatur. Sed & idem Symmachus lib.5. ep.87. plerumque enim ſcribendi cupidis deſit occaſio. Virgilius ægl.2. Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit. Verùm pro officio, non reticebo vulgatá huius loci ſcripturam ſic habentem. Nam cùm ſcribam tibi ex ſententia vſus verborum ſuppetit, quorum aliàs ſupellex mihi deſit. Quippe lætitia loquax res eſt, atque oſtentatrix ſui, adeò vt magnæ parti hominum nulla ab hac cautio ſit. Verùm lectio vetus melior eſt. Quòd autem addit lætitiam rem eſſe loquacem, id ſic expreſſit Caſſiodorus lib. 4.ep.4. Gaudia ſemper animos inquietant. Modus etiam tarò interuenit. Garrula res eſt lætitia. Nec enim præ gaudio poteſt ſpiritus contineri. Ita enim habent membranæ Iani Præuotij I.C. doctiſſimi & diligentiſſimi. Eodem etiam exemplo Pacatus in Paneg. ait in eundẽ hominem non poſſe eodem tempore gaudium & ſilentium conuenire. Et Plinius in Paneg. ſcribit ineſſe gaudio vim cogendi. Nec minùs venuſtè Nazarius in Paneg. ait, exundantis lætitiæ magnitudinem ſeſe non capere, & in exprimendo maximo gaudio ingratam eſſe orationem niſi & ipſa laſciuiat. Qua ratione idem Symmachus li.3.ep.9. dixit verba luxuriantia ſui animi alacritatẽ teſtari. Sed & Ennodius Ticinenſis in natali Laurentij Epiſcopi, Cur huius (ait) natalis exordia ſilentij fœditate dehoneſtem? Mãca eſt ſine ſermone hilaritas, & ſimulachrum mœroris eſt occultare quod gaudeas, & afflictionis imitatio vocem in lætitia non habere. Et alio loco, Debetur vox ſerena lætitiæ, ne multa gaudia mœroris imaginem ſortiantur. Cui enim pateat exultantis animi ſecretum, niſi oris claue reſeratum? Secede quæſo ad tempus officij cẽſura grauioris. Nunquã te opportunè gaudiis miſcuiſti. Hæc ille. Quibus cõgruit vetus prouerbiũ relatũ à D. Hierony. nimirũ eloquentiã rem non eſſe triſtẽ. Nec prætermittendũ eſt quod M. Cato in oratione pro Rhodienſibus affirmat, res ſecundas lætitia trãſuorſum nos trudere à rectè conſulendo atque intelligendo. Apuleius verò Florid. li.3. lætitiam obſtrepere ait facundiæ, & cogitationẽ voluptate impedire.

Caſſiodorus emendatur.

Vigilans pro meis rebus anniteris. v.c. pro, vigilans, habet, vigiliã. Sic. li.5. ep. 47. & ideò hanc operam perſeueranter aduigilo. Nec dubitò quin ita ſcripſerit auctor. Lib. Pith. vigilia pro &c.

Nulli rei eſt. Sic v.c. vulgò, nullius. Terentius apud Chariſium, tam iners, tam nulli conſilij ſum.

Supereſt tamen. v.c. ſemper eſt tamen.

Huic ſtudio meo. v.c. huic in meo ſtudio: fortè meliùs, huic in me ſtudio.

Expoſtulatio ſine labe concordia. Hæc eſt recta ſcriptura v.c. vulgò erat, poſtulatio. qui error etiã obrepſerat l.4.ep.28. vbi pro, expoſtulatione perſtringere, legebatur, poſtulatione, contrà fidem v.c. Expoſtulare eſt querelam apud eum ipſum deponere qui fecit iniuriam. At poſtulare eſt

querelam dicere de altero apud alterum, vt ex Donato notatum eſt. Et verò ſatis hîc innuit auctor ſe de Auſonio apud ipſum Auſonium cõqueſtum fuiſſe, ſine labe tamen concordiæ, vel vt Pithœi codex legit, ſine labore concordiæ. quia vetum eſt amantium iras, eſſe amoris redintegrationem. Inde Fabius decl. 321. ſcribit laudem recõciliationis in fratribus maiorem eſſe, arctiorémque cõiunctionem poſt pœnitẽtiam: neque ſcire homines. quantum boni habeat fraternitas, qui nunquam diſſiderunt. Id exemplo Pauſaniæ & Agathonis probat Ælianus Var. hiſt. lib. 2. & in Mæcenate obſeruatum fuit, qui cum vxore Terentia leuibus febricu lis ſæpe litigabat, póſtque in gratiam redibat. Itaque lepidè dixit Seneca lib. de diuina pronid. illum quotidiana repudia defleuiſſe. Et alio quodam loco millies vnam vxorem duxiſſe. Quod pertinet ad l. vir. 64. D. de donat. int. vir. & vxor.

Fides vera. v.c. fides ſeria. vt ſuprà epiſt. 28. vbi vulgò legitur, ſeuerus arbiter. v.c. habet, ſerius arbiter. Sic verò certam fidem dixit Valerius Argonaut. lib. 4. & Horarius lib. 3. Ode. 16. & impollutã fidẽ Sillius lib. 13. puram Ouidius 1. amor. eleg. 3. integram Fabius lib. 5. cap. 3.

AD EPIST. XXXVII.

Nemo bellis notus. Ita lib. Pirh. vetus codex, nemo belli notus. vulgò, nemo belli gnarus. Sic infrà epiſt. 68. quoties viris militiæ notis teſtimonia deferuntur. Et lib. 2. epiſt. 61. ſuſcipe igitur oro te notum militiæ virum.

Scis nempe in illo forenſi. al. Scio. Huc ſpectat oraculum illud Plinij lib. 2. epiſt. 3. Nos qui in foro veríſque litib⁹ terimur, multum malitiæ quamuis nolentes addiſcimus. Columella in proœmio lib. 1. de re ruſt. ait: ſine cauſidicis olim ſatis fœlices fuiſſe futuráſque vrbes. & poſtea conqueritur caninam facundiam, quæ neglecta à maioribus fuerat, à poſteris receptam, & conceſſum in foro latrocinium. Lepidum verò eſt iudiciũ Artemidori lib. 2. cap. 29. qui forum iudiciale & aduocatos viſos in ſomniis, anxietates denuntiare profitetur.

Merito ac fortunis tenuis opulentiam fide quæſtum laude mutauit. Ita v.c. vulgò inconcinniùs legebatur, Meriti fortunæ tenuis. Sic M. Tullius lib. de Senect. ille vir haud magna in re, ſed fidei plenus. Paupertas ſanè nõ habet crimen, nulláque indigentiæ infamia eſt, ait Diuus Ambroſius lib. de Thob. cap. 21. Vnde Martianus Imperator nou. 4. de matrimo. Senat. Abſit vt hoc nefas vllis putemus temporibus, vt credatur cuiquam dedecori eſſe data paupertas: cùm ſæpe plurimis multum patauerint gloriæ opes modicæ, & continentiæ fuerit teſtimonium cenſus anguſtior. Et Fabius decl. 300. Non ſum quidem (ait) locuples. Sum inops cenſit, ſed integer, ſine crimine, ſine fabula. Plinius etiam lib. 10. epiſt. 13. in Sura natalium ſplendorem, & ſummam integritatem in paupertate laudat. Itaque apud Ammianum Marcel. lib. 24. quidam Imperator ait ſe non pudere cuncta bona in animi cultu ponentem honeſtam profiteri paupertatem.

AD EPIST. XXXIX.

Tecum reuertitur. v. c. reuertit. rectiſſimè. vt infrà lib.4.epiſt.65.vacuus eiuſdem muneris mei ad te reuertit. Lucret.lib.v.

Circumretit enim vis atque iniuria quemque,
Atque vnde exorta eſt ad eum plerumque reuertit.

Pomponius apud Nonium: Cœnam quætitat. ſi eum nemo vocat, reuertit mœſtus. Tullius etiam lib.3.epiſt.famil. x. Epheſo Laodiceam reuertit.

Quibus tantum decus à facundia fuit. Veſtigia veteris codicis ſecutus ita repoſui. Frobennij lectio deterior erat hoc modo: quibus tanta ea de cauſa facundia fuit. Liber verò Scotti pro tanta, habuit, tantum : vt & codex Pith. De Laconiſmo quidpiam dicere, deſipere eſſet, cùm notus ſit omnibus, niſi quòd Gregorius Theologus in epiſtola quadam ad Nicobulum ſcribit, non id eſſe quod multi arbitrantur, paucas ſyllabas ſcribere, ſed de plurimis rebus paucas. τὸ λακωνίζειν ȣ̓ τȣ̃τ᾽ ἐςιν ὅπερ οἴει ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείςων ὀλίγας &c. Illud potius obſeruare placet vbique ferè naturali quodam diuortio diſſenſiſſe Spartanos ab Athenienſibus, vt ſingulari ioco arguit Iuſtinianus, cùm refert Lacedemonios memoriæ mandaſſe quæ pro legibus obſeruabant, Athenienſes verò ſcripto iure vſos duntaxat. Sed & Titus Liuius lib.45. Athenienſiũ populum fama eſt (inquit) celerem & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea quibus fidit ingredientem.

Laconum & Athenienſiũ mores.

Et ſi ita vis. Al. & ſi mauis.

AD EPIST. XL.

Traheremus curam deorum. Sic. v. c. vulgò, traderemus c d. non tam apto ſenſu. Nam id innuit Pontificali auctoritate decretũ fuiſſe, vt populus Romanus aliquot dierũ tractu relligioni daret operã, placandorum numinum gratia. Inde Arnobius lib.7. Honorantur, inquitis, dij, & ſi quas ab hominibus dij continent offenſionum memorias, illatas abiiciunt, excludunt, reddúntque ſe nobis redintegrata familiaritate fautores. Ita enim ille locus legendus eſt.

Arnobius emendatur.

Rides? & libet vt rideas. affluiſti. Plura &c. Ita omnino v.c. vulgò legebatur, Ridere libet vt rideas. Plura &c. ſed vitiosè, nec tam congruo ſenſu. Quid tamen illud, affluiſti, ſibi velit, non ſatis video.

AD EPIST. XLI.

Me impediit Pontificalis officij cura. v. c. impedit. Ex hoc autem loco, vt etiam ex epiſt.36.lib.2. conſtat Symmachum Pontificem fuiſſe. Quod de maiore Pontifice accipiendum videtur quibuſdam motis hoc vetere monumento, *Luc. Aur. Auiano Symmacho V. C. Pontifici Maiori, XV. Vir. Sacris faciundis.* Quanquam alij hunc titulum ad Symmachum noſtrum referre nolint, quoniam in antiquis libris, vt etiam à Sidonio Apollinare non Lucius, ſed, Quintus dicatur. Sed profectò credibile eſt illo honore hunc etiam functum fuiſſe. Fuere præterea minores Pontifices, quorũ

ſit mentio in lapideis epigrammatibus relatis ab Onufrio in commentariis Faſtorum lib.v.

Manus dediſſe Campaniæ. Hunc elegantem locum ope v.c. reſtitui. Niſi quòd ille perperam mihi viſus eſt habere, aduentarum lucos arbor. ex quo effeci, aduenarũ lucos arbor, perſpicua ſententia. Mirũ verò eſt quàm turpiter & prodigiosè hoc totum in excuſis à Frobennio libris interpollatum inuenerim. Manus dediſſe Campaniæ, qui nullius cæli aut ſoli illecebra retentus, ad Veliarum lucos euaſerat, & ſuada.

Circes pocula. Cui etiam liber Scorri conſentit, niſi quod habet, Non vllius cæli aut ſoli illicebra retentum &c.

Solitudine domas. Ita v.c. vulgò malè, ſollicitudine.

AD EPIST. XLII.

Pax Deorum. Sic ex veſtigiis v.c. repoſui, habentis, pax dorum. Idem Symmach. lib.7.ep.21. Deûm pace mea atque vnici mei ſanitas viget. M. Tullius pro Rabirio perd. Ab Ioue optimo maximo ceteriſque diis immortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc reſp. quàm ratione hominum & conſilio gubernatur, pacem ac veniam peto. Ouidius lib.1. amor. eleg.2. Cupidinem alloquens: *Deorum pax.*

Nil locus eſt bello, veniam pacémque rogamus.

Liuius lib.1. Dec.5. vnam opem ægris corporibus relictam, ſi pax veniáque ab diis impetrata eſſet, credebant. Trebellius Pollio in Gallienis: Pax deûm quæſita inſpectis Sibyllæ libris. D. Ambroſius epiſt. in Sym. Nos ipſis Imperatoribus pacem à Chriſto rogamus.

AD EPIST. XLIII.

Vt ciuis ad bonum commune genitus. Sic emendandum eſſe credidi. Nam vitiosè videtur ſcriptum fuiſſe in v.c. vt cuius ad bonum &c. Quanquam etiam legi poteſt. Vt qui ſis ad bonum. Sed primam coniecturam potiùs ſequor. Quod autem bonum commune vocat, aliis locis bonum publicum dixit: vt lib.3. epiſt.43. de Imperatore loquens, eum ad bonum publicum natum eſſe ſcribit: & epiſt.55. eiuſdem lib. ad ſalutem publicam genitum Imperatorem ait: & lib.x. ep.22. ad bonum publicum natos eſſe liberos. Anneus Seneca lib.2. de tranq. vitæ cap.8. de ſapiente agẽs: Bono publico natus (ait) ſibi & aliis ſalutaris, nihil humile cõcupiſcit. Sic enim videtur legendum cum doctiſſimo Lipſio, vt reſpiciat ad veterem formulam laudis tralatitiam in lapidibus: B. P. N. vel ſic: B. R. P. N. quod valet, bono publico, vel reipublicæ natus. Et quia illud præclarũ eſt virtutis elogium, placet aliquot vetuſta monumenta proferre in eam ſententiam. *Seneca correctus.* *Bono Reip. naſci.*

Dñ. glorioſiſſimus atque inclytus Rex Theodericus victor & triumphator ſemper Aug. bono Reipub. natus, cuſtos libertatis & propagator Romani nominis, domitor gentium &c.

Æterno Principi D.N. Flauio Claudio Iuliano, vbique venerando, ſemper Auguſto, bono Reip. nato, ordo poſſeſſoréſque.

*Imperatori Cæſari D.N.Fl.Claudio Iuliano P.F.victori ac triũphatori ſemper Auguſto.Põt.Max.trib.pot.imper.*VIII.Cos.III.*bono Reip.nato.patri patriæ.*

Eadem etiam forma Nazarius in Panegyr. ſub finem Conſtantiũ Principem vocat incrementum maximum publici boni. Et Mamertinus in Genethliaco, Maximianum Principem natum ad opem (vel vt habet v.c.Pithœi ad opes) generis humani dixit. Sic & auctor Panegyrici Maximiano dicti, in fine ſcribit Maximianum perpetuum eſſe parentem & dominum generis humani. Contraria autem ratione, malo publico naſci vel fieri dixerunt veteres, vt idem Seneca lib.1.de clem.cap.18. Quanto autem non naſci melius fuit, quàm numerari inter publico malo natos? Suetonius in Nerone cap.6. Præſagio etiam fuit Domitiani patris vox, inter gratulationes amicorum negantis, quicquam ex ſe & Agrippina niſi deteſtabile & malo publico naſci potuiſſe. Phalaris epiſt.135. in famam inuehitur, quâ auctore tanquam ad perniciem hominum natus execraretur. Sic Quintilianus decl.385. ſcribit lenonem eſſe damnum publicum. Sic & Lampridius Commodum Imperatorem, malũ Reipublicæ vocat, vt Plinius lib.22.cap.22.Neronem terrarum venenum. Et Tranquillus in Calig. cap.11. refert Tiberium dixiſſe de Caligula, ſe natricem populo Romano & Phaetontem terrarum orbi educare. Quibus adde illud Naſonis in libris amatoriis:

Mamertinus not.

O mihi perpetuum nata puella malum.

AD EPIST. XLIIII.

Inſtar edicti. Prouerbialis dicendi forma eſſe videtur, quo ſpectat quod de edictis notat Caſſiodor.Var.9.epiſt.18.

AD EPIST. XLV.

Statim quid.

Officium ſtatim mentis exigit. Sic v.c.rectiſſimè. Hic enim ſtatim idem ſignificare videtur ac iugiter & perſeueranter, quemadmodum Nonius interpretatur productis veterum teſtimoniis. Terentius in Phor. bina talenta capiebam ſtatim. Et Plautus in Amphit. nec recedit loco, quin ſtatim rem gerat. Soſipater verò Chariſius lib.2.pro ſtatutè & ordinatè accipit adducto hoc Accij teſtimonio. Vectigalia legerant veſtra, & ſeruantur ſtatim.

AD EPIST. XLVI.

Senatus Romani elogia & tituli.

Pars melior humani generis Senatus. Ita ſcripſi ſecutus veſtigia v.c. in quo paululum interpollata illa verba fuerant: Eſtis verò præclarum elogium Senatui tributum, qualia ſunt ea quæ arrepta occaſione proponam, vt diſcãt ſordidi ac impuri quidam homines, qui in illum cœtum illotis pedibus confluere tentant, ſeſe cruce quàm purpura digniores eſſe. Petronius igitur Arbiter in ſatyrico vocat Senatũ recti boníque præceptorẽ. Prudentius lib.1.in Symmach.mũdi lumina. Et Epictetus (vt habetur in quæſtionibus illis quæ excuſæ ſunt cum notitia Imperij Romani) interrogatus ab Hadriano Imperatore, quid eſſet Senatus, ornamentum, ait, vrbis, ſplendor ciuiũ. Legati à Pyrrho interrogati, quid de Romanis ſentirẽt, reſponderunt vrbẽ ſibi tẽplum viſam, Senatũ verò Regũ cõſeſſum.

Florus correctus.

Sic

Sic enim apud Florũ legendũ eſt li.1.cap.18.auctoribus libris veteribus. Nam vulgò malè ibi, Senatum regnum eſſe. Quod ſic extulit in Pyrrho Plutarchus, καὶ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φανείν. Ammianus Marcellinus lib.16.vbi de Conſtantio Romam ingreſſo agit: Cúmque vrbi propinquaret(ait)Senatus officia, reuerendáſque patritiæ ſtirpis effigies ore ſereno contemplans, non vt Cyneas ille Pyrrhi legagatus in vnum coactam multitudinem regum, ſed aſylum mundi totius adeſſe æſtimabat. Idem lib.14. ſcribit vbique Senatorum Romanorum reuerendam cum auctoritate canitiem, ſed tamen cœtus illius magnificum ſplendorem læſum fuiſſe leuitate paucorũ incondita, vbi nati eſſent non reputantium, ſed ad laſciuiam labentium. M. Tullius oratio. de Aruſp. reſp. Senatum principẽ ſalutis, publicæque mentis appellat. Probus Imperator apud Vopiſcum ait Romanos Senatores mundi principes eſſe, tales ſemper fuiſſe, & in poſteris futuros. Caſſiodorus lib.6.for.4.Senatum mirabili opinione glorioſum vocat, morúmque lumina. Et noſter Symmachus reuerendum ordinẽ ſæpe in epiſtolis lib. 10. Quintilianus decla.329. ſanctiſſimum ordinem, vt etiam Maiorianus Nou. 3. de tit.imperij ſui: & Virgilius 6. Æneid.ſanctum Senatũ. Vnde illud eſt quod in 12.tabulis ordo Senatorius iubetur omni carere vitio, teſte Tullio lib.3.de legib. Et in l. 74. C. Theodoſ.de Decurio.qui vitiis, anteactæque vitæ opprobriis laborant, ampliſſimo ordine indigni iudicãtur, quia famoſis dignitatum portæ non patent. Inde illud ingenioſum cõmentum Claudij Imper. fluxit, qui famoſos probris quónam modo Senatu depelleret anxius, mitem & recens repertam quandam ex ſeuerita- *Tacitus emẽdat.* te priſca rationem adhibuit, monendo ſecum quiſque conſultaret, peterétque ius exeundi ordinis(malim leg.exuendi) facilem eius rei veniam, & motos Senatu & excuſatos ſimul poſiturum, vt iudicium Cenſorum, & pudor ſponte cedentium permixti, ignominiam mollirent. Auctor eſt Cornelius Tacitus lib.11. annal. cui etiam coniungi oportet factum Auguſti apud Dionem lib.52.in fine, vbi agitur de delectu & cenſura Senatus. Nam vt ſcitè Aurel.Caſſiod.lib.10.epiſt.12. non decet Senatũ corrigi, qui debet alios paterna exhortatione moderari. Nam ex quibus habebunt genium mores, ſi parentes publicos minores corrigerit inueniri? Sed vt ad Senatorũ elogia redeamus, Theodericus Rex apud eundem Caſſiodor.lib.1.ep.41.ait admittendũ reuerendo cœtui examinari debere ſollicitè ob honorem Senatus, quem non ſolùm numero ciuium augeri, ſed & ornari luce meritorum oportet, cùm Senatus reſpuat eximiè non probatos. Idem epiſt.13. lib.1. ſcribit quicquid humani generis floris eſt, habere Curiam decere: quia ſicut arx decus eſt vrbium, ita illa ornamẽtum ſit ordinum ceterorum. Quo exemplo dixit Ennodius in Panegyrico Theoderico dicto: Coronam Curiæ(ait) innumero flore velaſti. Nullum de honoribus tetigit deſperatio, quem iuuerunt deprecantem bona conſcientiæ. Quibus etiam conſentit Nazarius ita in Panegyrico Conſtantini ſcribens: Senſiſti Roma te tandem arcem omniũ gentium, & terrarum eſſe reginã, cùm ex omnibus prouinciis optimates

viros Curiæ tuæ pignoraueris, vt Senatus dignitas non nomine quàm re eſſet illuſtrior, cùm ex totius orbis flore conſtaret. Illud non omittam Heliogabalum adeò Senatum contempſiſſe, vt mancipia togata Senatores appellaret, teſte Lampridio.

AD EPIST. XLVII.

Congreſſu primo, re non nouerunt. Sic videtur legendum. Nam v.c. haber, congreſſu primore nouerunt.

Concionaris. Sic v.c.

AD EPIST. L.

Frugi epiſtolam neceſſario ſtringo compendio. Ita rectè v.c. vulgò erat, frugi epiſtolæ neceſſario ſtringor compendio. atque ex hoc loco poteſt emendari epiſt. 67. infrà lib. 2.

Copioſi videbimur, ſi abundè ſeduli iudicemur. Ita v. c. & liber Pith. optimo ſenſu. Vulgata lectio deterior fuit, quæ horum verborum loco habebat, Copia ſi non videbimur abundi, iudicemur ſeduli. Sic idem Symmachus infrà hoc lib. 1. ep. 69. Eſt ſuper hoc iudicatio tua, garrulúſne iuſtiùs dicar an ſedulus.

AD EPIST. LIIII.

Inſtrumenta. *Sed inſtrumenta probitatis in quemuis vſu publici honoris excoluit. Quare illi.* Fuit hæc lectio v.c. niſi quòd ille habuit, in quem ius vſu. pro quo emendaui, in quemuis vſu. Excuſus liber hæc imperfecta exhibebat hoc modo, Sed inſtrumenta probitatis ſub publici vſu honoris excoluit. Qua in re illi. Ceterùm inſtrumenta probitatis hoc loco dixit, quemadmodum infrà lib. 8. ep. 16. inſtrumenta ſalubritatis: & lib. 4. epiſt. 3. pia & decora Principi ſuadentes eſſe boni ſæculi inſtrumenta. quo etiam exemplo Cornelius Tacitus lib. 20. ſcribit nullum eſſe maius ſæculi boni inſtrumentum quàm bonos amicos. Et Lactantius lib. 2. cap. 4. ait in templis paganorum vaſa aurea non ſanctitatis, ſed auaritiæ eſſe inſtrumenta. Sic etiam Ammianus Marcellinus lib. 29. miſerum eſſe inſtrumentum ſenectuti, recordationem crudelitatis. Idem lib. 16. inſtrumenta ingenij commouere dixit.

Honeſtas aqua cum paucis. Ita vulgò, ſed v.c. cũ his litterarum notis, honeſtas perqua cum p.

Fac in ſeriis remiſiſve, muneribus. Ita vulgò: & v.c. Liber Pith. remiſíſve muniis.

Ioca & ſeria. Atque huc ſpectat vetus dictio, qua ioca ſeriáque cũ aliquo cõferri dicuntur, qui res quaſlibet communicant. Quod non accidit niſi fide illius explorata & perſpecta, cuius auribus deponuntur. M. Tullius lib. 2. de finib. at qui cum ioca ſeriáque vt dicitur, qui cum arcana, qui cum occulta omnia. Mamertinus in Panegyr. ante oculos pono quotidiana veſtra colloquia, coniunctas in omni ſermone dexteras, ioca ſeriáque communicata. Quintilianus decl. 260. alioqui & in ſtudiis comes & in luſibus. & decl. 307. amicus illius fuiſti, cum illo tibi ſeria ac ioci. Plinius lib. 2. epiſt. 13. cum hoc ſeria, cum hoc iocos miſcui. quid enim aut illo fidelius amico, aut ſodale iucundius.

Reperies hominis tectam fidem, patentē relligionem. Ita liber Frobennij. Quo ſpectare poteſt quod Seruius in lib. 1. Æneid. refert, veteres nimirum manu albo panno inuoluta ſacrificaſſe fidei, vt oſtenderent fidē eſſe debere ſecretam. Sed & Liuius lib. 1. Dec. 1. ait Numam iuſſiſſe flamines manu ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere, ſignificantes eo ſymbolo fidem tutandam eſſe, ſedémque eius in dextris ſacratam. Editio autem Scotti pro tectam fidem, hîc legit rectam fidem. Nec tacebo lectionem v.c. habentis, tutam fidem, parentum relligionem &c. Quod non eſt improbandum. Nam in ſumma ſemper laude poſitum fuit maiorum relligionem conſectari. Idem Symmachus in relatione: Si longa ætas (ait) auctoritatem relligionis facit, ſeruanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui ſecuti ſunt fideliter ſuos. Et Cæcilius apud Minutium Felicem in Octa. Quanto venerabilius (ait) ac melius maiorum excipere diſciplinā, religiones traditas colere, deos quos à parentibus imbutus ſis, antè exiſtimare quàm noſſe, familius adorare, nec de numinibus ferre ſententiam, ſed prioribus credere &c. Sed hoc alterius viſionis erit.

Fides tecta.

Parentum relligio.

Fautum volo. Ita vulgò, ſed placet magis quod eſt in v.c. Factum volo. Sic infrà hoc lib. 1. ep. 59. Gelaſius, cui factum volo, & lib. 8. ad Probinum, Nunc optimo viro Petrutio factum volo. & ſuprà lib. 1. epiſt. 9. quod Palladio factum volo.

AD EPIST. LVIII.

Niſi iuſtitiam tempore Clementis cura mouiſſet. Hæc fuit ſcriptura v.c. Sed tamen conijcio potiùs reponendum eſſe, niſi iuſtitiam temporis, Clementis &c. Vt ſit ſenſus: Actum erat, niſi Clementis ſtudium, temporis ſopitam æquitatem excitaſſet. Iuſtitiam autem, diſciplinam, rectóſque mores temporibus tribuere non eſt inuſitatum, vt ex eodem Symmacho liquet lib. 3. ep. 45. lib. 4. ep. 19. & ep. 68. & lib. v. ep. 32. atque inde obſeruare eſt, ſæpiſſimè Imperatores ſua tempora commendare: vt apud Caſſiodorum lib. Var. 1. ep. 6. & lib. 8. ep. 27. & in l. 2. & vlt. C. ne fiſc. vel reſp. proc. & l. 19. C. Theod. de petitio. Et interpretes Baſilicon lib. 60. notant eum Principi maledicere videri, qui ſæculo Principis conuicium irrogat, quod tamen remittitur impunè l. 1. C. ſi quis Princ. maled. Optimis ſanè Principibus id ſummæ ſemper curæ fuit, vt ab omni vitio & turpitudine ſua tēpora vindicarent, quemadmodum Theodoſius, qui Nouella de lenonib. ſcribit ad iniuriam ſuorum tēporum pertinere, ſi lenones admittantur. Et Arcad. & Theodoſ. in l. 17. C. Theod. de pœnis, vbi Eutropij memoriam damnāt, Vniuerſis actibus (aiunt) antiquatis omnia muteſcant tempora, nec eius enumeratione ſæculi noſtri labes appareat. Nam vt bonos mores & virtutes, ſic etiam culpas ſæculis aſſignare familiare ſemper fuit. Ammianus Marcel. lib. 14. Ducebatur intrepidus temporum iniquitati inſultans. Idem lib. 21. augebat amaritudinem temporum, flagitatorum rapacitas inexpleta, plus odiorum ei quàm pecuniæ conferentium.

De temporū fælicitate.

Suetonius in Calig. cap. 6. atrocitatem temporum dixit, qui etiam cap. 31. refert Caligulam conqueri ſolitum de conditione ſuorum temporũ, quòd nullis publicis calamitatibus inſignirentur.

AD EPIST. LXII.

Arcarius pontificalis. *Rufius pontificalis arcarius.* Coniectura non inani ductus, vt opinor, ita exiſtimaui emendandum eſſe. Nam in v.c. pro, arcarius, erat ſcriptum, arcamus. Sed volo ſagacem lectorem admonitum eſſe in eodem v.c. litteram m, puncto ſubnotatam fuiſſe hoc modo, arcamus, indicáre nimirum librario, illam litteram in duas eſſe diuidendam, r & i. Pontificalis verò arcarij nomine eum intelligo, qui arcam Pontificum olim curabat: cuius mentio habetur in hoc antiquo monumento quod proponam, quia alia teſtimonia non occurrunt. *C. Calphurnius V.C. & Septimia Ammias coniux comparaue unt ſibi memorias duas & Calphurnio Ammiano eq. R. filio ſuo, & libertis libertabúſque, poſteriſque eorũ armariũ diſtegũ, cũ taberna & hortulo. Si quis hoc arma ium vendere v luerit, tunc inferet arca Pontificum HS. L. M. l. N.* Fuerunt aliæ variæ arcæ, vt arca theatralis, cuius meminit Iulianus Nou. 62. & arca Quæſtoria, vt eſt apud noſtrum Symmachum lib. 10. epiſt. 33. & arca Præfecti Prætorio l. 9. & vlt. C. Theod. de indulg. deb. l. ven. C. de cur pub. l. 6. C. de exact. trib. Inde arcarius Præfectorum apud Caſſiodor. lib. 1. Var. epiſt. x. *Arca.*

AD EPIST. LXX.

Hoc exemplum me expetit. Sic repoſui ex fide v.c. & libri Pith. videtúrque idem valere ac recidere: vt apud Liuium lib. 1. Dec. 1. vbi ſic rex Tullius: Nunciate Regi veſtro Regem Romanum deos facere teſtes, vter prius populus res repetẽtes legatos aſpernatus dimiſerit, vt in eum omnes expetant huiuſce clades belli. Vulgata verò huius loci lectio fuit, hoc exẽplum in me comperit. *Expetit.*

Garrulusné iuſtius dicar an ſedulus. Ita vulgò, vt etiam v.c. Liber Pith. habet, garrulus venuſtius dicar.

AD EPIST. LXXI.

Æquitas poſtulanti. Sic v.c. liber Pith. inæquitas poſtulanti. non malè, vt videtur.

Anteloquiũ quid. *Hoc anteloquium.* Ita v.c. vulgò legebatur paſſim, hoc alloquium, ſed perperam. Idem auctor lib. 8. ep. 23. ad Andronicum: Videor planè hoc anteloquio ſcribenda complexus. Gallica lingua diceremus, *Vn auantpropos*. Extat etiam hæc vox apud Macrobium alio ſenſu. Nam pro primis diſſerendi partibus accepit, nimirum Satur. lib. 1 cap. vlt. Philoſophia (ait) quod vnicum eſt munus deorum, & diſciplina diſciplinarum, honoranda eſt anteloquio. Et lib. 7. cap. 4. Prætextato anteloquium detulerunt, orantes vt cùm ipſe cœpiſſet.

Fratris ſui liberorum. Sic vulgò. Sed v. c. à fratris ſui liberis. Vide l. 1. C. qui numero liber. l. 2. & 6. & 18. C. de exc. tut. l. vlt. C. de leg. tut.

AD EPIST. LXXXII.

Vt mihi foret flagitio ſi tacerē. Lib. Scotti, ne mihi flagitio ſi tacerē dares.

Familiaritatis accedere. Ita v.c. vulgò, accēdere: ſed non tam aptè. Accedere enim culpam, eſt venire in ſuſpicionem culpæ. Sic Maro lib. 1. Æneid. dixit ſonantes accedere ſcopulos. Plautus in Epid. accedere periculum: & Cornel. Tacit. lib. 12. accedere ſocietatem. Sunt tamen qui vulgatam lectionem defendant, & accendere interpretentur augere, quo modo edones incendere annonam ait Varro apud Nonium. Et Fabius decl. 12. frumentum ad annonæ incendium ſupprimere. Sanè harum vocum affinitate ſæpe peccatum fuit: vt apud Valer. Max. lib. 2. cap. 3. vbi vulgò eſt, comitia in humillimi cuiuſque poteſtatē redacta acceſſerant. At libri manuſcripti habent rectiùs, accenderant. Et lib. 8. cap. 15. reponendum eſt iiſdem libris auctoribus, an efficaciùs accenderit perpendi vix poteſt. Vulgò tamen malè, acceſſerit. quod & audio doctiſſimum Pighium monuiſſe.

Valerius correctus.

AD EPIST. LXXXIII.

Quorum Minerua rancidior eſt. Sic v.c. in quo etiam adnotatum fuit aliàs legi, raucidior: ſed prima lectio verior videtur. Sic Plinius lib. 22. cap. 22. in fine dixit rancidum aſpectum. Et Ennodius in ep. ad Sanatium ait rancida potentium faſtidia deſpicere. Et epiſt. ad Maximum: Vos ſcripta mea (ait) tanquam amantes attollitis. Me neceſſe eſt illos metuêre qui rancido deſpicientes cuncta neglectu, etiam edecumata condemnant. Ita enim ego audacter corrigo deprauatum illum locum coniectura probabili ductus. Nam vulgò excuſum eſt, edocumēta, pro, edecumata, addito aſteriſco qui vitij lectorem admoneat. Illa voce nonnunquam, ſed rarò vtuntur auctores poſteriorum temporum. Symmachus li. 3. epi. 49. amicitiæ meæ edecumata honeſtate adiungis. Epiſt. 51. vt vnum aut alterum æquè edecumatæ honeſtatis inuenias. Lib. 5. ep. 81. vt equos ex Hiſpania lectiſſimæ nobilitatis edecument. Idem lib. 10. ep. 2. edecumatos actores dixit. Et Macrobius Satur. lib. 1. cap. 5 in fine, edecumatos ſodales. Eodem modo Caſſiodorus Var. lib. 9 ep. 24. eloquium defecatum dixit: & lib. 10. ep. 7. defecatum ſermonem. & ep. 20. defecatum animum. Itaque exiſtimo ita apud noſtrum auctorem legi oportere lib. 2 epiſt. 9. agnoſcis enim defecatæ mentis virum &c. vel. delectæ mentis. Nam ea parte peccant exemplaria.

Rancida Minerua.

Ennodius correctus.

Edecumatæ res.

AD EPIST. LXXXV.

Auarus officij. Ita v.c. vulgò, tarus officij. Quòd & ſi defendi poſſit, tamen mutaui, quia ſic ſæpe locutus eſt auctor: vt ſuprà lib. 1. ep. 1. iactantiā auaram laudis dixit. & li. 2. voti auaritiam explere. & lib. 9. ep. 58. patres auaros eſſe voti Et Ennodius in libello aduerſus eos qui contra Synodum ſcripſerant: Auarus (ait) laudis eſt animus, & fauorem deſiderat ſudore mercari. Horatius lib. 2. ep. 1. animum laudis auarum dixit: & Claudianus de bello Get. cædis auarum militem.

Auarus.

Qui in vno frui videbamur ambobus. Elegantem hanc ſcripturam aſſerui ex fide v.c. nam excuſa habebat, qui nunc frui &c. Symmachus in eandem

ſententiam lib.9.ep.65.accuſarem ſilentium uum, niſi te in fratre vidiſſem. Ille & officij tui ſatisfactionem, & præſentiæ tuæ imaginem mihi ſolus exhibuit. Nec diſſidet illud Ennodij in vita Epiphanij Ticin. duo videbamur intuentibus, cùm vnus per concordiam fieret ex duobus. Et Ouidius Metam.12.

--- qui me viuente laceſſis
Pirithoum, vnáſque duos ignarus in vno?

AD EPIST. LXXXVIII.

Quod verbi meatus eſt. Hæc exhibui, quemadmodum exarata reppeti in v.c. ſed apparet mendum ſubeſſe. Si tamen ſubodorari ſenſum poſſumus, videtur innuere velle Romanos dolere Palladium (cuius mentio facta eſt in notis ad epiſt. 9. lib. 1.) non vrbis Romanæ ciuem eſſe natum. Id enim vrbium ornamento cedit, ciues progeneraſſe ingenio & induſtria pollentes. Inde illud Ennodij in epiſt. ad Adnodatum, de Fauſto loquens: Habuit de origine eius Roma (ait) iactantiam, Liguria de profectu. Qua re non immeritò ſeptem vrbes inter ſe de ſtirpe Homeri decertaſſe ſcribit Gellius lib.3.c.11. Vt igitur oppidorum celebritati, ciuium optimorum virtus aliquid addit: ſic locorum ſplendor non parum honoris ciuibus adiicit, vt eſt apud Vopiſcum in Aureliano. Quod de Romana ciuitate ſcribit Ammianus lib.14. Nam cùm dixit Senatus Romani canitiem vbique revereri, addit: Sed læditur hic cœtus magnificus ſplendor leuitate paucorum incondita, vbi nati ſint non reputantium, ſed tanquam indulta licentia ad errores, lapſorum ad laſciuiam. Vt enim Simonides lyricus docet, beatè perfecta ratione victuro ante alia patriam conuenit eſſe glorioſam. Hæc ille. Sed & Rutilius Claudius lib.1.itiner.

Quid longum toto Romam venerantibus æuo?
Nil vnquam longum eſt, quod ſine fine placet.
O quantum & quoties poſſem numerare beatos!
Naſci fælici qui meruêre ſolo,
Qui Romanorum procerum generoſa propago
Ingenitum cumulant vrbis honore decus.
Semina virtutum demiſſa & tradita cælo
Non potuêre aliis dignius eſſe locis.
Fælices etiam qui proxima munera primis
Sortiti Latias obtinuere domos.

AD EPIST. LXXXIX.

Orationes Principum recitata in Senatu.

Legenda in concilio. Sic ſcripſi, cùm in v.c. eſſet, leganda, malè. Nam hic oſtendit ſeſe recitaſſe in Senatu orationem Principis. Qua de re idem lib. 9.ep.2. agit. Et quidem ad Quæſtoris officium pertinuit, orationes Imperatorum, vt cetera Senatui nota facere, quòd conſtat ex Suetonio in Aug.cap.65. in Nerone cap.15. & in Tito cap.6. Ælio Spartiano in Hadriano ſtatim in principio, Cornelio Tacito lib.16. & Caſſiodoro Var.lib.6. in form. Quæſtoris. Idque deſignare voluit Sidonius Apollinaris in Panegyr. Maioria.

—cuius dignatur ab ore.
Cæſar in orbe loqui,licet & Quæſtore diſerto.
Polleat.

Vlpianus etiam l.1. D. de off. Quæſt. refert Candidatos ſolis Principum libris in Senatu legendis vacaſſe. Ceterùm quando de victoriæ nuncio,fuſíſque ab Imperatore hoſtibus agitur hac epiſtola, placet referre legem memorabilem latam Romæ à L.Mario, & M. Catone. pœnam enim Imperatoribus minitabatur iis, qui aut hoſtium occiſorum in prælio,aut ciuium amiſſorum falſum numerum litteris Senatui auſi eſſent referre:iubebáτque eos cùm primum vrbem intraſſent, apud Quæſtores vrbanos iurare de vtroque numero verè ab his Senatui eſſe ſcriptum. Auctor Valerius lib.2.cap.de iure triumph.

Fortuiti quàm affectati. Ita rectè v.c.ſubintelligendum enim eſt, magis, vel potiùs.Quod cùm multi non animaduerterent contra libros veteres, importunè voces inculcarunt.Eius generis exempla multa ex Hetruſcis Pandectis collegit Antonius Auguſtin.lib.4.cap.8.emendat: quibus alia quædam adiiciam. Paulus lib.4.ſent.tit.5.meritis liberos quàm pactionibus adſtringi placuit.Imperatores in l.8.C.Theod.de pagan.in æde ſimulachra feruntur poſita artis pretio, quàm diuinitate metienda. Ammianus Marcel.lib.25.ferro properans quàm fame ignauiſsimo genere mortis abſumi.Tertullianus lib.de vel. virg.in fine:Iudicabunt nos Arabicæ fœminæ ethnicæ, quæ non caput,ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato(fortè leg.libero) contentæ ſint dimidiam frui lucem,quàm totam faciem proſtituere. *Tertullianus not.*

AD EPIST. XCIIII.

Ne fortuna vulnera. Ita rectè v.c.vt codex Pithœi & Scotti. Sola editio Frobennij habuit,ne fortè vulnera:ſed vitiosè. Symmachus idem lib.3. ep.6.fortunæ meæ tantùm vulnus eſt.& lib.9. ep. 73. quòd adhuc crudo fortunæ meæ vulnere ſilentium ruperim.Et ſanè rectè vulnera infligere dicitur fortuna,cùm telis armata ſit.Idem Symmach.lib.9.ep.113.Quæ te & naturæ bono veterum lectione contra omnia tela fortunæ firmauit. Seneca lib.6.epiſt.1.de ſapiente agens:Fortuna (ait) cùm in eum quod habuit telum nocentiſsimum vi maxima intorſit, pungit,non vulnerat, & hoc rarò.Nam cetera eius tela, quibus genus humanum debellatur,grandinis more diſſultant,quæ incuſſa tectis,ſine vllo habitatoris incommodo crepitat ac ſoluitur. Et Naſo lib.3.de Ponto,eleg.7. *Fortunæ vulnera & tela.*

Sic ego fortunæ telis confixus acutis,
Pectore concipio nil niſi triſte meo.

AD EPIST. XCV.

Affectionibus induatur. v.c.induantur,malè. Coniungenda verò eſt ep. 21.lib.3.& ep.103.lib.9.Nam eatum idem argumentum eſt.

Sellam tuam. v.c.ſillam,perperam: Nam de ſella curali Conſulis Syagrij loquitur,de qua multa mentio in libris veterum. Sed & præter conſules, reliqui ferè magiſtratus Romæ ſellas habuiſſe ſuas legimus. *Sella.*

Nam ſellæ Prætoris mentio fit in l. 1. D. de poſtul. & apud Fabium lib. 6. cap. 3. ſellæ Ædilium Curuliũ apud A. Gellium lib. 6. c. 9. Liuium lib. 9. & Valer. lib. 2. cap. 1.

Decoquere iniuriam. Sic emendo: nam v. c. habet, dequorere, malè: ſed & paulopoſt repoſui: quid quod etiam, pro eo quod erat in v. c. quicquid etiam. Et mox ſcripſi, geminabitur: non autem germinabitur, vt tamen erat in v. c.

Vt eſt eadem impotens. Sic v. c. Eo modo impotentem Reginam rerum omnium eloquentiam dixit Martianus Capella lib. 5. pro valdè potente, more veterum, vt etiam notat Nonius Marcellus.

AD EPIST. XCIX.

Quem nuper ſuſtulerunt in Senatu ciuium ſecunda ſuffragia. Lectio v. c. diſcrepat ab hac vulgata. nam ita ille habet, quo nuper in Senatu ſuſtuli ciuium ſec. ſuf. Sed mihi non ſatis arridet. Auctor enim innuere voluit, ſuam orationem communi calculo Romanorum probatam fuiſſe: quomodo etiam lib. 3. epiſt. 7. ait fauorem ciuium edendæ orationis ſibi feciſſe copiam. Et lib. 5. epiſt. 41. ad Neoteriũ ſcribens de oratione quadam ſua ita eſt: Quamuis totius ordinis ſecunda ſuffragia cœpiſſe videamur, in te vno tamẽ ſummam teſtimonij collocamus. Quinetiam mox addit ſe prȩiudicio quodã Senatus, Syagrij iudicium anteuertere. Quod non adderet, niſi Senatores orationem, qua de hîc agitur, ſuo ſuffragio beaſſent. Præiudicium enim (vt ait Aſconius) res dicitur, quæ cùm ſtatuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum quod ſequantur. Vnde idem Symmachus hoc lib. 1. epiſt. 38. Sub incerto examinis tui (ait) aliorum ſententias occulendas putaui, ne re præiudicio tanti ordinis viderer vrgere. Ceterùm ſuarũ orationum idẽ meminit lib. 4. epiſt. 29. & epiſt. 45. & lib. 5. epiſt. 9. Quæ vtinam extarent. Sed id ſordida patrum incuria non patitur.

AD EPIST. CI.

Sortitus prouinciam. Al. ſortitur. De ſortium vſu apud priſcos ſcripſit Iunius lib. animad. 2. cap. 5. & eleganter Balſamo in cap. 65. Synodi 6.

NOTÆ AD LIB. II.

AD EPIST. I.

Hic eſt ille Paralius. Ita vulgò. v. c. habuit. Hic eſt Paralius, cui accuſator pater quantum diſcriminis mouit, tantum laudis parauit.

Principis ore purgatus. Fas eſt enim maculoſas notas vitiatæ opinionis Principi abſtergere, vt ait Caſſiod. lib. 3. epiſt. 45. qui etiam lib. 5. epiſt. 36. ſcribit nõ debere à quoquam redargui qui iudicio Principis meretur abſolui. Sic l. 4. C. ad SC. Tertyl. ait maculas remitti imperiali beneficio. Sed tamen indulgẽtia Principis quos liberat, notat l. 2. C. de gener. abol. cui adde locum Suetonij in Claudio cap. 16.

AD

AD EPIST. VII.

Iuuares eſſe p. quanquam. Ita notarum compendio ſcriptum eſt in v.c. nec facilè coniicere poſſum quem ſenſum illæ notæ poſtulent, niſi legamus: iuuares Rempublicam:quanquam. vel certè: iuuare poſſes: quanquam. Quæ poſterior coniectura, eſt Philippi Roberti viri ad Polycleti normam facti.

Facite gratiam neglectorum ſacrorum. v. c. habuit, giatiam, ex quo effeci, gratiam: perſpicua ratione. Sic idem lib. 1.ep.94, operis facere gratiam dixit. Et Suetonius in Tiber.cap.35.iuriſiurãdi gratiam facere. vt & l.Labeo. d. de iniu. Salluſtius in Catil. delicti gratiam facere:& imperatorem in l. vlt. C.de gen.abol.pœnæ gratiam:id eſt remittere. Illud verò animaduertere placet, veteres prudenter exiſtimaſſe ob neglectam relligionis curã, Deos ſterilitates immiſiſſe. Symmachus lib 10.ep.54. vbi de alimentis Veſtalibus detractis agit: Secuta eſt hoc factum (ait) fames publica, & ſpem prouinciarum omnium meſſis ægra decepit. Non ſunt hæc vitia terrarum. Nihil imputemus auſtris. Sacrilegio annus exaruit. Neceſſe enim fuit perire omnibus, quòd relligionibus negabatur. Sic ille, vbi tamen malim legere, perire hominibus, non autem, omnibus, vt homines opponat diis. Horatius etiam lib.3.ode 6.ait Deos neglectos multa dediſſe mala Heſperiæ luctuoſæ: & ode 23.admonet Phidilen, vt deos puris manibus & integra conſcientia colat, ne fœcunda vitis peſtilentem Africum ſentiat, nec ſeges ſterilem rubiginem. Iidem etiam pagani cauſabantur peſtilentias, ſiccitates, bella, frugum inopiam, réſque alias noxias ideo incurſare humana negocia, quia vetus relligio frigeſceret, & eius cultus vetaretur inualeſcente Chriſtiana relligione, vt docet Arnobius, diuus Auguſtinus, ceteríque fidei noſtræ defenſores. Extat præterea hanc in rem elegans Nouella Theodoſij, de Iudæis, & hæretic. & paganis, in qua ſic inter alia ſcribit: An diutiùs perferimus mutari temporum vices irata cæli temperie, quæ paganorum exacerbata perfidia neſcit naturæ libramenta ſeruare? Vnde enim ver ſolitam gratiam abiurauit? Vnde æſtas meſſe ieiuna laborioſum agricolam in ſpe deſtituit ariſtarum? Vnde hyemis intemperata ferocitas vbertatem terrarum penetrabili frigore ſterilitatis læſione damnauit, niſi quòd ad vindictam tranſit à lege ſua naturæ decretum? &c.

Symmachus emendatur.

AD EPIST. VIII.

Neque enim te exhauſerit quòd adeuntium preces &c. Ita v.c. niſi quòd pro, exhauſerit (quòd erat in excuſis libris) habet exhaurit. Nam quòd in iiſdẽ libris excuſis legebatur, quòd cupientium preces: illud non tam aptum viſum mihi fuit. Infiniti enim ſunt in iure loci, quibus Præſides, poteſtates, & magiſtratus adiri dicuntur. Sic & M.Tullius lib.4.Academ. Tribunum aliquem cenſeo adeant:& ad Quintum fratrem: Cùm Prætores diebus aliquot adiri non poſſent, nec poteſtatem ſui facerent. Calliſtratus in l.19.d. de offic.Præſid. obſeruandum eſſe ſcribit ius reddenti, vt in adeun-

De aditione magiſtratuũ.

do quidem facilem ſe præbeat. Feſtus Pompeius ſcribit Ædiles dictos fuiſſe apud Romanos, quòd facilis ad eos pateret aditus. Et in Nouella Maioriani 4. de indulg. reliq. ita eſt. Hoc eſt quòd vetus prouidentia diſpoſitióque maiorum, quam in omnibus ſequimur atque reparamus, prouincialibus iudiciis exſequẽda commiſit, quibus enitentibus per ſingularum municepes ciuitatum moderatione tractabili fiſcalium tributorum celebretur illatio: quam ſi acerbus, humilis, nouúſque compulſor pro ſui cõpendij vtilitate tractaſſet, confeſtim deprædationibus vexatorum, aditu, auditúque fiſcalium, prouinciæ cognitor ſubueniret. Sic enim audeo locum illum fœdè hactenus corruptum ex ingenio emendare. Quæ ſi quis, vt alia quædam, cum impreſſis contulerit, facilè intelliget quid præſtiterim. Illud etiam arrepta occaſione adnotare non erit alienum, facilitatem admiſſionum mirificè in Principibus viris commendatam, vt liquet ex Plinio in Paneg. qui hac laude Traianum ornat: vt etiam Theodoſium Pacatus, cuius locum vt emendetur, proponam. Facilis adiri, è proximo accipis vota hominum tuorum: vt quiſquis ille conſultor eſt, etiãſi meruerit, quod eſt rarum, repulſam, ferat tamen viſi numinis conſcientiam. Sic enim habet v.c. Pithœi: at vulgò, pro viſi, legitur, vt ſui. Mamertinus de Iuliano loquens: Omnes (ait) quos priuatus in familiaritatem recepit, eodem habet Imperator affectu: nemo gradu pulſus, nemo aditu prohibitus (ſic eſt legendum) nulli palatij fores clauſæ ſunt. Et Nazarius id in Conſtantino etiam laudat: Quid faciles aditus? quis aures patientiſſimas, quis benigna reſponſa dignè exſequi poſsit? Denique Auſonius in Panegyrico Gratiani: Laudabile eſt Imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione cauſari. Tu confirmas adire cunctantes, etiam querimoniis explicatis ne quid adhuc ſileatur, interrogas. Porrò elegans extat Conſtantini lex in Cod. Theodoſ. tit. de offic. rect. prou, qua vetat ne ſit venale Iudicis velum, ne ingreſſus redempti, ne infame licitationibus ſecretarium, ne viſio ipſa Præſidis cum precio &c.

Maioriani Nou. emend.

Pacatus emẽdatur.

Mamertinus correctus.

Quid venerandi &c. Sic totum hunc locum diſpunxi & edidi auctore v.c. proponam tamen vulgatam olim lectionem: quid venerandi Principis mente loqueris & oraculis. Sunt iſta prima, nec tamen ſola, quæ ſic publico vſui à te patior impendi, vt nihil ſolatiis meis detrahas. Illa verò verba quid loqueris, idem valent ac, quid obiicis vice excuſationis. quanquam vulgata lectio retineri poſsit. Ceterùm ex hoc loco, colligimus Flauianum Quæſtorem fuiſſe, id eſt precum arbitrum, interpretem Principis, & legum conditorem: qua de re actum fuit in notis ad epiſt. 17. lib. 1.

Vigeas. v.c. vigeres. Sed & paulopoſt liber Scotti legit, qua celebritate prouectus ſis. Codex Pithœi, qua celebritate peruectus ſis. Vtraque lectio ferri poteſt.

AD EPIST. IX.

Deſepta mentis Ita v.c. Vide notas ad epiſt. 82. lib. 1.

AD EPIST. XII.

Etſi minus vereor. Ita ſenſu dictitante correxi, reiecto vetere codice habente, & ſi nimis vereor. Sed & paulò poſt ſcripſi, eo annulo: quàm ſcripturam etiam confirmauit codex Pith. Nam v. c. habebat leui errore, Onulo. Hinc verò conſtat Romanos ſolitos fuiſſe notas ac ſymbola quædam imprimere annulis, quæ quidem l. 22. § ſignum, d. de teſtament. vocat χαρακτῆρα, & Iuſtinianus tit. de teſtam. ord. ſculpturam. Sic Plinus lib. 10. epiſt. 78. ſcribit ſe vſum fuiſſe quadriga in annulo. Et Suetonius lib. 2. cap. 50. refert Auguſtum in diplomatibus libellíſque & epiſtolis ſignandis initio Sphinge vſum eſſe, mox imagine Magni Alexandri, nouiſſimè ſua Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeuerarunt. Qua parte illud addam, videri Auguſtum non temere vſum imagine Alexandri. Trebellius enim Pollio ſcribit Macrinorum familiam id ſpeciale habuiſſe, vt Alexandrum Magnum viri in auro & argento, mulieres in annulis & omni ornamentorum genere exſculptum haberent: quia dicerentur iuuari in omni actu ſuo, qui Alexandrum expreſſum auro geſtarent vel argento. Capitolinus in Clodio Albino ait Commodum ſignaſſe litteras ſuas ſigno Amazonio. Valerius lib. 3. cap. 5. refert propinquos è manu ignobilis Scipionis Africani filij annulum detraxiſſe, in quo caput Africani ſculptum erat. Et Plutarchus in politicis, auctor eſt Syllam, cùm deuiciſſet Iuguttham, eius imaginē in annulo, quem geſtabat, inſculpſiſſe. Sed hæc ſatis.

De ſignis annulorum.

Imago Alexandri.

AD EPIST. XIII.

Magis enim contigiſſe me omnia, quàm. Ita v.c. rectiſſimè. nam quòd in quibuſdam libris legitur. Magis eum contigiſſe in communia, quàm, id vitioſum eſt. ſignificat enim ſe potiùs leuiter & curſim attigiſſe & delibaſſe laudes Theodoſij, quàm prolixè narraſſe.

Recens ſanctio. Sic v.c. quædam ſchedæ habent, recens cautio. Hæc autem conſtitutio extat in l. 2. C. Theod. de teſtam. vbi Theodoſius ſibi ius capiendi eximit ex codicillis vel epiſtolis fideicommiſſariis, non etiam priuatis hominibus. Et tamen contrarium ſtatuerat antea Valens in l. cùm heredes, C. qui teſta. fac. poſſ. Dicebat quidem Anthemius Nouella, de bon. vacant. nihil ampliùs licere bonis principibus, niſi quod liceat priuatis. Et Imperatores Theodoſ. & Valentin. in l. vlt. C. Theodo. de appell. aiunt, ſalua maieſtatis reuerentia, non dedignari ſibi cum priuatis ius eſſe commune. Sed hac ſanctione voluit Theodoſius plus licere priuatis quàm ſibiipſi, optimo mehercule exemplo: longè alia fuit mens Neronis: qui inſtituit, vt ingratorum in Principem teſtamenta ad fiſcum pertinerent, teſte Suetonio in eius vita cap. 32. Et Domitianus viuorum & mortuorum bona quolibet titulo corripiebat, etiam exiſtente vno, qui diceret audiſſe ſe ex defuncto quum viueret,

hæredem ſibi eſſe Cæſarem, vt ait idem Suetonius in eius vita cap. 12. Sanè ex imperfecto teſtamento legata vel fideicommiſſa Principem ſibi vendicare, eſſe inuerecundum ait l. 3. d. de legat. 3. Vt enim eleganter profitetur Pertinax apud Capitolinum: Sanctius eſt inopem Remp. obtinere, quàm ad diuitiarum cumulum per dedecorum veſtigia peruenire.

Exiſtimer pertinere. Sic v. c. alij libri, peruenire: quo exemplo in l. 1. C. Theod. de Epiſ. iud. vbi vulgò eſt: ad exſecutionem volumus peruenire: in quibuſdã manuſcriptis fragmẽtis illius legis ſcriptũ vidi, pertinere, quod ego nõ reiicio, quia Imperatores ita locuti ſunt aliàs: vt ad indulgẽtiam pertinere, in Nou. Valentin. de indul. reliq. & in collatione legum Moſis edita à V. C. Pithœo, tit. 6. ad veniam pertinere l. 11. C. Theod. de infir. his quæ ſub tyr. quod idem valet omnino, ac remitti: vt & illa, ad exſecutionem pertinere, id eſt exſequi. Sic ad beneficium legis pertinere dixit l. 10. & 18. C. Theod. de bon. proſc. & l. 14. eod. Cod. de Petitionib.

Frigent iamdiu. Omnes libri habebant, frigentia diu: ego tamen illis repugnantibus ex coniectura putaui legendum frigent iamdiu.

De legum effectu.

Cùm lateribus ſuis occidit. Sic v. c. in cuius tamen ora notatum fuit, aliàs legi, excidit. Sed priorem lectionem retinui, elegantia & venuſtate orationis motus. Nam memini legibus ætatem tribui, eáſque ab optimis ſcriptoribus dici, conſeneſcere, languere, mori & occidi. quanquam Symmachus lib. 10. ſcribat, leges in commune bonum procedentes nunquam occaſum pati. Conſtantinus in l. 23. C. Theod. de appellat. iubet conſeneſcere legem, quæ vetabat à Præfecti vrbis ſententia prouocare. Ammianus Marcellin. lib. 16. de legib. ſumptuariis loquens, ſeneſcentes ait, paulatim reparauit Sylla dictator. Claudianus:

Senectus legum.

— priſtinámque reſumunt
Canitiem leges, emendantúrque vetuſtæ,
Acceduntque nouæ. —

Aulus Gellius lib. 20. cap. 1. paſſus eſt enim leges iſtas de tam immodico ſupplicio, ſitu atque ſenio emori. Tullius orat. 3. in Catil. Legum interitum & bellum ciuile ac domeſticum, & totum vrbis atque imperij occaſum appropinquare dixerunt. Titus Liuius lib. 4. bel. Maced. Si quas tempora aliqua deſiderarunt leges mortales, vt ita dicam, & temporibus ipſis mutabiles eſſe video. Arnobius lib. 7. Reſponſum deinde ab haruſpicibus editum res ſæuas triſtiſſimáſque portendi ab incendiis, cædibus, ab legum interitu, & ab iuris occaſu. Indéque eſt quòd ſæpe in conſtitutionibus Principum, inuenias leges dici perpetuò victuras, & in æuum manſuras: vt apud Rutilium lib. 1. itiner.

Interitus legum.

Porrige victuras Romana in ſæcula leges.

Symmachus etiam lib.9.epiſt.105. ægrotare leges dixit, his verbis. Vtinam leges æquè mecum valerent, quarũ ſanitas ab ipſis plerumque corrumpitur,quibus curanda mandatur. Valerius Maximus lib.6.cap.7. in fine,vbi de Charonda Tyrio agit, qui ſoluiſſe legem à ſe latam arguebatur,vulnerari legem dixit. Ego illam,inquit,curabo,qui ſauciaui:ac protinus ferro quod habebat diſtricto incubuit. Sic enim legimus libenter cum Gifanio,qui eam lectionem germanam ex ſuo vet.cod.manuſcripto aſſeruit. Nam vulgò etiamnum hodie paſſim vbique perperam excuſum eſt, Ego illam ſauciam,ac protinus &c. Sed & minari leges ſæpe dicuntur,tanquam affectu moueantur. Inde terrores legum in l.1.C.de inf.pœn.cel.& Theodoſius Nou.3.de Iudæis. Apud Prudentium in Romano martyre laqueos minacis legis Iuliæ dictos legimus. Apud Iulium Firmicum li. de error.prof.rellig.minaci perſequi edicto.vt apud Ammianum Marcel.lib.30.in fine,interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem inclinare. Seneca lib.14.epiſt.95. de legibus loquens, Quid aliud (ait) ſunt quàm minis mixta præcepta? Qua ratione Ouidius li.1.Metam. verba minantia ære fixo ligari dixit, quod de legibus eſt accipiẽdum. Cõſtantinus in l.31.C.ad leg.Iul.de adult. inſurgere leges & armari iura gladio vltore ſcripſit.& Prudẽtius lib.2.in Symmachũ arma tribuit legibus:

Valerius emendatus.

Minæ legum.

Arma legum.

---falluntur publica iura,

Lex armata ſedet.---

Quo pertinet locus Marij Victoris oratoris Maſſilienſis ita ſcribẽtis lib. 2.comment. in Geneſim,vbi de lapſu primi hominis agit.

Marius Victor correctus

---tibi crimina plectent

Armata leges gladiis,& vindice ferro.

Sic enim moneo legendum eſſe & emendandũ ex vetuſtiſſimis membranis Diui Benigni Diuion. Nam vulgò vitioſè ſcriptum repperi: Arma telis gladiis &c. Duræ etiam leges eſſe aliquando finguntur ,quemadmodum Symmachus lib.10. epiſt.47. teſtatur Theodoſium ſæpe legum duritiam inflexiſſe. Et Aulus Gellius lib. 20.cap.1. Niſi duram eſſe legem putas(ait) quæ iudicem arbitrúmve iure datum , qui ob rem dicendã pecuniam accepiſſe conuictus eſt,capite punit. Titus etiam Liuius initio lib.2. Dec.1. ait leges rem ſurdam & inexorabilẽ eſſe. Iraſci præterea leges dicũtur apud Quintilianum decl. 366. cuius rei rationem eleganter reddit Diuus Ambroſius in pſal. 37. vſus habet (ait) vt dicamus de quoque punito,quia iram incidit legum. Nõ quia legum iram, ſed quia legum ſeueritatem.Hic & alibi,de decem plagis Ægyptiorum ait. Miſit in eos iram per angelos malos ,id eſt vindictam. Lex enim neſcit iraſci, ſed ſcit legum miniſter. Neſcit ergo iraſci qui eſt auctor legum,cui terrendi eſt voluntas non puniendi &c.Adhæc leges, medicas dici inueniré eſt aliquoties,vt Theodoſiana Nouella 3. de Iudæis,Ad ſanitatẽ mẽtis egregiæ,lege medica reuocare conamur. Et Aulus Gellius lib.20.cap.1. Non ignoras legum opportunitates & medelas pro temporum moribus mutari atque flecti. Sed hæc ſatis ſuper affectu legum,quæ arrepta occaſione proferre placuit,quia id ab aliis tractatum non memini.

Ira legum.

AD EPIST. XVII.

Auiæ. *In ſinu auiæ.* v.c. in ſinua auiæ. Facili lapſu, repetita littera occaſione ſequentis. Ita verò locutus eſt Sidonius Apollin. lib. 5. ep. 16. Roſcia te ſalutat cura communis, quæ in auiæ amicarúmque indulgentiſſimo ſinu (quòd rarò nepotibus contigit aliis) & cum ſeueritate nutritur, qua tamē tenerum non infirmatur æuum, ſed informatur ingenium. Idem lib. 4. ep. 9. filiam vnicam paruam poſt obitum vxoris relictam ſolatio celibatus alit, teneritudine auita, materna diligentia, paterna benignitate. Et Caſſiodorus Var. lib. 4. ep. 12. ſcribit auiæ ſemper eſſe ſuorum curam teneriorem.

AD EPIST. XX.

Mentior. *Mentiar, ſi mihi.* Ita v.c. alij, mentior. Sic Seneca lib. 2t. ep. 119. Mentior, niſi adhuc quæris aſcendere. Quintilianus decl. 6. mentior, niſi factum eſt me ab illis captum. Diuus Cyprianus ad Donatum, de hiſtrionibus agens: Fiunt, quæ nec ipſis nec illis poſſunt placere qui faciunt. Mentior, niſi alios qui talis eſt increpet, turpis turpes infamat &c. Vtitur & aliquoties Tertullianus. Itaque ſic ex coniectura emendo deprauatum vulgò illum locum Ennodij in Panegyr. *Ennodius reſtitutus.* Mentior, ſi vnquam diſpoſitis tuis impedimentum exhibuit ardor, aut frigora, ſi tu more gurgitum, ſi bibendi neceſſitate conſtrictus es. Alia ſunt in eodem Panegyrico deprauata, quorum partem aliàs emendare eſt animus, ſi erit ocium.

AD EPIST. XXVII.

Animalia quæ. *Quo numero animalia.* v.c. quot numero. Animalia verò videtur pro parauerediis dixiſſe. Eo ſenſu publica animalia accipi debent in l. 3. to. 18. 19. & l. pen. & vlt. Cod. de curſu publ. & in multis aliis legibus eiuſdem tituli Codice Theodoſ. Capitolinus in Maximinis: Tanto impetu mutatis animalibus cucurrit, vt quarta die Romam veniret. Manſionum autem quarum hîc meminit, crebra mentio fit in Codice Theodoſiano, *Manſiones.* nimirum in l. 2. de concuſ. aduoc. l. 2t. de anno. & trib. l. 21. & 109. de Decurio. l. 23. & 35. de curſ. publ. vbi ſeparantur ab oppidis & ciuitatibus, Earum etiam mentio in l. 2. C. de cond. in publ. hor. Et in l. 21. C. Theod. de Decurion. legimus præpoſitos manſionum.

AD EPIST. XXVII.

Argue vt vis rerum conſilia poſt exitum. Sic emendaui ex veſtigiis veteris *Exitus in conſilii.* libri paululum hac parte corrupti. Habuit enim tonſilia, pro conſilia. Et hoc eſt nimirum quod ait M. Tullius pro Rabirio Poſth. ſtatim in principio: hoc plerumque nos facere, vt conſilia euentis ponderemus, & cui bene proceſſerit, multum illum prouidiſſe; cui ſecus nihil ſenſiſſe dicamus. Plinius lib. 5. epiſt vlt. Eſt omnino iniquum, ſed vſu receptum, quòd honeſta conſilia vel turpia, prout malè, aut proſperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur. Itaque Sidonius Apollin. lib. 4. epiſt. 6. ait abſurdum eſſe, ſi cœptis audacibus aduerſetur euentus, conſurgere in querimonias, & inconſultarum diſpoſitionum culpabiles exitus ad infamanda caſuum incerta confugere. Ouidius:

Exitus acta probat, careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

AD EPIST. XXX.

Negocium vulneratum. Eſt quidem id dicendi genus durius, ſed tamen exemplis illius ſæculi non caret. Sic enim idem auctor lib. 2. ep. 73. negocium inclinatum depulſa lite ſanate dixit. Ammianus Marcellinus lib. 26. vbi de Petronio agit, ſepulta negocia & tediuiuas nebulas debitorum in diuerſos ordines excitare ait. Et Imperatores in l. xv. C. Theod. de appellat. non rectè iudices iniuriam ſibi fieri exiſtimare, ſi litigator, cuius negocium ſentētia vulneratum eſt, à principali cauſa prouocauerit. Et in l. vlt. C. in quib. cauſ. in integ. reſt. ſcribitur melius eſſe intacta ſeruati iura, quàm poſt cauſam vulneratam remedium quærere. Quibus etiā addatur l. 2. C. Theod. vnde vi, quæ reparationē negocij ſemel interfecti poſtulare ait. Non diſſimili ſchemate ſtrangulare libertatem calumniantium dixit D. Ambroſius epiſt. 64. & l. 2. C. Theod. de perit. Rempublicam ſtrangulari Valerius lib. 5. cap. 3. & iudicum latrociniis ſtrangulari pauperes. Saluianus de prouid. dei. lib. 5. & interfici honorem Optatus Afer lib. 2. contra Donatiſtas. *Negocia vulnerata & interfecta.*

Reputatorios. Quid ſi legas, refutatorios? Nam illi videntur fuiſſe ſcripta quædam, quorum ſerie iudicis iniuria in iudicando vel conſultando exponeretur. Refutatorios vocat ſimpliciter l. 1. C. de relatio. & l. 19. C. de appell. & refutatorios libellos l. 8. C. Theod. de appell. & refutationem l. 11. eod. tit. & refutatorias preces. l. 1. & 14. eod. tit. & Cod. *Refutatorij.*

AD EPIST. XXXII.

Triſte ocium tero. Ita v. c. vulgò legebatur triſte ocium gero. quod non placet. Terere enim & conterere ocium aptiùs dicimus, quàm gerere. Id exemplis prolatis conſtabit. M. Tullius lib. de amicit. in ſtudiis cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi, remoti ab oculis populi omne ocium tempúſque contriuimus. Rutilius lib. 1. itiner. Ocia vicinis terimus naualia ſulcis. Salluſtius in Catil. non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonū ociū conterere. Liuius lib. 1. regij quidem iuuenes interdum ocium conuiuiis comeſſationibúſque inter ſe terebant. Et Paulinus ad Amandum, ne illi ſegne ocium contereti pediſſequa pigrorum inopia tanquam bonus curſor occurrat. *Ociū terere.*

Dei ſalutaris. v. c. ſaluatoris.

AD EPIST. XXXIIII.

Vnus iter. v. c. vnius iter, malè. Sed & poſtea repoſui, poſt tergum, quod etiam confirmarunt ſchedæ Pith. Nam idem v. c. habuit, poſt tergum. Ita ſupra lib. 1. epiſt. 88. fama belli poſt tergum relicta indicium affectaſſe victoriæ. Sic enim puto legendum, alios etiam auctores ſæpe ſic locutos video. Ammian. Marcell. lib. 17. ſecuritate fundata terrore nullo relicto poſt terga. Et lib. 21. Nullo poſt terga relicto, quem formidaret. C. Pedo in fragmentis de nauigatione Druſi Germanici: *Poſt terga.*

Iam pridem poſt terga diem, ſolémque relictum.

Spartianus in Seuero: quas poſt tergum relinquebat prouincias. Prudentius in Caſſiano:

Et poſt terga domum dubia ſub ſorte relictam.

Et in Hamartig.

--- poſt terga tenebras
Liquerunt. ---

Claudianus lib. 2. in Ruffin.

--- mundum poſt terga relinquam.

Plinius etiam in Paneg. relictáque poſt tergum totius generis humani ſecuritate mœreret. Ennodius in epiſt. ſicut poſt tergum relictis par eſt, facem de innocentia præferri, ita ratio flagitat, vt etiam verbis iter quod ſequantur, oſtendas. Sic enim locum illum lego. Denique Sidonius Apollin. lib. 4. ep. 15. poſt tergum cùm iam duodecim luſtra tranſmittat, coridie tamen habitu cultúque continuo nō ſolùm iuueueſcit, ſed quodammodo repueraſcit.

Ennodius notatur.

Blanda fomenti. Ita v. c. non autem fomenta: quod tamen poſtremum extat in ſchedis Pith. Eius verò locutionis aliquot exempla obſeruaui in notis ad epiſt. 71. lib. 6.

AD EPIST. XXXVI.

Eadem forma. Ita lege, nam in v. c. erat, eadem forina, qui error ſæpe inualuit: tale illud eſt quod apud Lampridium in Heliog. pro equo ſaginario, reponendum eſſe, ſagmario, vidit Turnebus aduerſ. lib. 30. cap. 16. & lib. 24. cap. 9. Sed & non defuerunt qui in conſtitutionibus Principū, formas aquarum in forinas aquarum deprauare voluerint, cùm tamen formæ dicantur l. 1. C. de aquæd. nou. 7. de mandat. Princip. & apud Caſſiodorum lib. v. ep. 38. & lib. 7. ep. 6. ſed ad rem. Idem Symmachus infrà lib. 4. ep. 27. ſcribit legem eſſe Curiæ, vt maioris numeri antiſtet auctoritas. Inde illud Plinij lib. 2. ep. 12. numerari ſcilicet ſententias non ponderari, nec aliud in conſilio publico fieri poſſe, in quo nihil eſt tam inæquale, quàm æqualitas ipſa. Nam cùm ſit impar prudentia, par tamen omnium ius eſt. Id eleganti verſu Prudentius lib. 1. contra Sym. in fine expreſſit:

Lampridius correctus.

Maior pars in ſententiis.

Si conſulta patrum ſubſiſtere conſcriptorum
Non alter licitum priſco ſub tempore, quàm ſi
Tercentum ſenſiſſe ſenes legerentur in vnum:
Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, paruáque in parte ſileſcat.

Atque inde fluxit elegans illud vetus verbum apud Feſtum lib. 12. Numera Senàtum, quod obiiciebat quiuis Senator Conſuli, cùm impedimento eſſe volebat, quo minus fieret Senatuſconſultum, numerúſque legitimus aberat. Sed id non tantùm in Senatu locum obtinuit, verumetiam in aliis ordinibus. P. Decius apud Titum Liuium milites alloquens: Vbi ſententiam meam (ait) vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dexteram partem tranſibitis. Quæ pars maior erit, eius ſtabitur conſilio. Et venuſtè Annæus Seneca lib. de vita beata cap. 2.

Cùm

.Cùm de beata vita agitur(ait)non eſt quòd mihi illud diſceſſionum more reſpondeas.Hæc pars maior eſſe videtur. Ideò enim peior eſt. Non tam benè cum rebus humanis geritur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt.Quæ autem pars maior ſit in ſententiis ferendis tractat Quintilianus decl.365.

Numa auctor. Ita legendum credidi,quod etiam confirmarunt ſchedæ Pith.non autem, Numa actor, vt erat in v.c. Nam paſſim cognitum eſt Numam ſacra & cæremonias primum Romanos docuiſſe. Sæpe autem accidit,vt in his vocibus propter affinitatem peccatum ſit:vt apud Symmachum lib.7. epiſt. 87. vbi vulgò eſt, Cupit foro tuo non obſcurus orator accedere. Scriptum eſt in v. c. non obſcurus ortu actor accedere & c.

Duorum ſanitas. Idem auctor lib.3.ep.11. & deeſſe huic epiſtolæ Atticā ſanitatem boni conſule. Et lib.8.ep.48. Diu ſanitati pariter ac venuſtati litterarum tuarum, mediocris eloquij conſcius reſpondere dubitaui. *Sanitas.*

Enunciata noxiam crearent. Ita v.c. tamen ſchedæ Pith. habent, enunciatam noxiam crearem. Ceterùm illud obiter admonebo, videri mihi Symmachum per ſacrorum æmulos, velle intelligere Chriſtianos ſui temporis, quibus infenſiſſimus fuit. Addítque prudenter auctor, ſeſe temerè noluiſſe enunciare,quæ relligionem labefactare poſſent. In his enim rebus tutum eſt ſilentij præmium. Itaque Auguſtus Ceſar, cùm Athenis initiatus,poſtea Romæ pro tribunali de priuilegio ſacerdotum Atticæ Cereris cognoſceret,& quædam ſecretiora proponerentur, dimiſſo concilio & corona circunſtantium ſolus audiit diſceptātes.Auctor eſt Tranquillus in eius vita cap.93.

Inuſitatis cenſentibus. Sic ex v.c.Liber Pith.habet,minus ratū cēſentibus.

AD EPIST. XXXVIII.

Nullus commendationis lenociniis poſtulat adiuuari. Hæc eſt ſcriptura v.c. neque probo emendationem eorum qui pro,nullus, reponunt, nullis. Mouet me quòd idem Symmachus lib.1.ep.1. Nullus feceris(ait)ne mei periculo gloriere. Et epiſt.41.eiuſd.lib.amicitiarum munia nullus exſequeris. Virgilius in Ciri: *Nullus.*

Nulla colum nouit, carum nec reſpicit aurum.

Terentius in Hecyra: Si quæret me,vti tum dicas:ſi non quæret, nullus dixeris.Apuleius lib.8.de aſin.aur.an nulli ſcitis quo loco conſederitis? Plautus in Caſina,Qui amat,tamē hercle,& ſi eſurit,nullus eſurit.Vtitur & M.Tullius lib.12. ad Attic.epiſt.24. Philotimus non modò nullus venit &c.

AD EPIST. XLVI.

Si quando excidit cupitis. v.c.habebat perperā,excitis,ex quo effeci,excidit. perſpicua ſententia. Schedæ verò.Pith. horum verborum loco legunt, Ferunt Socratem excitis cupitis.

Populi voluntatibus fletis. Ita v.c.& ſchedæ Pithœi. Sed tamen ego exiſtimo non inani coniectura ductus, auctorem ſcripſiſſe, populi v-

luptatibus ſtetit, quemadmodum earum vocum affinitate ſæpius peccatum fuit à librariis. In veterum autem ſcriptorum libris, theatrales functiones, ſpectaculorum editiones, & alia eius generis, quæ ad argumentum huius epiſtolę ſpectant, voluptates conſtanter appellari animaduertimus. Idem Symmachus lib. 10. ep. 19. Curules (ait) ac ſcænicas voluptates Circo & Pompeianæ caueæ ſuggeratis. Vopiſcus in Aureliano: Sequētibus diebus datæ ſunt populo voluptates ludorum ſcænicorum, ludorum Circenſium, venationum, gladiatorum, naumachiæ. Trebellius Pollio in Gallienis duobus: Ne diutius (ait) theatro & Circo addicta Rep. per voluptatum deperiret illecebras. Tertullianus lib. de hab. mulieb. Nam & omnes iſtæ prophanæ ſpectaculorum ſæcularium voluptates ex rebus Dei conſtant &c. Caſſiodorus Var. lib. 5. ep. 42. venationem & ſpectacula, in quibus homines cum feris decertabant, vocat ludum crudelem & ſanguinariam voluptatem. Lactantius lib. 6. cap. 20. vbi ſpectacula damnat, voluptatis voce aliquoties vtitur. Et Saluianus li. 6. de prouid. Dei ait, nihil eſſe criminum vel flagiriorum quod non eſſet in ſpectaculis, vbi homines lacerarentur cū circunſpicientiū voluptate. Prudentius lib. 2. contra Symmach. cùm ad abroganda ſpectacula Honorium cohortatur:

Voluptates quæ.

Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari:
Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas.

Et apud Minutium Felicem in Octauio puto hoc ſenſu voluptatis nomen exaudiēdum, cùm obiicit Chriſtianis Cæcilius, quòd ſuſpenſi atque ſolliciti voluptatibus abſtinerent, non viſerent ſpectacula, non pompis intereſſent. Sed & in Principū conſtitutionibus ſæpe harum voluptatum mentio fit, vt in l. 1. C. de ſpectac. vbi tamen in vulgatis libris malè legitur: vt integra ſit voluntas, quæ volentium celebretur impenſis. Nam reponendum eſt, ſit voluptas. quod arguit l. 3. tit. de ſcænicis Cod. Theodoſ. vnde illa lex prompta eſt. In l. 1. C. de expenſ. lud. agonis voluptas dicitur, & in l. 5. C. Theod. tit. de ſcænicis, publicæ voluptates vocantur. Et in l. 29. & 32. eod. Cod. Theod. tit. de prætorib. dicuntur Prætores exhibere populo Romano ſcænicas voluptates. Itaque legimus Romę fuiſſe tribunum voluptatum. Nam & reperio in l. vlt. eod. Cod. Theod. tit. de ſcænic. Diogenianum voluptatum tribunum nuncupari. Quinetiā aliquoties eius tribuni mentio fit ab Aurelio Caſſiodoro lib. 5. epiſt. 25. & lib. 6. in formula 19. & apud eūdem lib. 7. cap. 10. exiat formula Tribuni voluptatum. Denique neſcio an huc rectè accommodari poſſit, quod à Trāquillo ſcribitur in Tiberio Cæſare cap. 42. Tiberium ſcilicet nouū inſtituiſſe officiū à voluptatib⁹, prępoſito equite Romano T. Cæſonio Priſco. Ex his ſatis ſupérque coniectura noſtra confirmatur.

Ad l. 1. C. de Spectac.

Voluptatum Tribunus.

Nihil igitur maior familia Sparticon equiorē. Sic in v. c. hæc verba cōcepta erant. In ſchedis Pith. nihil igitur moroſam familiā Spartia conquē. Sed vtrobique mendū latitat, & eſt difficile verba eiuſmodi ſanare. Fortaſſe nō malè emendauerim hoc modo, donec acurior meliora adferat. Nihil igitur moror familiā Spartiacōn nequiorē. Mēs auctoris ea eſſe videtur,

Symmachus certum Saxonũ numerũ parauerat in ſpectacula publica. At illi omnes eo die quo in theatrũ educi debuerant, faucibus fractis ſpẽ exhibendarum voluptatum Symmacho præripuerant, ne ſcilicet ludibrio populi eſſent. Quis enim recuſaret extrema quæque pati, ne tam miſerè palam dilaniaretur? Nullus enim miſericordiæ locus erat in eiuſmodi certaminibus. Nam ſi quis è gladiatoribus vitam ſupplex precaretur, inuiſus erat populo, qui repeti illos ictibus iubebat, ferebãtque ad mortem crudelia ſuffragia, vt ait Lactãtius lib. 6. cap. 20. Seneca lib. 1. de ira cap. 2. & ep. 7. & li. de tranq. vitæ 1. cap. 11. quod etiam attigit Prudentius lib. 2. in Symmach. in fine. Imperator verò, vt Symmacho ſuo gratificaretur, fortè Spartanos gladiatores illi offerebat prioribus ſuccidaneos, vt dolor priſtinus nouo beneficio penſaretur. Nam Romani ex variis regionibus habebãt homines qui in ſpectaculis ſeſe conficerent. Vnde illud eſt quod ſcribit Tranquillus in Iulio cap. 10. quia nimirum multiplici vndique familia comparata Cæſar inimicos exterruiſſet, cautum fuiſſe de numero gladiatorum, quo ne definito maiorem cuiquam habere Romæ liceret. Qua re gladiatorum munus ille edidit, paucioribus quàm deſtinauerat paribus. Sed reſpondet Symmachus nihil opus eſſe Spartanis hominibus, cùm illi ſibi non minore nequitia, Saxonum exemplo, poſſint vitam furari, ſi ſpectaculo populari exhibeãtur. Etenim Spartani generoſi, & virilis erant ſanguinis, nec temerè patiebantur ſeſe aliorum fieri ludibria. Itaque aliquando Lacedæmonij Philippo Regi ciuitatem illorum intolerabilibus oneribus implicanti, liberè reſponderunt, ſi quid morte grauius imperare perſeuerarent, mortem ſe prælaturos, teſte Valerio lib. 6. cap. 4. Notum eſt etiam ex Plutarcho in Apophteg. Laconem venditum, domino iubenti matulam vt adferret, parêre noluiſſe. Sed cùm herus ſeruum appetere vellet, illum in tectum aſcendiſſe, ſéque dediſſe ab alto præcipitem, illúdque elogium addidiſſe: Senties quem emeris. Sed & apud Petronium Arbitrum, Spartanã nobilitatem vſurpatam ſcio vice prouerbij. Et ego quidem (ait) tres plagas Spartana nobilitate concoxi. *Spartani generoſi ſanguinis.*

Velim quæſita facile factũ eſt hãc munificentiã Principis Lybicarũ largitione mutari. Ita v. c. cui etiã conſentiunt ſchedæ Pith. Sed in illis verbis mendũ ſubeſt: & ſi quid coniecturæ meæ proficiũt, putauerim reponi oportere: Velímque ſi tam facile factu eſt & c. Hæc autem verba inde lucẽ capere exiſtimo. Solebant Senatores adiuuari in editionibus ludorũ & ſumptibus à Principibus, vt docet idẽ Symmachus lib. 4. ep. 12. Honorio (ait) diuinę ſtirpis Auguſto benefaciẽdi ſemper addis calorẽ, docéſque inuictũ Principẽ Senatoriã mediocritatẽ muneribꝰ incitare. Sed & leonũ coemptio, quibꝰ vtebãtur in ſpectaculis, non niſi venia petita à Principe fiebat, vt arguit idẽ auctor li. 7. ep. 122. Adde ſi placet (ait) quod à me poſtulatũ tenes, vt aliarum Lybicarum mihi emptio ſacra auctoritate præſtetur. Nam ibi ferarum Lybicarum nomine leones intelligit, quemadmodum etiam lib. 2. epiſt. 75. Cùm ita ſcribit. Et de leonibus fama conticuit, quorum aduẽtus poſſet efficere, vt vrſorũ defectũ cõgreſſio Lybica cõpenſaret. Nã ſæpe leones exhibitos in ſpectaculis docet Capitolinus

in Antonino philoſopho, Vopiſcus in Probo, & Annæus Seneca lib. de breuit. vitæ cap. 13. Ceterùm quo exemplo Symmachus Lybica vocat, eodem etiam alij auctores, Africana dixerunt, pro feris Africanis ſcilicet, vt Suetonius in Caligula cap. 18. vbi malè vulgò legitur, Africanorum venatione. Scribēdum enim eſt Africanarum, vt rectè quidam codices habent. Cui addendus eſt Plinius lib. 6. ep. vlt.

Suetonius correctus.

Fractas ſine laqueo fauces. Quod hîc de ſeruis refert, qui cùm intelligerent parari ſe ſpectaculo ſanguinoléro, ſibi fauces effregerunt: ne ludibrio ſcilicet inſanientis populi exponerentur, & miſero cruciatu ſpectatorum oculos explerent: id inquam in memoriam reuocat, quod Seneca ſcribit lib. x. ep. xi. Germanum quendam, cùm ad matutina ſpectacula pararetur, & fortè ſeceſſiſſet ad ventrem exonerandú, lignú quod ibi ad emúdanda obſcœna adhærente ſpōgia poſitum erat, totum in gulàm farciſſe, ſibíque præcluſis faucibus ſpiritum eliſiſſe. Et paulo poſt narrat alium ceruicem circumactu rotæ fregiſſe, ſicque parati pœnam ſpectaculi effugiſſe. Cornelius etiam Tacitus lib. xv. Annal. refert Epicharim vinclo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto indidiſſe ceruicem, & ſpiritum expreſſiſſe corporis pondere conniſam, vt cruciatus, ad quos retrahebatur, vitaret. Nec diſſimile factum eſt Herennij Siculi, qui cùm in carcerem duceretur, in poſtem illiſo capite, in ipſo ignominiæ aditu concidit. Auctor Valerius lib. 9. cap. 12.

AD EPIST. LII.

Nomē inane.

Nos legum inane nomen vocamus. Secutus veſtigia v. c. ita conieci emendari oportere. Nam exaratum in eo inueni, Nos legomina ne nomen vocamus. Nec erit vllus, vt opinor, qui non hanc coniecturam adprobet. Nomen verò legum inane dixit, quia nullius ferè auctoritatis illæ apud ſuos euileſcerent. Quomodo alios auctores frequenter locutos animaduerti. Cuius rei exempla chartæ commendabo, confirmandæ emendationis cauſa, tum quòd alij id non obſeruarint. Alcim. Auitus lib. 6. de vxore:

Sic captiua thori cùm portet nomen inane
Coniugis, & vana dicatur imagine conſors
Sola iugo premitur.---

Plinius in Panegyr. In Principum domo nomen tantùm amicitiæ inane irriſúmque manebat. Et lib. 8. ep. vlt. quid eſſe tribunatum putes, inanem vmbram & ſine honore nomen. Boëtius lib. 3. de conſolatio. Prætura magna olim poteſtas, (Sic lege, non vt vulgò, Præfectura) nunc inane nomen, & Senatorij cenſus grauis ſarcina. Lucanus lib. 5.

Boetius correctus.

Addidit & faſces aquilis, & nomen inane
Imperij rapiens.—

Diuus Ambroſius lib. de dignit. ſacerd. cap. 3. quod ſumus profeſſione, actione potius quàm nomine demonſtremus: vt nomen congruat actioni actio reſpondeat nomini, ne ſit nomen inane & crimen immane. Horatius lib. 1. ep. 17.

--- aut virtus nomen inane eſt,

Aut decus,& precium rectè petit experiens vir.

Seneca lib.1.de Clem. cap. 9. agmen nobilium non inania nomina præferentium,ſed eorum qui imaginibus ſuis decori ſint. Cornelius Tacitus lib.6. Annal. in fin.neque penes Arſacidem imperiũ, ſed inane nomẽ apud imbellem externa molliria. Et lib. 4.hiſtor. attollerent tantùm oculos,& inania legionum nomina ne paueſcerent. Sidonius Apollin. in Paneg.Auiti:

--Flammis,ferro,feritate,rapinis

Delebant,pacis fallentes nomen inane.

Simphoſius Gallus in lib.ænigmatum de monumento loquens:

Nomen habens hominum poſt vltima fata remanſi,

Nomen inane manet,ſed dulcis vita profugit.

In conſtitutionibus Principum id etiam obſeruare eſt. Nam Zeno in l.. neminem 64.C.de Decurio. ne tamen indulti honoris inane nomen retinere videantur,dignitatum titulis potiantur per ſubſtitutos. Et Conſtãtius in l.40.C.Theod.de Decurionib. Curiales plerique ad inane vocabulum militiæ cucurrerunt. Sed & ſcitè Syneſius Epiſcopus epiſt.136. cõqueritur,quòd ſua ætate nihil præter nudum nomen Athenæ haberẽt: ὡς ὐδὲν (ait) ἔχουσιν αἱ νῦν ἀθῆναι σεμνόν. ἀλλ' ἢ τὰ κλεινὰ τῶν χωρίων ὀνόματα. His etiam non malè illud quadrabit, cùm nil niſi nomen alicui derelictum dicimus,quod habere ſpeciem prouerbij videtur. Saluianus lib.4. de prouid. Dei: Sciunt hoc Hiſpaniæ,quibus ſolum nomen relictum eſt. Auctor Paneg. Maximiano dicti: Illa gens propè omnis extincta eſt,&pænè cum ſolo nomine relicta,quo ſeruiat. Laberius apud Macrobium Saturn.2.cap.7. Sepulchris ſimilis nil niſi nomen retineo. Et Licinius Caluus apud Titum Liuium lib.5.ab V. C. me iam non eundem (ait) ſed vmbram noménque P. Licinij relictum videtis, vires corporis effœtæ,ſenſus oculorum atque aurium hebetes,memoria labat,vigor animi obtuſus.

AD EPIST. LXXIIII.

Cùm in iudicio Præfecturæ. Ita emendaui. Nam in v.c.erat, Profecturæ, errore creato ex notis, quo etiam hodie laborat carmen Iuuenalis Saty.6.vbi eſt. *Iuuenalis correctus.*

Profectura domo Sicula non mitior aula.

Conſului multos manuſcriptos,ſed in illis idem lapſus erat,nec eſt vllus qui carmini idoneum ſenſum affingere potuerit, omnino autem reponendum eſt.

Præfectura domus Sicula. ---

Atque hanc emendationem certiſſimam, petirámque ex v. c. debere ingenuè me fateor P.Pithœo ſummo Galliæ noſtræ ornamento, eiúſque oraculi factum me eſſe interpretem gratulor. Vt autem ad Symmachũ redeamus,coniecturam noſtram adiuuat,quod hîc de accuſatione Senatorum agitur. Cuius quidem rei notio ad Præfectum vrbis propriè pertinebat,quod idem auctor docet infrà lib. 10. cùm ſcribit certa eſſe offi-

cia omnium poteſtatum,ſed Præfecturæ vrbanæ proprium negocium eſſe, Senatorum iura tueri. Verùm id apertiùs multo colligitur ex l.vlt. C. Theodoſ.de iuriſd.om. iudic.quæ nominatim cauet Præfectum vrbi non poſſe cognoſcere de cauſa criminali Senatoris,niſi adhibuerit in cõſilium quinque Senatores non electos, ſed ſorte ductos, ne de capite atque innocentia alterius iudicio electi iudicent,& addit id iamptidem ſtatutum fuiſſe.San è l.13.eod.Cod.Theod.de accuſatio.oſtendit etiam quinqueuirali iudicio finiti apud Præf.vrbi crimen inſtitutum aduerſus Senatorem, vetátque ſpectatos iudices ſponte delectos adhiberi,ſed tantùm ſorte ductos. Eius rei imago quædam & ſpecies cernitur apud Caſſiodorum lib. 4.Var.ep.22.quo loco Theodericus Rex iubet, Argolicum Præfectum vrbi quinque Senatoribus adhibitis, de crimine Baſilij atque Prætextati cognoſcere, qui artis ſiniſtræ,id eſt magicæ,rei deferebantur. Sed & Valentinianus & Val.in l.10.C.Theodoſ.de malefic. quia ex ordine Senatorio maleficiorum inuidia quidam ſtringebantur, ideò illa negocia vrbanę Præfecturæ diſcutienda remittere ſeſe inquiunt. Et inde eſt quod idem Caſſiodorus lib.6.in form. Præf.vrb. ſcribit Præfectum vrbi, Senatorum eſſe pręſulem,& apud eum Senatores trepidare,proprias cauſas dicere. Quòd ſi quando eiuſmodi quæſtio incideret, quæ commodè definiri à Profectò vrbi non poſſet, ad Principem recurrendum erat, vt eſt relatum eadem l.10.de malefic. Ceterùm quandoquidem quinqueuiralis iudicij mentio facta eſt, addamus peculij vice rem notatu dignam. Extat locus apud Plinium lib.29.cap.1.qui ſic habet,De exilio verò non niſi die 45. quinque electis viris datur tabella: alij codices vulgati ſic: non niſi die 40.quinque electis &c.Ex qua lectione viri doctiſsimi efficere voluerunt,quinqueuirale iudicium locum obtinere in ciuem quencumque accuſatum.Et tamen id apertè refellitur teſtimoniis antea prolatis, quæ arguunt quinqueuiralis iudicij formam tantùm obtinere in cauſis criminalibus Senatorum. Quid igitur hîc ſequemur? Si ad arcanos & myſticos libros recurrere voluerimus, ſcrupulum nobis illi eximent. Nam in vetuſto codice diui Benigni Diuionenſis ita diſertè ſcriptum repperi. De exilio verò non niſi de 45. electis viris datur tabella. Iam ergo locus ille ſuo nitori reddatur, ne ſtudioſis amplius crucem figat.

De quinqueuirali iudicio in cauſis Senatorum.

Plinius correctus.

Diſciplina publica.

Publica diſciplina. Sic fuit emendandum ex veſtigiis v.c.Eo modo emendationem publicæ diſciplinæ dixit l.1.d. de Offic. Præf. Prær. A. Gellius lib. 18 cap.3. ætatis dignitatiſque maieſtate tanquam arbitros & magiſtros publicæ diſciplinæ verebantur. Apuleius lib.4. de Aſin. aur. de Cupidine loquens. Malis ſuis moribus, contempta diſciplina publica, flammis & ſagittis armatus per alienas domos nocte diſcurrens, & omnium matrimonia corrumpens, impunè committit tanta flagitia. Theodoſius Nou. de reddito iure armorum: Aduerſus hoſtes,ait, ſi vis exegerit, ſalua diſciplina publica, ſeruatáque ingenuitatis modeſtia, quibus potuerint vtantur armis. Et Saluianus lib.7. de vero Dei iudicio:

Hoc prouidebant procuratores, ne publicæ paſſim diſciplinæ oculos ciuitatis ſcelera polluerent.

AD EPIST. LXXVIII.

Qui ſpectatus mihi. Ita vulgò. v.c. habet: qua exſpectatus mihi. Eodem exemplo ſupra lib. I ep. 31. vbi eſt vulgò: vir quantum eſt in terris hominum ſpectatiſſime: erat in v.c. & in libro Pith. expectatiſſime.

Comitate parem ſentiat. v.c. communitate parem, vt etiam eſt in editione Scotti: nec illud temerè reiiciendum. Sic veteres editiones Eutropij habent lib. 8. vbi de Traiano: Amicis enim culpantibus, quòd circa omnes nimis communis eſſet, reſpondit talem ſe imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe Imperatores priuatus optaſſet. At in multis recentibus libris, pro communis, repoſitum fuit, comis. Atque hic locus admonet, vt emẽdem locum vulgò corruptum apud Vegetium lib. 2. cap. 9. in quo ſic, à quibus non tantùm binæ legiones, ſed etiam plures numero gubernantur. Proprius autem iudex erat Præfectus legionis, habens communem primi ordinis dignitatem. Ego ſcriptum vidi in antiquo codice, cuius antea memini: ſed etiam plures numeri. Et deinde: habens comitiuam primi ordinis dignitatem. Quod veriſſimum eſt. *Eutropius notatur.* *Vegetius correctus.*

AD EPIST. LXXIX.

Vt eum ſancto pectori tuo. Particulam, ſancto, addidi ex v.c. quæ vulgò deſiderebatur. Solet Symmachus ita loqui: vt lib. 7. ep. 51. trado enim ſancto pectori tuo fratrem meum Seuerum. & epiſt. 105. oro vt in curam ſancti & fideliſſimi pectoris tui &c. Et exiſtimo Ennodium Ticinenſem ita ſcripſiſſe in epiſtola quadam ad Adnodatum: Vos ſalutationis meæ obſequia pro ſancti pectoris veſtri puritate ſuſcipite. At in excuſis libris perperam ſcriptum eſt: pro ſancti Prætoris veſtri. Quid enim hîc Prætor ſignificat? Eſt verò relligionis & amicitiæ ſedes in pectore. Annæus Seneca lib. 6. de benef. cap. 34. In pectore (ait) amicus, non in atrio quæritur. Illò recipiendus eſt: illic retinendus eſt, & in ſenſus recondendus. Idem etiã Symmachus lib. 4. ep. 42. noſtra charitas abdito pectorum recondatur: & epiſt. 60. qui ſciam in pectoribus ſedem eſſe relligionis. Idem lib. 10. ep. 25. dignum eſt igitur, vt qui in pectoribus omnium manet, ſit in ore plurimorum. *Sanctum pectus.* *Ennodius correctus.*

AD EPIST. LXXX.

Vt eius nomine dyptica & apophoreta. Sic puto legendum, non autem, vt eius homine dyptica: vt eſt in v.c. quibus in vocibus ſæpe erratum fuit: quod exemplis nouis probare poſſem, niſi in aliud ſcriptionis genus id differrem. Idem auctor lib. 5. epiſt. 54. ad te dypticum candidati, & apophoreticum librarum argenti duarum per hominem tuum miſimus, approbare cupientes editioni te noſtræ non animo defuiſſe: vbi tamen malim leg. non omnino defuiſſe. Et lib. 9. epiſt. 109. non aſpernabere vt æſtimo dyptici & apophoretici oblationem. Neque enim graue eſt verecũdiæ tuæ ſolemnia & votiua ſuſcipere. In hac autem voce dyptici error e- *Symmachus correctus.*

tiamnum hodie extat apud Prudentium, vt monuit Gifanius in Lucretiū. Nam libellum quo tetraſtichis nouum ac vetus teſtamentum ille complectitur, vocandum eſſe cenſet, dyptichum, quando in veteribus libris & in vita Prudentij apud Gennadium ſit, dittocheum, & chirotheum, quæ verba falſa videntur. Voluit enim poeta dyptichi nomine intelligi duplices tabellas noui ac veteris teſtamenti. De apophoretis ita diuus Ambroſius in exhorrat. ad virgines, ſtatim in principio. Qui ad conuiuium magnum inuitantur, apophoreta ſecum reportare conſueuerunt &c. Suetonius in Caligula cap. 55. Agitatori Cithico comeſſatione quadam in apophoretis vicies HS. contulit.

Prudentius.

AD EPIST. LXXXII.

Nubem inuidiæ. Sic lege. Nam & ea forma Symmachus lib. 7. ep. 75. dixit nubem iniuriæ tergere: Valerius lib. 3. nube infamiæ caſtitatem obſcurare: Paulinus epiſt. ad Seuerum curarum terreſtrium nube circundari: Caſſiodorus Var. 3. epiſt. 44. mendacij nubem: Virgilius 10. Æneid. belli nubem: & Paulus Oroſius lib. 5. cap. 24. belli nebulas in magna malorum nubila coituras.

AD EPIST. LXXXVI.

Partem pretij emptor abiurat. Ita v.c. & liber Frobennij: ſed exemplar Scotti legit, partem proteruus emptor abiurat, cui etiam conſentit codex Pithœi. Proteruum verò emptorem vocat, quem Valentinianus Nou. 10. de confir. his quæ adminiſt. improbum emptorem dicit, & l. damus C. Theod. de his quæ adminiſtra. illicitū ac deteſtandum, & l. vlt. eod. Cod. ne Chriſt. mancip. impiſſimum. Abiurare verò eſt rem creditam periurio negare: qua voce vtitur Virgilius 8. Æneid. Salluſtius, & Conſtantinus in l. 2. C. Theod. de bon. vacant. Et ſæpe Ennodius, apud quem tamen in epiſtola ad Conſtātium lego: Sui impugnator eſt, quiſquis elucubratis ſermonibus, linguæ cultum prędicat abiurari. Nam vulgò eſt, adiurari: perperam.

Ennodius correctus.

AD EPIST. LXXXVII.

Vt communia pignorum. v.c. legit, pignora: aliæ ſchedę, pignerum, quo verbo liberos intelligit, vt alias ſæpe. Agrætius de orthog. Pignora rerum ait, pignora filiorum & affectionum. Communia autem pignorum dixit loquendi modo ſibi familiari. Vide notas ad epiſt. 71. lib. 6.

NOTÆ AD LIB. III.

AD EPIST. 5.

Vbi eadem partium iura ſunt. Totum hunc locum ex fide v.c. ſuo nitori reſtitui: niſi quod ille habebat, iuſſa ſunt: ex quo effeci, iura ſunt: niſi quis malit, iuſta ſunt: vulgati codices hæc deprauata ſic exhibebant: Vbi eandem partium imaginem propoſitæ res poſtulant. Mitto &c. Exemplar Pith. Vbi eandem partes imaginem propoſitæ rei poſtulant. Sed lectio quam excudendam curaui longè aptior eſt. Idem auctor lib. 4. ep. 7. Sed vt imagine mihi vti liceat &c.

Et inania ſimulachra cauſarum. Proprium coniecturam ſecutus audacter ita repoſui. nam mēdum ſubetat in libris omnibus. Vetus codex habuit, & annia ſimulachra. Vulgati libri,& omnia ſimulachra: niſi fortè quis malit legere:& annua ſimulachra. Cauſarum autem ſimulachra vocat eodem ſchemate, quo ſimulachra vindemiæ celebrare dixit Cornelius Tacit.lib.11.Annal.& ſingraphas ac cautiones varia habendi ſimulachra, vmbráſque quaſdam auaritiæ laborantis Annæus Seneca lib.7.de benefic. cap.10.Sic M.Tullius lib.1.Offic.ſimulachra virtutis in hominibus ait eſſe, & lib.10.ep.1.ad Plancum,nec leges eſſe,nec iudicia, nec omnino ſimulachrum aliquod ac veſtigium ciuitatis.Plinius in Panegy. inaneis currus & falſa ſimulachra victoriæ. Capitolinus in Maxim.ſimulachra bellorum agere.& Ennodius in Panegyr.congreſſionis ſimulachro atteri ac figura certaminum.Et epiſt.ad Ioannem,dicendi ſimulachra meditari. Et ad Liberium, mutam charitatem,ingrati ſimulachrum repræſentare.Denique ad Senarium,odiorum ſimulachrum eſſe non aperire quod diligas, conteſtatione ſermonis. *Simulachra.*

Videro quæ. Ita rectè v.c.vulgò, video, malè. Nam ſic aliàs locutus eſt auctor:vt hoc lib.3.ep.5.Videro quæ tua futura ſit in referendo ſermone curatio:& lib.1.ep.1.quid facto opus ſit ipſe videris. Et lib.4. ep. 67. Videro quid iuſtitia temporum.Tullius 5.Philip.quid concupiſcas tu videris: quod concupiueris certè habebis.Et ad Atticum:Sed hoc fortuna viderit, quoniam conſilio vti non licet.Ennodius Eugenerti:videro vtrum diſpendium charitati inferat ſermo rarior. *Videro.*

AD EPIST. X.

Veſtis decenter induitur. Sic editio Frobénij.liber Pithœi, induta eſt.Sed in meo v.c.eſt,veſtis decēter indutui eſt. quod rectum eſt ac antiquū, cuiuſmodi locutiones ſunt in deliciis Symmacho, & aliis etiam auctoribus optimis.Nonius Marcellus lib.de gen. vel col. veſtim. Caſtulæ eſt palliolum præcinctui: Apuleius lib.2. Florid. habebat indutui ad corpus tunicam interulam. Et Cornelius Tacit.lib.16. dixit gerere veſtem indutui. Sic apud Ciceronem Tuſc.5.mihi amictui eſt Scythicum tegmen.

Videro quid. Ita v.c. vulgò, video: Vide notas ad epiſtolam 5. hoc lib.3.

AD EPIST XI.

Verborum ſtillat auro. Ex varietate lectionū, hæc animaduerſione dignior eſt,quam repperi in v.c.verborū ſtellatur auro.Eleganter ſanè, & auſim Iouem lapidem iurare ita auctorem ſcripſiſſe. Nec eius generis exempla deſunt.Nam & Plinius lib.10.cap.67.Salamandram animal lacerti figura ſtellatum vocat:& lib.31.cap.2.fontem bullis ſtellantē.Ouid. lib. 1. Meta. ſtellantes gemmas.Martia.lib.2.Epig.29.ſtellantem frontē.Sic Trebellius Pollio in Gallienis duobus,auratos conſtellatóſque balteos nuncupat,id eſt inſignitos veluti ſtellis. Ammianus Marcellinus initio lib.19.vniuerſa, ait,quæ poterant videri armis ſtellantibus coruſcabant.Marius Victor.lib. 3.in Geneſim: *Stellare.*

--- Siccóque liquore
Diſpenſata ſuis ſtellant incendia tectis.

Sic enim legendum eſt. Sed & Virgilius lib. 4. Æneid. ſtellantem iaſpide fulua enſem dixit, pro vagina ſcilicet gladij gemmata. Nam ita ille locus accipiendus eſt. Ex quo pendet interpretatio horum verſuum apud Iuuenalem Saty. 10.

---gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vagina fronte ſolebat
Ponere Zelotypo iuuenis prælatus Hyarba.

Stellatum præterea Cepheum ait Tullius 5. Tuſc. pro inter ſydera relatũ.

AD EPIST. XII.

Segmentata que. *Tulliano ſegmentata auro.* Ita diſertè v.c. ſegmentatæ id eſt, variegatæ & diſtinctæ. Symmachus lib. 4. ep. 42. alba velamina non ſegmentati amictus fidem veſtiant. Iuuenalis Saty. 2.

Segmenta & longos habitus & flammea ſumit. Et Saty. 6.
Et ſegmentatis dormiſſet paruula cunis.

Arator poëta de habitu pontificis in Exodo præſcripto:

Quis ſegmentatus mediis altaribus adſtat.

Valerius Max. lib. 5. cap. 2. permiſit quoque his purpurea veſte & aureis vti ſegmentis. Ouidius:

Quid de veſte loquar, iam non ſegmenta requiro.

Apud Sidonium Apollin. lib. 8. ep. 6. crepitantia ſegmenta legimus. Et quidem Iſidorus in ethimologiarum libris, ſegmentatam veſtem definit, quæ ſit zonis quibuſdam & quaſi præciſamentis ornatam. Vide Turnebum aduerſ. lib. 4. cap. 23. & lib. 15. cap. 17.

Noſtrum ſeuis aſſa temporis Spoletium dato. Sic v.c. non tamen ſine ſuſpicione mendi.

AD EPIST. XIII.

Dum epigrammata componis, fallitur. v.c. ſic habet, dum epigrammata oblatis lucis aut omnibus facis, fallitur &c. Quæ ſcriptura mouet me, vt reponendum exiſtimem: oblatis lucis aut numinibus facis. Nam & video Plinium coniungere relligionem lucorum atque numinum, in Paneg. Atque inter hæc (ait) pia mente adire lucos, & occurſare numinibus. Vetus etiam poëta.

Tu fortè in luco lentus vaga carmina gignis.

AD EPIST. XXI.

Fieri amat. *Siquidem ſemper fieri amat vt.* Ita v. c. vulgò, quod ſiquidem ſemper fieri amat, habitum &c. Malè in quibuſdam ſchedis, quod ſi quidam ſemper ferè amat. Dixit enim fieri amat, vt lib. 6. ep. 66. quæ vt fieri amat in maius præſentia nunciauit. Ea loquendi ratio ducta eſt à Græcis, qui φιλεῖ γενέσθαι, id eſt fieri amat, pro ſolet fieri vſurpant. Nec exemplis optimorum auctorum id caret. Auſonius in Paneg. ſtatim in princ. Gratias ago (ait)

verùm ita vt apud Deum fieri amat, ſentiendo copioſius quàm loquendo. Ammianus Marcell. lib. 16. vtque in rebus amat fieri dubiis, eoſdem leniùs increpans Cæſar, Quo, inquit, cedimus viri fortiſſimi? An ignoratis fugam, quæ ſalutem nunquam reperit, irriti conatus ſtultitiam indicare? Idem lib. 17. in princ. vt enim rebus amat fieri dubiis & turbatis &c. Prudentius.

Duplex lege mea per mutua fœdera ſexus
Gignere amat ſobolem.

Vt habitum mentis de amicorum ore ducamus. Hæc eſt recta ſcriptura v.c. In vulgatis antea libris erat, de amico rumore. Nam & ſi veriſſimum ſit animos malo nuncio conſternari, & contrà læto recreati, vt auctor noſter lib. 3. ep. 45. Quid præclarius fama, cùm lætis nunciis rigat aures & mentes bonorum? Et Sidonius Apollinaris lib. 4. ep. 12. naufragioſo pelago (ait) conformis eſt motus animorum quippe cùm nunciorum turbinibus aduerſis quaſi propria tempeſtate confunditur. Sed tamen illa propriè huic loco non conueniunt. Nam innuit Symmachus amicos ex habitu vultus & oris, mutuis adfici affectibus: quia nimirum oculi, frons & ſupercilia ſermonis taciti vice fungantur. Vultu (ait Fabius lib. 11. cap. 3.) plurima intelligimus, hícque ſæpe eſt pro verbis omnibus. Sed & idem Symmachus ſuprà lib. 1. ep. 28. ſcripſit mollem eſſe animum diligentis, & ad omnem ſenſum doloris argutum, quia vultu pietas lædatur, vt & dixit Tullius orat. pro Sexto Roſcio Amer. Paulinus optimis verſibus ad Auſonium ſcribens hanc ſententiam complectitur, qui verbis auctoris lucem adferunt: *Vultu pietas læditur.*

Cura mihi ſemper fuit, & manet officiis te
Omnibus excolere, affectu obſeruare fideli.
Non vnquam tenuis ſaltem tua gratia næuo
Commaculata mihi eſt, ipſo te lædere vultu
Semper, & incauta timui violare figura.
Cùmque tua acceſſi venerans, mea cautius ora
Compoſui, & læto formaui lumine frontem,
Ne qua vel à tacito contractam pectore nubem
Duceret in ſanctum ſuſpicio falſa parentem.

AD EPIST. XXIII.

Et multimodis. Ita fuit ſcriptum in v.c. & libro Pith. ſed vulgò erat, multis modis: quæ antiqua ſcribendi ratio, ferè ſemper immutata fuit à typographis. Lucretius lib. 4.

Multimodis igitur prauas turpéſque videmus
Eſſe in delitiis, ſummóque in honore vigere.

Plautus in Bacch. multimodis meditatus egomet mecum ſum, & ita eſſe arbitror. Cornelius etiam Nepos in vita Themiſtocl. de cuius morte multimodis apud pleroſque ſcriptum eſt. Hoc quidem leue eſt: ſed qui in minutiis impunè fallere nos cœperunt, in ſeriis decipere non verebuntur. Facilè enim qui vitulum tulit, bouem feret.

Qua calce & prelo. Totum hunc locum ſuppleui & auxi ope v.c. Nam vulgò imperfecta ſententia circunferebatur: in eodem tamen v.c. malè tarpetis, ſcriptum fuit, pro trapetis. Idque emendaueram, cùm poſtea confirmatum vidi ſchedis Pithœanis, quæ habuerunt: trapetis teritur bacca Sicyoniis. Nam proculdubio habuit auctor in mẽte verſum Maronis lib. 2. Georg. in fine:

Trapeta.

Venit hiems: teritur Sicyonia bacca trapetis.

Vbi Seruius, trapeta, interpretatur molas oliuarias & generis neutrius eſſe ait. In veteri tamẽ lexico ita tamen ſcriptum legi: Trapetum mola eſt oliuaria: trapetæ molæ oliuariæ. hac voce vtitur Cato lib. de re ruſt. cap. 145. & Varro de re ruſt. lib. 1. cap. 55. Columella lib. 12. cap. 50. Sed & Iuriſconſultus in l. ſed addes. D. locati: trapeti funibus ſuſpenſi meminit.

Veſtigia, odora canum ſagacitate. Ita liber Frobennij, ſed v.c. & Scotti exemplar habent & diſpungunt hoc modo: veſtigia odorata, canum ſagacitate.

Forenſes rabulas v.c. rauolas, quo nomine ſignificari litigioſos togatos notum eſt ex Feſto, Cicerone, Fabio, & Nonio.

Vt feriarum reliquia. Paulo aliter hæc concepta ſunt in v.c. eo modo ſcilicet: vt feriarum requie laboris faſtidium tergeatur. Nec ego eam ſcripturam reiicio, quia feriæ ocij gratia concedebantur. Seneca lib. de tranq. vitæ 1. cap. vlt. Legum conditores (ait) feſtos inſtituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tanquam neceſſarium laboribus interponentes temperamentum.

AD EPIST. XXIIII.

Pollucibiliter.

Quòd fortunæ tuæ pollucibiliter floruerunt. Ita rectè v.c. vulgò hæc ſic concepta erant, quòd fortunæ bona floruerunt: reiecta voce, pollucibiliter: quia vt opinor inſolens & noua videretur. O ſuaues librarij! Quas enim veneres non aſſequuntur tarditate ingenij, mera eſſe monſtra credunt. Symmachus lib. 6. ep. 72. vt vobis pollucibilem victum vtriuſque elemẽti miniſtret opulentia. Plautus in Comœdia Epidici: bibite pergræcamini pollucibiliter. Tertullianus lib. aduerſus Phyſicos in fine: quis ſanctior inter vos niſi conuiuandi frequentior, niſi obſonandi pollucibilior, niſi calicibus inſtructior? Apud Macrobium lib. 3. Satur. cap. 17. pollucibiles cœnas dici legimus, id eſt egregias & ſplendidas.

AD EPIST. XXV.

Remunerandum me de Galatia polliceris. Ita v.c. vt etiam liber Scotti. Vulgò in editione Frobennij erat: me de audacia polliceris, ſed corruptè. Quid verò Galatiæ nomine deſignet, dubium eſt: recipit quidem hoc varias cõiecturas. Nam poteſt legi: de Calantica, quod eſt tegmen muliebre Nonio. Poteſt & legi, Calatia: quam vetus lexicum gemmam eſſe ſcribit candidam & frigidam, duritiáque inuicta adamantis inſtar, adeò vt in ignem coniecta caleſcere nequeat.

Calatia.

AD EPIST. XXXIX.

Medendi artem morbi. videtur legendum eſſe potius,morbo.quibus verbis facetè ludit in medicos,qui ita ſæpe ſuis formulis ægrotos alligant,vt ab earum præſcripto ſuperſtitioſè pendere, pœna ſit ipſo morbo acerbior.

AD EPIST. XL.

Eſſe principium. Ita vulgò,vt etiam v. c. in quo tamen fuit adnotatum aliàs legi,præcipuum: ſed id ineptè. Nam agere voluit de exordiis epiſtolarum,quibus ſolebant veteres crebrò nunciare,ſeſe rectè valere. Plinius lib. 1. epiſt. 11.Olim nullas mihi epiſtolas mittis. Nihil eſt, inquit, quod ſcribã.at hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas, vel ſolùm illud vnde priores incipere ſolebant. Si vales bene eſt,ego valeo. Hoc mihi ſufficit:eſt enim maximum. Annæus Seneca lib.2.epiſt.15.Mos fuit antiquis, vſque ad meam ſeruatus ætatem, primis epiſtolis verbis adiicere, Si vales,bene eſt, ego valeo. Rectè & nos dicimus. Si philoſopharis, bene eſt. Valere enim hoc demum eſt. Sine hoc æger eſt animus &c. *Exordia epiſtolarum.*

AD EPIST. XLII.

Denuo litterarum &c. Hæc epiſtola licèt paucis verbis concluſa, multis tamen næuis deformata fuit. Quòd verò de debitore bonæ fidei hic dicit,habet eam rationem,quia contractus fidei bonæ exigit, ne debitor moras nectat,néve fruſtretur.Apud Ammianũ Marcel.lib.25.paulo poſt principium Iulianus ita ſuos alloquitur. Aduenit,ô ſocij,nunc abeundi tempus è vita impendio tempeſtiuum, quam repoſcenti naturæ debitor bonæ fidei redditurus exſulto:non vt quidam opinãtur adflictus & mœrens,philoſophorum ſententia generali pèrdoctus quantùm corpore ſit beatior animus,& contemplans quoties conditio melior à deteriore ſecernitur,lætandum potius eſſe quàm dolendum. Tranquillus in Auguſto cap.42. Eidem populo promiſſum quidem congiarium repoſcenti, bonæfidei ſe eſſe reſpondit. Eodem ſenſu illud etiam Senecæ exaudire oportet,cùm in proœmio declamationũ,de viribus ſuæ memoriæ agẽs: Nec ad complectenda tãtùm(ait)quæ vellem velox erat mihi memoria, ſed etiam ad continenda quæ acceperat fida. Nũc autem & ætate quaſſata,& longa deſidia quę iuuenilem quoque animum diſſoluit,eò perducta eſt,vt etiam ſi poſſit aliquid præſtare, tamen aliquid promittere non poſſit,& diu ab illa nihil repetiui. Solebat bonæ fidei eſſe. Ergo cùm bonæ fidei debitor nullo modo ſolutionem differre,conſtitutum eſt iure ciuili,vt in illo contractu veniant vſuræ & fructus à tempore moræ l.videamus 11.§.ſi actionem,& l.mora §.in bonæ fidei D.de vſur. *Bonæ fidei debitor.*

Vacare non patior. Ita cum negatione ſcripſi ex v.c. vulgò enim deerat.

*Vt indicia &c.*Partim coniecturam,partim veſtigia vtriuſque ſcripturæ ſecutus ita repoſui.Sic infrà lib.5.epiſt.41. vt quod ex meis actibus voluptatis accipies,tuorũ mutua inſinuatione cõpẽſes. Vulgata lectio hæc fuit. Hoc autem mihi ſolùm præſtabis, vt indicia proſperorum quæ de me accipies, tuorum bonorum voluntate capeſſas. Vetus autem ha-

bebat. Hoc autem mihi ſolum præſtabit iſte contractus: vt in iudicio proſperorum quæ de me accipis, tuorum bonorum voluntaté cōpenſes.

AD EPIST. XLIII.

In meo ære duco. Fuit hæc lectio v.c. cuius loco perperam excuſi libri habuerunt, in me reduco. Symmachus lib.1. epiſt.31. meritò proceſſus tuos in meo ære duco. Et lib.5. epiſt.47. quam ſcio apud te pro magno ære cenſeri. Et lib.8.ep.16. receptúmque eſſe in familiam tuam Auxentiū filium noſtrum lectiſſimum iuuenem in meo ære duco. Sidonius Apollinaris lib.5.ep.9. in meo ære duco vir omnium virtutum capaciſſime. M. Tullius lib.13.ep.fam epiſt.63. Sic in animo habui te in meo ære eſſe propter Lamiæ noſtri coniunctionem. Idem lib.15.ep.14. Multi enim anni ſunt, cùm ille in meo ære eſt, & à me diligitur. Nō eſt igitur dubium quin vetus lectio certa ſit.

Bonis ſemper oneroſa. Nam & ſi. Ita v.c. vulgò deprauatè legitur, bonis oneroſa, manet ſi dignòs.

Habes ſæculum virtuti amicum. Sic repoſui ex fide v.c. & libri Pithœani. Nā vitioſè antea legebatur. Habemus dominum virtuti amicum. Etenim proculdubio id ad fœlicitatem ſæculi & tēporis ſui referri voluit, de qua aliquid dixi in notis ad ep.57. lib.1. Eodem ſenſu lib.10. epiſt.15. dixit. Facite vt omnes intelligāt, ſi fortè deſit rectoribus integer vigor & iuſta cōſciētia, hominis culpá eſſe nō ſeculi. Plini⁹ etiá nō valdè diſſimilia protulit in Paneg. de ſui ſæculi felicitate agēs: Salua eſt omnib⁹ vita (ait) & dignitas vitæ. Nec iam cōſideratus ac ſapiens qui ætatem in tenebris agit. Eadem quippe ſub Principe virtutibus præmia, quæ in libertate, nec benefactis tantùm ex conſcientiá merces, ſed etiam præmia ſunt &c. Theodahadus apud Caſſiodor. lib.10. Var. epiſt.11. Accuſarentur ſæcula, ſi talis potuiſſet latere familia. Et Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio dicto. Enimuero (ait) cùm leuiter cognitos, aut etiam ſimul viſos iis honoribus ditas, quibus & amici poſſent eſſe contenti, nonne omnibus vis probare amicum tibi eſſe, qui bonus ſit? cuicunque quid publicè mandatum fuerit officij, præmium ſpondetur & redditur. Sibi humilitatem & tenebras ſuas imputet iacens virtus, quæ non obtulit ſe probandá. Quod conſcientiæ tuæ ſufficit, honoratus eſt, qui probatus.

AD EPIST. XLIIII.

Concedo in leges tuas, & ἀρχαϊσμὸν ſcribendi non inuitus affecto. Sic reſtitui hunc locum ex fide & veſtigiis ſcripturæ veteris libri. Nam editio Frobennij mendoſè legebat: Concedo in leges tuas ſcribendi non inuito affectu. In libro autem Scotti erat: Concedo in leges tuas laxiter ſcribēdi non inuito affectu. Nec verò hac tantùm parte turpiter peccatum fuit, verumetiam in illis vulgatis editionibus huius elegantis epiſtolæ partes, tanquam Penthei membra, diſſectæ & ſparſæ fuerant. Deinde vt error ex errore naſcitur, temerè epiſtola 51. huius lib.3. aſſuta circumferebatur. Quæ omnia tam aptè inter ſe conueniebant, quàm Horatiana

mulier,quæ ſupernè formoſa in atrum piſcem deſinebat. Sed nos ſecuti veteris codicis optimi lucem, tam opacas tenebras diſcuſſimus.

Quibus Salij canunt. Rectè ſic v.c.vulgò,quibus alij canunt. Alludit verò ad Saliorum carmina,in quibus antiquæ voces & ab vſu populi remotæ continebantur.

Et augures autem conſulunt. Sic v.c.& Liber Pith.vulgò & aues. De auguribus poſſent multa hîc dici ex veterum monumentis. Sed tantùm de auguralibus auibus aliquot locos notabo. Ammianus Marcell. lib.15. Athanaſium Epiſcopum(ait)eo tempore apud Alexandriam vltrà profeſſionem altiùs ſe efferentem,ſciſcitaríque conatum externa, vt prodidêre rumores aſſidui,cœtus in vnum quæſitus eiuſdem loci multorum(Synodus vt appellant)remouit à ſacramēto quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum ſortium fidem,quæve augurales portenderent alites, ſcientiſſimè callens aliquoties prædixiſſe futura. Sic ille. Quibus adiungēdum eſt quod de eodem Athanaſio refert Sozomenus lib.4.cap.10. hiſt. eccleſ. Idem Ammianus Marcell.lib.28. circa principium de Maximino vicario Præfecturæ agens: Recalebant in auribus eius (inquit) parentis effata,quid augurales alites vel cantus monerent oſcinum adprimè callentis,adúſque ſublimia regimenta venturum, ſed periturum ferro pœnali. Sic enim ibi videtur eſſe legendum. Ceterùm Plinius lib.28. cap.2. ſcribit in augurum diſciplina conſtare,neque diras aues, neque vlla auſpicia pertinere ad eos,qui quamque rem ingredientes obſeruaſſe ſe ea negauerint. *Augurales aues.*

In verba redeamus priſca. Suetonius in Aug.cap.86. refert Auguſtum magno ſtudio reconditorum verborū fœtores,vt loquebatur,vitaſſe,eúmq; Tiberio non pepercisse,exoletas & reconditas voces aucupanti. Annæus Seneca lib.20.ep.115. Multi (ait)ex alieno ſęculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur. Gracchus illis, Craſſus, & Curio nimis culti & recentes ſunt. Ad Appium vſque & Coruncanum redeunt. Quidam contrà dum nihil niſi tritum & vſitatum volunt,in ſordes incidunt &c. Sed & apud A. Gellium lib.1. cap.10. Phauorinus vitio vertit adoleſcenti voces priſcas & ignotiſſimas in quotidianis ſermonibus exprométi,quaſi cum Euandri matre loqueretur. Demum admonet loquendum verbis præſentibus,viuendum moribus pręteritis. Apud eundem lib.16.cap.10. refertur verbum cuiuſdam Iuriſconſulti,à quo cùm Gellius peteret quid ſibi vellet,proletarius(quæ vox deducta erat è duodecim tabulis) reſpondit(quomodo etiam hodie plures eiuſdem farinæ, quibus ſordium odor quàm politioris litteraturæ gratior eſt)ſeſe ius Faunorum & Aborigenū non didiciſſe, ſéque tantùm præſtare debere legum ac vocum earum ſcientiam, quibus ſua vteretur ætas. *Verborū priſcorum ſtudia.*

Præfabimur. al. præfamur. Seruius in illud Æneid. lib.11.

Præfatus diuos ſolio rex infit ab alto.

More antiquo(ait) Nā maiores nullā orationē niſi inuocatis numinibus inchoabāt. Sicut ſūt oēs orationes Catonis & Gracchi. nā generale caput *Precationes in orationibus veterum.*

in omnibus legimus. Vnde per irriſionem ait Cicero, ſi quid ex vetere aliqua oratione, Iouem ego optimum maximum. Ita ille, quæ etiam repetit lib. 7. Æneid. in illud:

--- dij cœpta ſecundent.

Cornificius lib. 4. ad Herennium: Cùm Gracchus deos inciperet precari, curſim iſti impetum faciunt. Id eſt cùm inciperet concionari. Valerius Max. lib. 1. in præfatione ad Valentinianum. Nam ſi priſci oratores ab Ioue Opt. Max. bene orſi ſunt, ſi excellentiſſimi vates à numine aliquo principia traxerunt &c. addatur his etiam locus Plinij, qui in Panegyrico ſtatim in princ. Beue ac ſapienter P. C. ait, maiores inſtituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus caperetur: quòd nihil ritè, nihilque prouidenter homines ſine deorum immortaliũ ope, conſilio, honore auſpicarentur. Et Titus Liuius lib. 1. bonis potius ominibus, votiſque ac precationibus deorum dearúmque, ſi vt poëtis, nobis quoque mos eſſet, libẽtius inciperemus: vt orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent.

Herbã dare. *Atque herbam dederim.* Fuit hæc recta lectio v. c. Quod ſuaues librarij interpollarant hoc modo: atque verba dederim, ſenſu præpoſtero. Quod ego non valdè miror, qui ſciam nihil aliud eos in animo habuiſſe, quàm vt nobis egregiè verba darent. Quod etiam effecere lib. 7. ep. 61. Nam vbi legendum fuit ex v. c. quibus ego veluti herbam porrigens, cũ veniæ petitione reſpondeo: ſcripſerant, veluti herba moriens cum veniæ &c. Sed ego intrepidè venuſtum & eruditum prouerbium ſuo auctori reſtitui, reiectis prioribus ineptiis. Rogo te verò candide lector, num illi falſi crimen admittant, qui in bonis libris aliquid temerè mutant & affingunt? Sanè lege Cornelia, potius quàm inani quæſtu, acriter caſtigandi ſunt. Porrò ſcitum eſt illud prouerbium, de quo ita Nonius. Herbam veteres palmam vel victoriam dici voluerunt. Virgil. Georg. lib. 3.

--- atque immemor herbæ
Victor equus. ---

Feſtus Pompeius. Herbam do, cùm ait Plautus, ſignificat victum me fateor, quod eſt antiquæ & paſtoralis vitæ indicium. Nam qui in prato curſu aut viribus contendebant, cùm ſuperati erant ex eo ſolo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduerſario tradebant. Ad quem Feſti locum acutiſſimus & eruditiſſimus Scaliger notat neminem potuiſſe dici victorem, ni prius quem viciſſet, ſe victum fateretur, victorémque agnoſceret, citátque ex fragmentis Seruij verſum Ennij

Qui vicit, non eſt victor, niſi victus fatetur.

Plinius lib. 8. cap. 5. de intellectu Elephantorum agens: namque pudor eſt, ait, victúſque vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit. Idẽ lib. 22. cap. 4. de corona graminea: dabatur hæc viridi è gramine decerpto, inde vbi obſeſſos ſeruaſſet aliquis. Namque ſummum apud antiquos victoriæ ſignum erat herbam porrigere victos. Hoc eſt terra & altrice ipſa humo & humatione etiam cedere. Exiſtimo præterea huc pertinere

tinere verba Iſidori lib.10. Ethymol.Peruicax,ait,propriè dicitur qui in propoſito ſuo ad victoriam perſeuerat. antiqui enim viciam dicebant, quam nos victoriam. Credo quòd inde dicatur herba vicia,id eſt victorialis.

AD EPIST. XLVI.

Aſsiduitas remedium facit. Sic vulgò.Sed v. c. habet paulo aliter, aſſiduitas medicinam facit: quo modo aliàs auctor loquitur,vt lib.9.ep.84. deſiderio meo facturis medicinam putaui.Et lib.10.ep.2.vt cùm Reipublicæ medicinam facis.Tullius etiam lib.14.epiſt.famil.ep.7. Ita ſum leuatus,vt mihi aliquis Deus medicinam feciſſe videatur. *Remedium facere.*

Indulgentius vtere. ſic vulgò,vetus codex habet aburere.

AD EPIST. XLVIII.

Superuacanei laboris eſt. Sic editio Frobennij. Sed liber Scotti habet,ſuperforanei laboris eſt:quod poſtremum etiam confirmatum reppeti auctoritate veteris codicis noſtri.Cur verò id ſit immutatum, neſcio, niſi quod inſolens vox viſa fuerit,qua tamen alij auctores vſi ſunt. Sidonius Apolli.lib.4. ep.11.Super his plura replicare ſuperforaneum ſtatuo. Ennodius ad Olybrium: Nunc confiteor,in litteris veſtris ſuperforaneam cautionem mei æſtimator expaui.

Vt intelligat iſtam. Integram hanc ſententiam repoſui ex v. c. nec dubitare quis poterit, quin ſententia ſit argutior. In vulgatis autem libris ſic hæc concepta erant: Vt intelligat hinc honori ſuo aliquid acceſſiſſe.

AD EPIST. LV.

Te diſcedente. v.c.deſcendente: niſi quis malit, decedente.Sed & paulò pòſt videtur ſcribendum, adhibitis alieni ſoli copiis. Nam in eod.v.c. eſt,indebitis. Copias autem vocat alimenta & annonas: vt in l.4.C. Theod.de oper.pub.in l.20.d.de compenſat.apud Valerium lib.5. cap.1. & Caſſiodorum Var. lib.6.in form.18. Præfecti Annonæ. Inde copiari magno commeatu prædáque ingenti apud A.Gellium lib.17.cap.2. & Nonium Marcellum,quod verbum caſtrenſe eſt, nec facilè apud alios reppetitur. Macedonicorum autem cōmeatuum idem Symmachus meminit lib.3.ep.82. *Copia.*

Ad ſalutem publicam genitus Imperator. Sic legendum eſt. Idem auctor lib.10.ep.28.vocat principes defenſores publicæ ſalutis: & ep.22. eiuſdē lib.10.publicos parentes, & ep.36.parentes generis humani. Sic apud Caſſiodorum Var.lib.4.ep.42.Theodericus rex ſeſe parentem publicum eſſe aſſerit. Et aliquoties in vetuſtiſſimis memoriis principes dicuntur eſſe nati bono Reipublicæ, quemadmodum docui in notis ad epiſt.43. lib.1.Seneca lib 1.de clem.cap.4.vocat Principes & reges tutores ſtatus publici.& addit ita ſe induiſſe Reipublicæ Cæſarem,vt deduci alterum non poſſit,ſine vtriuſque pernicie.Nam vt illi viribus opus eſt, ita huic capite.Ammianus Marcellinus lib.14.in principio, ſcribit à ſalute Principis velut filo pendere ſtatum terrarum orbis. Et lib.29. ait nihil eſſe aliud imperium, niſi curam ſalutis alienæ. Et lib.30. in fine iuſti *Publico bono natus Imperator.*

imperij finem eſſe vtilitatem obedientium & ſalutem. Denique idem in extremo lib.19.profitetur disertè ſalutem legitimi Principis propugnatoris bonorum & defenſoris,vnde ſalus quæritur aliis, conſociato ſtudio debere muniri cunctorum, cuius redimendæ cauſa à quæſtionibus vel cruentis nullam Corneliæ leges exemere fortunam. Quæ poſtrema verba pertinent ad l.4.C.ad leg.Iul. maieſt. Sed & Paulus in l.3. d.de offic.Præf.vigil.ait ſalutem Reipublicæ tueri nulli magis conuenire,nec alium ſufficere ei rei quàm Cæſarem. Quamobrem non abs re Chriſtiani orabant pro magiſtratibus, principibúſque etiam paganis, vt docet Tertullianus in Apolog.& Arnobius lib.4. in fine. Salus enim Principis priuatorum ſalus eſt.

Æterna vrbs quæ. *Quid æternæ vrbi.* Sic ſcripſi, cum in v. c.eſſet ternæ vrbi, ſpatio tamen vacuo relicto litteræ. Intelligit enim Romam quam æternam appellare ſolet idem auctor lib. 10.& ſæpe Ammianus Marcellinus lib.15. & 19. & innumeræ conſtitutiones Principum.Inde proculdubio lux adferenda eſt verbis Diui Proſperi Aquitanici Epiſcopi Regienſis, cùm in dimidio temporis cap.7.ita ſcribit.Quis autem non intelligat,quam dicat ferentem poculum plenum exſecrationibus immunditiæ, & fornicationis totius terræ?Æterna cùm dicitur,quæ têporalis eſt,vtiq; nomê eſt blaſphemiæ &c.Animaduerti etiam Imperatores Romam appellaſſe vrbem

Æternabilis. ęternabilem in l.3.C.Theod.de conlar.donatio.eo ſcilicet exemplo,quo æternabilem domum ſuam vocant in l.5.eod.Cod. Theod. tit. de locat. fundor. & genitabile tempus cæli terræque Varro lib.4. de ling.lat. & ociû voluptabile eſſe hominibus ſedatis & placidis Ammianus Marcell. lib.23.& lib.31.Auſonius:

Ignota æternæ ne ſint tibi tempora Romæ.

Fuit hoc delirium Romanorum,vt numquam imperium deſiturum ſibi fingerent, vnde apud Maronem Iuppiter:

His ego nec metas rerum,nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.---

Et tamen verum eſt quod ait Titus Liuius lib.2. Dec.1.id vnum ſcilicet venenum,eámque labem ciuitatibus opulentis repertam, vt magna imperia mortalia eſſent.Illud præterea adnotare iuuat,vrbem Côſtantinopolim,æternam dictam eſſe Nou.3.de præd.ciuit.omni. illis verbis:& præcipuè huius æternæ vrbis,cui maiorem debemus fauorem. Nam ea Nouella data fuit Conſtantinopoli,vt ſubſcriptio coarguit. Cui rei ea eſt ratio,quia Conſtantinopolis noua Roma dicta eſt teſte Socrate hiſt. eccl.lib.5.cap.8.& aliis locis pluribus concilij Conſtantinopolitani primi.Roma autem vt dea celebatur, vrbíſque Romæ templum fuiſſe Romæ refert Ammianus Marcell.lib.16. Spartianus in Hadriano & Prudentius lib.1.in Symmach.& Cornelius Tacitus lib.14. Sed de ceteris elogiis vrbi Romæ tributis,aliàs dicere eſt animus.Nolo enim notarum terminos excedere.

AD EPIST. LXXII.

Eſt autem ſequeſter ſermonis mei fœlix. Ita optimè v.c.quo modo loquitur lib.4.ep.12. Nunc euentus optabilis veterum morum ſequeſtrem ſcriptis meis præſtitit. At vulgò hîc legebatur: Eſt autem ſermonis mei frequentator fœlix. *Sequeſter.*

AD EPIST. LXXIII.

Infortunio proſcriptionis. Sic v.c. vulgò malè, præſcriptionis. Symmachus autem infortunium proſcriptionis dixit, quod incommodo proſcriptionis ingemiſcere Ennodius in Panegyrico, & quod l.1.C. Theod. ne ſine iuſ. Princ. triſtem vocat proſcriptionis tempeſtatem, & ſtilum proſcriptionis incurrere vel excipere l.7. & 15.eod. Cod. Theod. de bon. proſcript. & l.57.eodem tit. de hęret. & l.vlt.eod. ne ſanct.bap. & Nouella Valent. de ſepulch. quomodo etiam Seneca lib.1.de clem.cap.14. dixit ad ſtilum decretorium accedere. Tullius pro Cluētio cenſorium ſtilum vocat. & etiam Latinus Pacatus in Paneg. ſcribit tyranni ſtilum & gladium temeri. *Proſcriptio.*

AD EPIST. LXXIIII.

Tamen in hoc. Ita v.c. & vulgati libri. malim legere tametſi in hoc.

Ex noſtris oris deſiderare promptuario. Sic v.c. vulgò, ex noſtri moris. Sed id ferri non poteſt. Noſter auctor lib.1.ep. 88. quorum victorias (ait) ex mei oris promptuario Senatus audiuit. Et lib.9. ep.67. vt ornatiſſimæ linguæ tuæ promptuario numquam deſit materia talium nunciorum. *Promptuariū oris.*

Quid tibi inter rauca cornua eorum ſtrepitus blandiatur? Sic habebat v.c. & vulgati libri. Nec diſſimulabo locum hunc ita conceptum eſſe in codice Pith. Quid tibi raucorum cornuum ſtrepitus blandiatur. At ego auſim omni pignore contendere reponendum eſſe. Quid tibi inter rauca cornua coruorum ſtrepitus blandiatur? Senſus eſt. Quid tibi inter media cornua, & caſtra verſanti, lenocinari poſſit oratio mea tam incōcinna & illepida quàm coruorum crocitantium ſtrepitus? Nam ſanè per rauca cornua tubas intelligit, quarum frequens vſus in exercitu. Hincq; colligimus Protadium, cùm hæc ſcriberentur, in caſtris verſatum fuiſſe. Inelegantem verò ſcriptorem coruo comparari non eſt nouum; cùm Perſius in anteloquio ſatyrarum, poetas coruos, & poetridas picas cantaturas dicat melos Pegaſeium, ſi modò illis ſpes nummi refulſerit. Quo modo etiam Symmachus lib.1.ep.1. ſeipſum anſeri, patrem olori canoro parem fingit. Sic quidem ſentio. Quod ſi quis acutior vetiora protulerit, non inuitus illi herbam porrigam.

Muſicæ facundiæ. Id eſt peritiæ & elegantiæ litteratæ. quo exemplo Terētius in prologo Heaut. & Hecy. muſicæ ſtudium & artem muſicam tractare dixit, id eſt dare operam comœdiis componendis. Sic Sidonius Apollin. lib. 3. epiſt. 13. vocat muſicas inferias, Epitaphium verſibus ſcriptum: & lib. 4. epiſt. 3. Athenas Atticas appellat

muſasque muſicas.Ennodius in epiſtolis ait muſico ſtylo gaudia ſua decere.Et veius poeta inter argutos latices & muſica labra Pierio nectare mentem perfundere.Caſſiodorus in compendio muſicæ. Muſicam(ait) Clemens Alexandrinus à muſis nomen habere æſtimat, ídque non abs re.quis enim neſcit ob id à veteribus dictos ἀμύσους,quòd non modò à muſica,verùm ab omni muſarum commercio alieni qui eſſent, hoc nomine tanquam probro notarentur? Hæc ille.quæ poſtrema verba non extant in eius integro libro de muſica, nuper cum Variarum libris excuſo.

NOTÆ AD LIB. IIII.

AD EPIST. IIII.

Poſt rei damnationem. Putaui me ſic rectè emendaſſe reiecta lectione v.c. habentis,poſt rei dominationem,vitioſè quidem vt videtur. Nam voluit auctor innuere dominatum fuiſſe Gildonem.Cuius hiſtoriam petere oportet ex Claudiano lib.de bello Gildon. Paulo Vuarnefrido hiſt. miſc. lib.13.& Oroſio lib.vlt.Extant præterea aliquot leges in Cod. Theodoſ. quæ oſtendunt Gildonis,eiúſque ſatellitum bona ad ærarium Principis deuoluta fuiſſe, nimirum l.7. & 9.de metatis, & l.16.& 19. de bon.proſcript.Atque inde eſt quòd Gildonici patrimonij Comitem legimus in notitia Imperij Romani.

Gildo.

AD EPIST. XIIII.

Vt cœpti fœlicis auſpicium à parente publico ſumeretur. Hæc ſcriptura leui mendo contaminata fuerat in v.c. habebat enim duſpicium, quod in auſpicium commutaui. Alludit verò ad conſuetudinem antiquorum, qui auſpices in nuptiis adhibebant. Vnde idem lib.6.epiſt.3.Sororem Pompeiam olim viro maritam te auſpice in manum optat accipere. Valerius lib. 2. cap. 1.Apud antiquos non ſolùm publicè,ſed etiam priuatim nihil gerebatur niſi auſpicio prius ſumpto: quo ex more nuptiis etiam nunc auſpices interponuntur &c. Tullius pro Cluentio. Nubit genero ſocrus, nullis auſpicibus,nullis auctoribus, funeſtis ominibus omnium.Quintilianus decl.291. Iſtud ego adulterium quondam manu mea vinxi, & auſpices adhibui. Cornelius Tacitus lib.15. de Nerone loquens qui Pythagoræ cuidam in modum ſolemnium coniugiorum denupſerat:Inditum (ait) Imperatori flammeum, miſſi auſpices duo, & genialis thorus, & faces nuptiales. Sed & in lapide quodam Patauino hæc habentur. *COS. Aug. Pub. Claudio Ques. Aer. Antoninam Volumniam virginem volent. auſpic. à parentibus ſuis coemit, & IIII. fac. in dom. dux.* Denique Sixtus tertius Pontifex (quem ſediſſe Valentiniani temporibus putant, lib. de caſtitate, conqueritur ſua ætate illum morem retentum fuiſſe. Nefandorum (ait) idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, initium & finis. Hæc in matrimoniorum celebratur auſpiciis, quando certus auſpicatur dies, quando coniunctionis hora ſignatur, quando ne quid infauſti ominis iu-

Auſpicia in nuptiis.

curratur, ſollicita & diligenti cura ſeruatur. Et cùm ſcriptum ſit, non augurabitis, non auſpicabimini, auguriis & auſpiciis omnia digeruntur. Hæc Sixtus.

AD EPIST. XVIII.

Solet ruſticus Verba hæc vt excuſa ſunt, deprauata repperi in v.c.& ſine præſidio alterius libri reponi vix poterunt. Neſcio tamen an interea hæc emendatio mea, quæ ſola coniectura nititur, recipienda ſit: Olet ruſticus vini anhelitus. Ganeones autem ſequitur grauedo ſuos.

Primorem Senatus. De ociis Senatoribus conceſſis placet adnotare teſtimonium Theodoſij in Nou.8.ne Decur.ad Senar. dignit. Sic enim ſcribit ad Senatum vrbis Conſtantinopol. Nam & ſi ocio (ait) frui vos quodam tempore patiamur, ne labore videamini fatigari continuo, non tamē ideò cura vos deſerit optimè regendæ Reipublicæ. Suetonius narrat etiā Auguſtum ſtatuiſſe, ne Septembri vel Octobri menſe neceſſe eſſet in Senatum venire. *Feria Senatorum.*

Bibliothecula. Sic v.c.at ſchedæ Pith. Bibliothecæ. Eodem exemplo ſpeculam pro parua ſpe dixit lib.8.ep.27. Plautus in Rud. Sic bonuſcula l.29.C.Theod.de peritio: vt Sidonius Apollin.lib.9.ep.6. & ieculculum idem Sidonius lib.5.ep.17.& Arnobius lib.4.ſic mercedulam l.32. C. The. de Nauicul.

AD EPIST. XX.

O te beatum amicè ſi viceris. Ita ſcribendum fuit ex v.c. & ex editione Scotti: non autem, ſi viceris, vt legebatur malè in libro Frobennij. Nam id mens auctoris poſtulat, qui tacitè oſtendit ex officio naturæ & charitatis eſſe, vt magis parentes ſuis liberis quàm ſibi conſultum eſſe velint, neque moleſtè ferant ſe liberis inferiores videri omni virtutum & literarum honore. Sanè in honeſto certamine, victi etiam ſibi gratulari debent. Idem auctor lib.4 ep.39. Certamen mecum de amore eius ingredere, gaudebo ſi viceris. Et Ennodius ad Firminū. Nos, ait, memini fœderis certamina ſuſcepiſſe, ſed per quæ mutuæ vincamus charitatis officiis: & dum inter huiuſmodi luctamina nitimur, & vinci ambo optemus & vincere. Sic ille.

AD EPIST. XXVIII.

Semper quidem ſimilis arentibus riuulis &c. Hunc locum vt & alios quoſdam Symmachi puta expreſſiſſe Ennodium Ticinenſem in epiſtola ad Olybrium. Magnitudinis veſtræ diues (ait) & elucubrata narratio mendicis limitibus neſcit includi. Nec oris theſaurum quibuſcunque arctari confiniis, magnorum more fluuiorum riparum fræna contemnit.

Præterea nihil argumenti ſuppetit ad propaganda quæ ſcribimus. Ego ex iudicio ingenióque ita hunc locum audacter emendaui, cuius emendationis anſam præbuêre veſtigia veteris & vulgatæ ſcripturæ. Nam vetus codex habuit. Nihil largæ mentis apperit ad propaganda &c. Vulgata verò lectio: Niſi largæ menti ſuppetit ad prorogranda &c. Ex illis verbis, largæ menti, efficiendum eſſe credidi, argumenti. Méque opinor rectè emendaſ-

ſe. Cuius tamen rei arbitros eos eſſe volo, qui in emendandis aliis auctoribus peritiam aliquam conſecuti ſunt.

AD EPIST. XXXIII.

Defectus oraculorum. *In antro Cumano.* In v.c. Camano, ſed mendoſè: ſic intra hoc lib. 4. ep. 34. monitus Cumanos lintea textra ſumpſerunt. Huc autem pertinet quod Minutius Felix in Octauio ſcribit, Apollinem verſus facere deſiiſſe, eiúſque ambiguum defeciſſe oraculum; cùm & politiores homines & minùs creduli eſſe cœperunt, ideſt inualeſcente Chriſtiana religione. Prudentiùs etiam in Apotheoſi, ſuauiſſimis verſibus id complexus eſt, quos ſubiicere placuit, quia verbis Symmachi lucem adferunt.

Ex quo mortalem præſtrinxit ſpiritus aluum,
Spiritus ille Dei Deus, & ſe corpore matris
Induit, atque hominem de virginitate creauit,
Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra.
Non tripodas cortina tegit, non ſpumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris:
Perdidit inſanos mendax Dodona vapores:
Mortua iam muta lugent oracula Cumæ:
Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon &c.

De defectu oraculorum ſcripſit Plutarchus. Sed quia religione Chriſtiana imbutus non eſſet, certam cauſam aſſignare non potuit, cur oracula ſiluiſſent.

AD EPIST. LXXIIII.

Sublimium varietati. Ita rectè v.c. in qua tamen mala manu, veritati, adſcriptum erat: nihil enim hîc veritas proficit. Sanè aliquoties harum vocum ſimilitudine turpiter peccatum animaduerti à librariis. Exemplum vnum proferam, quod nunc memoriæ occurrit, quódque à nemine adhuc adnotatum miror. *Ælius Spartianus correctus.* Ælius Spartianus in Caracallo vbi agit de cæde Papiniani: Scio (inquit) de Papiniani cæde multos in litteras ita retuliſſe vt cædis non adſciuerint cauſam, aliis alia referentibus. Sed ego malui veritatē opinionum edere, quàm de tanti viri cæde reticere. Hæc ille. at quo ſpectant illa verba, veritatem opinionum? Nam quòd paulo antè dixit alios alia retuliſſe, nónne ſatis id liquidò probat reponendum eſſe, varietatem opinionum? Nihil quidem veritate mihi antiquius. Sed hæc veritas, quam mendacia librariorum non nimis acutorum ſuppoſuerunt, omninò repudiari debet. falſitatis enim plurimum in ſe continet, & ſi verum nos amamus, ipſamet eſt falſitas.

Alligaſti ſacramento. v.c. allegaſti, ſed excuſi libri, alligaſti. rectiùs. Sic Seneca in Troade dixit alligare fidem ſuam ſacramento. & Symmachus infrà lib. 4. ep. 66. vincire fidem ſacramento. Tullius lib. 3. Offic. Nullum vinculum (ait) ad aſtringendam fidem iureiurando maiores arctius eſſe voluerunt. Nemo autem bene iurat, niſi qui poteſt ſcire quod iurat. Iurare igitur, indicium ſcientiæ, teſtimoniúmque conſcientiæ eſt, vt ait D. Ambroſius ſerm. 14. in pſal. 118.

Lintea texta. Linteos etiam libros dici legimus apud Titum Liuium, & apud Vopiſcum in Aureliano. Et typum perticæ linteis deſcriptum apud Higenum lib. de limitib. conſtit. Inde in l. 1. C. Theod. de alim. quæ inop. &c. Lex æreis tabulis, vel ceruſsatis, vel linteis mappis ſcripta proponi dicitur.

AD EPIST. XLII.

Amor fictus. Ita leg. non factus, vt eſt tamen in v. c. Addit paulopoſt fidem alba velamiua decere, quod antea dixerat Horatius lib. 1. car. ode 35. raram fidem albo velatam panno coli. Sed & canam fidem vocat Virgilius lib. 1. Æneid. apud quem tamen, antiquam interpretatur Nonius, eodem ſenſu quo idem notat Varronem appellaſſe veritatem canam Atticæ philoſophiæ alumnam. Seruius verò adiicit canam fidem dici, vel quia in canis hominibus inueniatur, vel quod manu albo panno inuoluta illi ſacrificaretur: vt nimirum oſtenderetur quodam ænigmate fidem ſecretam eſſe debere, quod antea relatum fuit in notis ad epiſt. 54. lib. 1. Exiſtimauerim ſanè potiùs candida velamina fidei tributa à veteribus fuiſſe, argumẽto innocentiæ, puritatis & integritatis, cuius rei albus color ſymbolum non obſcurum præfert. *Veſtis alba fidei.*

Illos iuuent alterna. Credidi me rectè emendaſſe, reiecta lectione quam offendi in v. c. illam nimirum: Illos inuenit alterna. Sic mox ſubiungit auctor: Iuuet alios titulo ſublimitatis attolli. Notum eſt quo ſenſu iuuandi verbum ab auctoribus vſurpetur: vt apud Plinium lib. 5. ep. 14. quàm me iuuat (ait) quòd in cauſis agendis non modò pactione, dono, munere, verumetiam xeniis ſemper abſtinui.

Quã ſuſpici. v. c. habebat, ſuſcipi: quod ego in ſuſpici, mutaui poſtulante ſententia. Idem error extat vulgò apud Aur. Caſſiod. lib. 1. dominantes iure ſuſcipiunt. At libri veteres rectiùs habent, ſuſpiciunt: atque hanc emendationem confirmant ſchedæ Pith.

AD EPIST. L.

Solus duos aduoco. Particulam, ſolus, addidi ex v. c. quia elegantiam orationis adauget. Nec enim procliue eſt ab vno duos vinci. Catullus in car. nupt. noli pugnare duobus. Et celebrato adagio à Platone in Euthidemo notum eſt, ne quidem Herculem contra duos depugnare poſſe.

AD EPIST. LI.

Te medio ſanari. Liber Frobẽnij habuit, te medico ſaluati: liber Scotti, te medico ſanari: at noſter v. c. vnica litera elegãter detrecta, te medio ſanari: eiq; lectioni nos facilè vindicias dedimus. Sic Ammianus Marcell. lib. 18. quaſi dirimẽte medio quodã feciali. Caſſiod. Var. 3. ep. 5. mediis amicis iurgia atque diſcordias placabiliter finire dixit. Ennodi⁹ Ticinẽſis in ep. ad Paſtonium: Scias (inquit) nulla cautione, nulla innocentia in ciuitate noſtra, quæ Deo medio promiſſa ſunt, cuſtodiri: totum fœlicitati tribuitur, nihil amori. Sed & idem Symmachus lib. 6. ep. 5. Promiſi autem (ait) media vnanimitate tua, decus noſtrum, ſi quis inter eos concertationis eſt, poſſe finiri. Apud Horatium lib. 2. ode 19. pacis & belli medium dici legimus: & apud Fabium lib. 12. cap. 8. ſequeſtrem & mediam litium manum, quen- *Medius.*

dámque interpretem. Igitur hæc vox medij, pro parario, proxeneta, atque interceſſore accipitur, nec mutari debet. Illud verò parergi vice adiiciam, medij vocem paſsim corruptam eſſe in ænigmatis Symphoſij. Nam in ænigmate quo tabum deſignat, legitur vulgò:

Symphoſius correctus.

In ligno vehitur modico quæ ligna vehebat.

Reponendum eſt, medio, pro modico, vt legi ſcriptum in veteribus ſchedis. Denique ita apud Capitolinum emendandum eſt in M. Antonino: Verùm Cæſarem (ait) ex ſecto ſub aure tubere ſeptennem amiſit, quem non plus quinque diebus luxit, conſultúſque etiam medios, actibus publicis reddidit. Vulgò quidem legitur, conſolatúſq; etiã medicos actibus &c. Sed id vitioſè, vt animaduertit doctiſſimus Lipſius in libris epiſtolicarũ quæſtionum. Nec aſſentior viro erudito, qui in ſuis ad Suetonium commentariis exiſtimat legendum eſſe apud Capitolinum: conſolatúſque etiam amicos actibus &c. Iudicium enim Lipſij longè certiùs eſt.

Capitolinus emendatur.

AD EPIST. LII.

Paulisper hæſi. v.c. paulìſper ac ſi: ex quibus verbis effeci hæſi, apta ſententia, vt opinor.

Fides bona.

Bona fide. In v.c. litteris inuerſis erat, obna fideo, quod in bona fide mutandum cenſui. Bona autem fide idem eſt ac reuera & ſeriò. Seneca lib. 11. ep. 80. Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam, ſi modò illam bona ſecutus eſt fide: ſi ſe non exornauit & pinxit. Idem lib. de conſol. ad Albin. cap. 16. de diſciplinis loquens: Conſolabuntur illæ, ait, delectabunt illæ, ſi bona fide animum intrauerint. Tertullian. aduerſ. Hermog. Magna bona fide cęcitas hæreticorum eſt. Papinius Statius in præfat. lib. 5. Syluar. qui bona fide deos colit, amat & ſacerdotes. Sic denique loquitur Papinianus in fragmentis Pithœanis tit. de inc. nupt. Ei qui coniunctione ſororis bona fide abſtinuit, pœnam remitti palam eſt.

Adiuuit deſtinata. Sic emendo ex veſtigiis veteris ſcripturæ habentis, adiuuit deſtinata.

AD EPIST. LIII.

Fas fuerit. Scribendum fuit hoc modo, non autem fac fuerit, vt erat in v.c. perperam.

AD LIB. LIIII.

Redi in habitum lætiorem. Sic v.c. vulgò paulò aliter: Redi in habitum animi lætionem. Deo quippe auctore &c.

Sacra Principum.

Sacris auribus edocendis. Vocem, ſacris, ex fide v.c. addidi, quæ in vulgatis libris deerat. Sic idem lib. 10. ep. 34. apud aures ſacras locum poſtea non habebit conuicta mendacij. Illa igitur particula docemur, quoties fames, aut rerum penuria Romæ ingraueſceret, (in qua multa murmura ſuper inopia victui congruentium aſſiduè oriri ſolita docet Ammianus Marcel. lib. 26.) petitum fuiſſe ſalutare remedium à Principibus. Cuius rei exemplum extat apud eundem Symmachum hoc lib. 4. ep. 18. & lib. 10. ep. 48. Cæterùm Romani Imperatores conſilio inconſulto ſibi diuinos honores adrogarunt. Nam omnia quæcunque gererent pro ſacris haberi voluerunt. Itaque paſſim in libris veterum, maximè in conſtitutionibus iuris legi-

legimus dici ſacras aures principis, ſacra oracula, ſacros affatus diuinæ ſanctionis, diuinas ſubnotationes, ſacrum numinis conſiſtorium, ſacrum reſponſum, ſacras litteras, cœleſtia ſtatuta, ſacra ſcrinia, ſacrum ærarium. Sacrum etiam nomen Imperatorum dicebatur. vt de Antoninorum nomine ſcribit Capitolinus in Opilio Macrino, & Lampridius in Alexandro Seuero. Hunc tamen morem auerſabatur Tiberius Cæſar, qui quendam dicentem ſacras occupationes eius, verba mutare iuſſit, & pro ſacris laborioſas dicere coëgit, vt refert Tranquillus in Tiberio cap. 25. Sed & aliquoties obſeruaui Imperatores dixiſſe ſuis altaribus preces fuſas fuiſſe, vel de ſuis altaribus reſcripta impetrata. cuius rei teſtimonia exſtant in l. 8. C. Theod. de ſuar. l. vltima eod. Cod. de relario. l. vlt. eod. Cod. de locatio. fund. & apud Valentinianm Nou. 4. de teſtam. & apud Anthemium Nou. de his quę ſe ſer. iunx. Inde illud Ennodij in Panegyrico, alloquentis Regem Theodericum: Propriis (ait) maieſtas tua oblationem litterariam dignetur altaribus. Eadem etiam audacia ſacrarium ſibi quoddam tribuunt iidem Principes, vt in l. 1. C. Theod. de Quæſtor. l. 8. & vlt. eod. Cod. de legat. l. 16. & 50. eod. Cod. de hæretic. l. 11. eod. de Pœnis. & in l. vlt. d. de muner. & honorib. Auſonius in Panegyr. ſtatim in principio. Atque non in ſacrario modò imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo & pauore venerabili rarò eundem animum præſtat & vultum: ſed vſquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens. Et alio loco. In illa verò ſede, vt ex more loquimur, conſiſtorij, vt ego ſentio, ſacrarij tui &c. *Altaria Principum.* *Sacrarium Principis.*

In hyemem præcipitat Autumnus. Placet. Sic rectè v. c. quæ tamen interpollata circumferebantur in excuſis libris. Etenim Frobennius legebat, In hyemem præcipitatur. Placet tamē. Eodem exemplo apud Virgilum, Oceano præcipitat nox. M. Tullius lib. de Legib. Fibrenus ex eo loco præcipitat in Lirim. & lib. de ſom. Scipio. loca vbi Nilus præcipitat ex altiſſimis montibus. Plautus in Trinum. Nam qui in amorem præcipitauit, peius perit, quàm ſi ſaxo ſaliat. *Præcipitat.*

AD EPIST. LV.

Iacturam ſportulæ tacere. Non dubitaui ita ſcribere & emendare ſecutus mentem auctoris. Nam in v. c. erat, ſortulæ: Nemo verò dubitabit, quin certa ſit emendatio, qui meminerit frequentem fuiſſe vſum apud veteres ſportularum in nuptiis, quarum hîc fit mentio. Symmachus lib. 3. ep. 24. nuptialē ſportulā dediſti. Et lib. 4. epi. 4. effectū in nuptialibus votis Deus præſtitit. Nunc honor ſportulæ ſuſcipiendæ culmini tuo & more & amore ſoluendus eſt. Et lib. 9. ep. 96. in duobus ſolidis ad te miſimus ſportulā nuptialem. Id etiam eleganti teſtimonio Apulei confirmatur, qui apologia 2. de ſuo cum Pudentilla matrimonio agens: Ita (ait) placuerat in ſuburbana villa potiùs vt coniungeremur, ne ciues denuò ad ſportulas cōuolarent, cùm iampridem Pudentilla de ſuo quinquaginta millia nummorum expunxiſſet: ea die qua Pontianus vxorem duxit, & hîc puerulus eſt toga inuolutus. Plinius lib. 10. ep. 120. de diuiſione ſportularum. Qui virilem togam (ait) ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam à plebe *Sportulæ nuptiales.*

Sportula ob introitum. non exiguum numerum vocare,binóſque denarios,vel ſingulos dare &c. Fuit ſanè antiquus mos,aliquid ob introitum elargiri, collegio, Curiæ, corpori,vt liquet ex l.7.C.de prox.ſac.ſcrin.& ex eodē Plinio lib.10.ep.40. vbi de Theatro Nicenſ.& ex l.pen.§.vlt.& penul.D.de legat.3.vbi aliquid erogari dicitur pro introitu militiæ.Et pro introitu ſacerdotij apud Tranquillum in Claudio cap.9.Inde fluxerunt ſportulæ Decurionum, quæ tamen aliquando remittebantur gratuito Decurionatu: quod aliquot antiquæ inſcriptiones docent.Sed & pro introitu Eccleſiæ presbyteri & clerici aliquando xenia conferebant:quod tamen eſt vetitum legibus Francorum lib.1.tit.140.& concilio Aurelianenſi cap.10. apud Burchardum lib.3.cap.117.Iuſtinianus Nou. 56. & Nou. 123. conceſſerat in maiori tantùm Eccleſia Cõſtantinopolitana fieri inſinuationes ſiue ἐμφανιστικά,ideſt ea quæ pro introitu clerici noui dare veteribus conſueuerant.Quid,quod etiam inter latrones morem hūc ſeruatum legimus?Etenim Hemus Thracius in latronum numerum cooptandus ita loquitur apud Apuleium lib. 7.Aſini.En iſtam ſportulam (ait) imò verò dotem veſtro collegio libens: méque vobis ducem fideliſſimum, ſi tamen non recuſatis, offero, breui temporis ſpatio lapideam iſtam domum veſtram facturus auream.

AD EPIST. LIX.

A te ius electionis. Pro, ius,v.c.habuit,eius:malè.itaque ius,ſcripſi, quæ vox deerat in vulgatis libris.

AD EPIST. LXII.

Sacerdotales editiones. *Sacerdotij priuilegium.* Leui errore hæc corrupta erant in v.c. in quo ſcriptum fuit,ſacerdoti priuilegium. Conſtat paganos varia ſacerdotum genera habuiſſe,quorum maior pars ex officio exhibendorum ludorum gratia,multas pecunias profundebat. Vt non malè hoc loco ſcribat Symmachus,tenuioris fortunæ homines à ſacerdotij oneribus excuſari. Tertullianus lib.de ſpect.cap.de munere. Tranſiit hoc genus editionis (ait) ab honoribus mortuorum ad honores viuentium, quæſturas dico & magiſtratus,& flamina,& ſacerdotia:& paulopoſt:Vt talia ſpectes,vt talibus exſultes, quis tibi Prætor aut Conſul,aut Sacerdos,aut Quæſtor, de ſua liberalitate præſtabit?Eius quidem moris aliquot veſtigia notaui in iure ciuili. Nam in l.1.C.de per.ſuc.patr.dicitur ſi pater de ſuo patrimonio muneris editionem filij nomine repromiſerit,& ſacerdos creatus ſit filius, onus erogationis commune omnium heredum patris eſſe. Et lex vlt. C. Theod. de expēſis ludor. licèt præſcribat,ne duorum ſolidorum librata impendia excedantur in exhibitione ludorum, ne fortè inconſulta plauſorum inſania opes ciuium exhauriat: addit tamen id ſe cauere generaliter exceptis Alytarchis,Syriarchis, Agonothetis,& Aſiarchis,quorū nomē votiua feſtiuitatis ſolemnitas dedicauerat.Sed & de ſacerdotiorum editionibus agitur l.1.eod.Cod.Theod.tit de ſpectac.& l.145.eod.Cod. tit.de Decurio. Africanorum ſacerdotalium commeminit, & editionum, vt etiam l.176. eod.C.& tit.quo loco vocantur feſti ac legitimi dies,& additur præterea multos propter pompam eorum dierum Carthaginem conuenire. Itaque

L vlt.eod. Cod. Theodoſ. tit. de tyronib. ſtatuit à ſacerdotalibus Prouinciæ Proconſularis (id eſt Africæ, nam ea ſic vocari ſolet in conſtitutionibus Priucipum, & apud Optatum Mileuitanum lib. 3. & Victorem de perſec. Vuandal.) præbitionem tyronum non exigi debere. Maioribus enim (inquit) expenſis ſacerdotes fatiganiur, in quarum ſolatium indemnem eſſe conuenit dignitatem. Et quidem diuus Auguſtinus in fine epiſt. 5. huius conſuetudinis mentionem facit. Nam de Apuleio Afro & mago loquens, inter alia ſic ſcribit. An fortaſſe iſta vt philoſophus voluntate contempſit (malim legere, voluntariè) qui ſacerdos prouinciæ pro magno fuit, vt munera ederet, venatoréſque veſtiret &c. Non eſt igitur mirum ſi plures ſacerdotij onera detrectarent, quæ ab inuitis ſuſcipi non oportere definierunt Imperatores in l. 103. 109. & 168. Cod. Theodoſ. de Decurionib. Cæterùm extat vetus inſcriptio, qua colligi poteſt hos Prouinciarum ſacerdotes ab honoribus & muneribus ciuilibus habuiſſe excuſationem. *Veratio A.F. Pal. qui cùm Priuilegio ſacerdotij Caſinenſis munitus potuiſſet ab honoribus & muneribus excuſari præpoſito honore patriæ honorem adilitatis laudabiliter adminiſtrauit.* *Pro conſularii prouincia.* *Auguſtinus notatus.*

Et vnius hominis munimenta multiplica. Fuit hæc lectio v.c. ſed mendum redolere mihi videiur: quamobrem ſic potiùs hunc locum emendandũ eſſe crediderim: & vnius nominis munimenta multiplicia: quaſi dicat paupertatis nomen ſua vi ſuóque ambitu complecti vacationem omniũ onerum publicorum, & aduerſus illa onera munimentum paupertatis varium eſſe ac multiplex. Ita ferè idem Symmachus lib. 10. ep. 54. vbi agit de Veſtalibus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate à diſpendio tutæ ſunt. Eadem etiam forma l. 1. C. de ſent. paſſ. ait nomen deportationis per ſe rerum omnium eſſe ſpoliationem. Et Valerius lib. 2. cap. vlt. eum qui velit ſanctum atque egregium ciuem ſignificare, non alio quàm Catonis nomine debere definire. Sanè pauper inſtar eſt putei vacui & deſerti, quem omnes aſpiciunt & ſuo loco relinquunt, vt reſpondit Epictetus Hadriano Imperatori. Dio etiã Chryſoſtomus oratione 7. ait paupertatem rem verè ſacrã eſſe tutámque: quia nemo ferè pauperes iniuria afficiat, non magis quàm qui caducea ferunt. *Paupertas tuta.*

AD EPIST. LXIII.

Annue verò longum. Totum hunc locum ita ex ingenio reſtitui, ſecutus & mentem auctoris & veſtigia veteris ſcripturæ. Sic enim ſcriptus codex habebat: An verò longum peregrinantis & electionis & precij iuſtam benignitatémque hominis opinionem blandam ſecutus &c. Quam autem rectè emendauerim, alij iudicabunt. Non ſemel autem ita locutus eſt: vt lib. 9. ep. 18. promptiſſima beneficentia digneris annuere. Et epiſt. 48. intereſt igitur amicitiæ noſtræ, ne ſpes eorum, qui me ad impetrationem validum crediderint, decepta videatur. Quare ſi quid eorũ poſcet vtilitas, benignitatem adde iuſtitiæ.

AD EPIST. LXIX.

Et C.F. propter. Ita notarum compendio ſcriptum eſt in v.c.quæ ſic interpretandæ videntur: & clariſſimæ fœminæ propter. Huc verò accommodari poteſt ſpecies l.15. quiſquis C.de reſc.vendit. & l. 3. æde C. de locato.

AD EPIST. LXXI.

Ad luminandas. Quidam libri, ad illuminandas: coniungenda eſt autem epiſtola 74.lib.5.& epiſt.38.& epiſt.39.infrà lib.10.quia eiuſdem planè ſunt argumenti,& ſibi mutuò lucem adferunt: addenda eſt etiam l. vlt.C.de diſcuſſ & l.1.C.de ratioc.oper.public.Illud tantummodo adiiciam argumento huius epiſtolæ 71.& epiſt.74.infrà lib.5. adductus,quæ diſcuſſionem pontis atque baſilicæ ſimul coniunxit, exiſtimare me emēdandam eſſe epiſtolam 38.infrà lib.10.illis ſcilicet verbis. Super baſilicæ atque pontis immodico ſumptu &c.Nam in excuſis libris ita tantùm legitur mendosè,Superba atque pontis. Nihil equidem hoc tempore probabilius meditari poſſum.

Symmachus emēdatus.

NOTÆ AD LIB. V.

AD EPIST. 5.

In conſortium feſtorum tuorum. Ita optimè habere mihi viſus eſt vetus codex,& lib.Scotti.Editio autem Frobennij legebat,faſtorum tuorum: vitiosè pro feſto.quanquam meminerim Ammianum Marcellinum initio lib.16.ita ſcripſiſſe: Cæſar apud Viennam in collegium faſtorum à Conſule octies octo adſcitus. Intelligit enim Cæſari rurſus delatum eſſe Conſulatum.Sed hoc loco nihil aliud voluit Symmachus deſignare, feſtorum nomine,quàm ſolemnitates dierum, quibus magiſtratui, quis inaugurabatur,vnde & paulò pòſt vocat officia lætitiæ. Et ex his epiſtolis conſtat auctorem ſæpe togatum & admonitum ab amicis,qui infulas dignitatum conſequebantur,vt Romam proficiſceretur,coràmque amicorum gaudia gauderet. Quod tamen detrectabat. Conſtat id ex epiſt. 94.lib.1.& epiſt.21.lib.2.vbi inter alia: Neque enim fas fuit læta officia obire lugentes.Idem lib.5.ep.vlt.Nunc fortunæ meæ qualitas nos à feſtiuis excuſat officiis. & epiſt 103.lib. 9.quæ eiuſdem eſt argumenti, addit: Mihi turpe atque impetibile eſt attonito animo & fronte mœſta lætos adire conuentus.Verùm hæc emendatio maximè probatur verbis ipſius Symmachi.Nam lib.7.ep.1.agens de Prætura filij:Vt & tuus(ait)magiſtratus iuuetur præſentia patris, & ego feſtorum tuorum coram defruar voluptate. Et lib. 8. epiſt. 14. vos Prætoriis meis faſcibus primos intereſſe voluiſſem, feſtiſque communibus decus facere. Et ep.21. eiuſdem lib.8.Præfata numinum venia Prætorem Symmachum meum mox vrbanum tribunal accipiet. Feſta eius frequentari potiſſimis amicorum, quibus annumeraris,exopto.Et ep.71.quæſo vt præſentia tua feſta noſtra cohoneſtet.Sic enim lego.

Feſta.

Diu inter deſiderium tui, & vnici mei curam dubius electionis pependi. Tam elegans ac certa emendatio debetur v.c. Nam in vulgaris exemplaribus hæc prodigioſè contaminata erant hoc modo. Diu inter deſiderij tui & vnici mei curam dubius lectionis pependi. Apertus igitur nunc ſenſus eſt, obſcurus antea. Venuſtè autem Symmachus Theodoro Conſuli, pietatis paternæ vim maiorem obtendit, quæ profectionem impediret. Optio quidem dubia eſt cùm de ſimilibus iudicatur, vt idē Symmachus ait lib.10 ep.22. Sed vnius prælatio ſine alterius contumelia non videtur procedere, vt ſcribit Tertullianus in Apolog. cap. 12. Timotheus Epiſc. lib.4. ad eccleſ. Cath. Ecce enim adſiſtit tibi morienti atque teſtanti homo pariter ac deus. Res aperta eſt & non dubia, quē elegeris prætuliſti. Si in vno eſt honor ſolo, neceſſe eſt in alio inueniatur eſſe deſpectio. Auſonius etiam in Panegyr. Nulla eſt contumelia ſecundi. Sed ex duobus gloria magna prælati &c. Loquitur de conſulum optione. *Optio in dubio.*

AD EPIST. XXXIII.

Et vt ſolent Athenas Atticas. Facili coniectura emendandum eſſe credidi eo modo, cùm in v.c. eſſet ſcriptum Athenas otticas. Athenas verò hanc appellationem ſortitas, vt ab aliis diſtinguerentur, conſtat: cùm notet Stephanus ſex aut quinque vrbes ita dictas. Plautus in Epidico: Fateor me omnium hominum eſſe Athenis Atticis minimi precij. Sidonius Apollin. lib.4. epiſt.3. arbitro me nec Athenæ ſic Atticæ videbantur. Plinius Secundus lib.4. ep.3. hominem me Romanum tam Grecè loqui? Non medius-fidius ipſas Athenas tam Atticas dixerim. Macrobius Sat.7. cap.1. Nam ſi, ſicut apud Athenas Atticas Areopagitæ tacentes iudicant: ita inter epulas oportet ſemper ſileri. *Athenæ Atticæ.*

AD EPIST. XXXVII.

Tribuni ac Notarij dignitatem. In v.c. hæc paululum erant perturbata. Habebat enim: Tribimi ac votatij. Itaque ex ſcripturæ veſtigiis colligere facile fuit, reponendum eſſe Tribuni ac Notarij. Nam ſæpe illa duo cõiungi ſolent in conſtitutionibus Imperatorū, vt in l.4. & l.8. de aduoc. diu. iudic. l.1. de mand. Princip. l.61. neque de decurionib. l.1. C. Theod. qui à præb. tyr. & apud Sidoniū Apollinarē lib.5. epiſt.9. Ammianus Marcellinus lib. 26. laudat Procopium quendam Tribunum ac Notarium. & apud eundem lib. 17. Spectatus Tribunus ac Notarius dicitur. & lib. 20. Decentius Tribunus & Notarius. Symmachus lib.10. ep.36. & ep.39. meminit Fulgentij & Aphrodiſij Notariorum & Tribunorum. Et in quadam Nouella Imper. Valentiniani de teſtamentis, Cæſarius nominatur vir ſpectabilis Tribunus & Notarius, vt etiam Dalmatius apud Diuum Ambroſium epiſt. 32. In antiquiſſimis monumentis, Claudium Claudianum poëtam ſub Archadio & Honorio illa Tribuni Notariſque dignitate functum legimus. Et in alio vetuſto titulo Rufius Prætextatus Poſthumianus Quæſtor candidatus, Prætor vrbanus, Tribunus & Notarius appellatur. Eorum præterea mentio fit apud Caſſiodorum lib. 1. epiſt.4. vbi inter alia ſic ſcribit: Honor qui tum *Tribun. Notarius.*

dabatur egregiis,dum ad imperiale ſecretum tales conſtat elegi,in quib⁹
reprehenſionis vitium inueniri nequeat. Apud eundem auctorem lib.
6.extat formula Notariorum.

AD EPIST. XXXIX.

Impenſiùs placere ſuſcepto,ſanctum Sabinum. Hanc ego exiſtimaui germa-
nam & ſynceram eſſe ſcripturam & diſpunctionem, vel auctore libro
manuſcripto,qui tamen pro ſuſcepto,habebat ſuſceto. Deterior verò
fuit vulgatorum librorum lectio,quæ ſic locum interpungebat.Impen-
ſiùs placere:ſuſceptum ſanctum Rabinum &c. Sabinum autem an Ra-
binum retineas parum refert, quanquam prius malim. Nec enim in eo
nomine verſatur difficultas,ſed in ſuſcepti voce. Senſus eſt dum clientis
cauſæ Epictetus cauſidicus nimium fauet, quodam calore & impetu ab-
Aduocatorũ ripitur, ac inter orandum contumeliis laceſſit Sabinum aduerſa-
conuicia. rium. Qui tamen conuiciandi mos turpiſſimus diſertis verbis pro-
hibetur ab Imperatore Valentiniano in l. 6. quiſquis C.de poſtul. & à
Fabio Quintiliano lib.12 cap.9.quo loco docet orationes non eſſe cō-
uiciis implendas.Sed & Ammianus Marcellinus lib.30. vbi de aduocatis
agit:Cùm autem ad inopiam(ait)munieudarum venerint allegationum,
ad effrenatam deflectunt conuiciandi licentiam,quo nomine ob aſſidua
in perſonas honorabiles probra, dieb⁹ dictis aliquoties ſunt damnati.Et
paulopoſt.Sellulariis quæſtib⁹ineſcati inter ſe hoſtiliter diſſidēt,& rupta
maledicendi ferocia,vt dictū eſt,multos offendunt: quā tunc effutiunt,
cùm commiſſarum ſibi cauſarum infirmitatem orationibus validis con-
uelare non poſſunt.Hæc ille. Apud quem tamen coniicio potiùs legen-
dum eſſe,rationibus validis conuallere non poſſunt.Quinetiam Caſſio-
dorus lib.10.Var.ep.7.Quæſtorem quendam laudat quòd in agendis &
perorandis cauſis ab iniuriis ſibi omnino temperauerit. Verum vt ad rē
redeam, ſi ſequamur vulgatas huius loci editiones, mentem auctoris
non aſſequemur. Quàm enim benè conuenit,vt aduocatus Epictetus,
qui clientis cauſam defendebat,in eundem aculeum ſtringeret? Suſcepti
Suſceptus quis. autem nomine intelligit clientem Symmachus,qui ad patronū propriè
refertur,quòd à Seruio notatum eſt lib. 6. Æneid. ad illum verſum, &
fraus innexa clienti. Diuus Auguſtinus in quæſtionib. miſtis quæſtio.
102 in fine: Nunquid ſi malæ vitæ(ait) ſit aduocatus, contra ſuſceptum
eius pronunciabitur? Hoc eſt officium aduocati,vt ſecundum iuris or-
dinem ſuſcepti ſui cauſam peroret. Nunquid poterit vita eius, ſi turpis
eſt,obeſſe cauſæ ſuſcepti? Perſona enim aduocati nec obeſſe, nec pro-
deſſe poterit. Qualis enim fuerit cauſa,ſic & reſpondebitur ei. Et paulo-
poſt. Antiſtitis ergo eſt delegato ſibi fungi officio: Iudicis autem ſuſci-
pere aut renuere cauſam ſuſcepti. Hæc ille. Id etiam colligere eſt ex
l.1.C.de princ.agent.in reb. quæ verat cauſarum patronos agentium in
rebus inſcio Principe poſtulationem introducere ſub vnius perſona ſuſ-
cepti. Denique hæc vox eodem ſenſu exaudienda eſt apud Anianum ve-
terem interpretem in l.1.Cod.Theod.de poſtul. Aduocati,ait,id eſt cau-

ſas agentes, qui per iniquam cupiditatem ſuſceptorum cauſam acturi ſunt, priùs conantur &c. Non eſt tamen diſſimulandum ſuſceptorum appellatione quemlibet clientem contineri.

Togæ forenſis honore. Sic rectè vulgò. v.c. tugæ, perperam. Forenſis autem togæ honorem benè tribuit cauſidico: quia etiam inde aduocati togati dicuntur l.3.5.9.& 11.C.de aduoc.diu.iud.& l.4.C.de ad.diuerſ.iudic. & foti togam vſurpat eodem ſenſu l.7. & 8. Cod.eod.tit.de adu.diu.iudicior. Sic Valentinianus Nou.de confir. his quæ adm.& c. Curiales dixit ad togam præparare, id eſt ad aduocationem venire, vt optimè interpretatur Anianus. Itaque togas pro aduocatis accipi oportet multis locis, vt apud D.Cyprianum epiſt.ad Donatum: Sæuit (ait) inuicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit inſanum. Et Symmachus infrà lib.9.ep.28.ad Carterium (quæ conferri debet cum hac epiſtola) ait Carterium togæ amicum eſſe, togæ nomine aduocatos intelligens. Plautus etiam in Querolo, togatos pro aduocatis accepit, & extogatum pro eo qui amplius cauſatum patronus non eſt. Sed & Apuleius lib.10.de aſino.forenſes tabulas, & pragmaticos viliſſima vocat capita forenſia, vulturióſque togatos. Cæterùm togæ interdictio vſum aduocationis tollit. Nam idem Symmachus eadem ad Carterium epiſtola ſcribit Epictetum, de quo hîc agitur, foro caruiſſe, & inconſultæ linguæ precium tuliſſe. Ad extremum rogat Carterium, vt Epicteto munus orandi poſtliminio reſtituatur. Aduocationis autem interdictio pœna ſolemnis fuit, qua ſilentium irrogabatur aduocatis, qui quid deliquiſſent l.1.d.de off.Pr.Vrb.l.moris.d.de pœnis l.1.C.de poſtul. & apud Plinium Secund.lib.5.ep.14. *Toga forenſis.*

AD EPIST. LX.

Portorium contulerunt. Nos coniectura domeſtica ducti ſic emendandum putauimus. Nam v.c. habebat, portitorum, & ſchedæ Pith. portionē. Neutrum quidem rectè, vt exiſtimo. Sed quod poſtea hîc de vectigali quinquageſimæ ſcribitur, illud ad vectigal quadrageſimæ retulit idem auctor lib.5.ep.63. vbi de eadem re agitur. Nec diſſentiunt illo loco veteres libri à vulgatis. Quadrageſima litium, ſiue ſummarum, de quibus litigaretur, fuit: vt Suetonius refert in Caligula cap. 40. Sed & Cornelius Tacitus lib.13. Annal. ſcribit aboliram fuiſſe quadrageſimam & quinquageſimam, aliáque nomina quæ exactionibus illicitis publicani inuenerant.

AD EPIST. LXI.

Tibi autem. Malè v.c. tum autem.

Cùm munimenta pro ſe iuris adſciuerint. Hæc eſt lectio v.c. in Pithœanis tamen ſchedis exaratum repperi, Cùm munimenta proræ & iuris adſciuerunt. Et quamuis ea poſterior lectio ſibi omnino non conſtet: vetæ lectionis veſtigia retinere viſa eſt. Nam ego non inani coniectura motus auguror ſcripſiſſe Symmachum, Cùm munimenta proræ & puppis adſciuerint. Elegans eſt verò illud prouerbium, *Prora & puppis.*

quo ſummam conſiliorum & omne præſidium ſignificamus: quoniam à prora & puppi tota nauis pendeat. Vtitur M. Tullius lib. vlt. epiſt. famil. ad Tyronem in fine: Mihi prora (ait) & puppis, vt Græcorum prouerbium eſt, fuit tui à me dimittendi, vt rationes meas explicares. Vide Eraſmum.

Longinqua cogitationem. Sic omnino eſt in v.c. puto tamen emendandum eſſe, longinquam cognitionem. Eius rei ea ratio eſt, quòd Romanis Imperatoribus ſummæ curæ ſemper fuit, ne litigantes in longinquis auditoriis conſectandis vexarentur ſumptibus & labore. Quo pertinent quæ ſcribit Iuſtinianus Nou.17.§.ſi tibi, & Nou.23.§.illud: quibus adde Valētinianum Nou.10.tit. de conf. his quæ &c. & Martianum Nou.1. nemin. exhib. &c. Maiorianum Nou.4. de indulg. releg. Caſſiodorum Var. lib.7.ep.22. & lib.9.ep.20. Duorum omnium locorum collatio, Symmachi verbis lucem adferunt.

AD EPIST. LXIII.

Pro Cynegio. Ita v.c. vulgò Chineo, malè. Sed & paulò poſt ſcripſi, Cupiditati mancipum, ex fide v.c. Editio enim Frobennij habebat, mancipij: liber Scotti, mancipium. Mancipes autem hîc vocat, quos epiſt.60. ſuprà hîc lib.5. publicanos dixit. Mancipes, inquit Aſconius, ſunt publicanorum Principes, Romani homines, qui quæſtus ſui cauſa, ſi decumanas redimunt, decumani appellantur: ſi portum aut paſcua portitores, aut pecuarij. Idem Aſconius alio loco mancipes pro publicanis accipit. Sic verò dictos notat Feſtus, quia manu ſublata ſignificarent ſe auctores emptionis eſſe. *Mancipes.*

AD EPIST. LXIIII.

Non potes ſola &c. Huic epiſtolæ coniungenda eſt ep.52. ſupra. lib.5. Earum enim argumentum idem eſt.

Non poteſt ſola &c. Sic v.c. at Pithœanæ ſchedæ paulò aliter habent: Non putes ſola parentis recordatione curam pro illis noſtram commoueri. Externóſque & memorati viri neſcios cauſæ indignitas commouet. Sed nihil immutandum fuit. Longè enim rectior eſt ſcriptura v.c. in qua verbū vrendi auget elegantiā. Sic lib.1.ep.25. dixit libellum admorſu dētis vri, & alios auctores ita ſæpe locutos eſſe palam eſt. Seneca lib.1.ep.3. in quaſlibet aures quicquid illos vrit, exonerant. Ammianus Marcell. lib.20 Vrebant Iuliani virtutes &c. Ennodius ad Agapitum: Non vrunt memoriam prima fronte negata beneficia. Horatius lib.1 epiſt. 10. Dixit calceum anguſtiorem pedem vrere. & Liuius li.7. bello vrere.

Faſtigia & capita. Ita v.c. Pith. ſchedæ veſtigia & capita.

De Poſthumio. Poſthuminus dicitur ep.52. lib.5. vt etiam ſcriptum eſt in Pith. ſchedis.

Quaſſans. al. conquaſſans, vt in lib. Pith.

Cum precio. Rectiùs, vt in Pith. ſchædis, prædio.

Ætas propè ſæculares. Eædem ſchedæ, ætas quippe ſæcularis.

AD EPI.

AD EPIST. LXV.

Iuuenilis induſtria. In v. c. ſcriptum reppeti, Iuuenalis, quòd non eſt reiiciendum. Vtrunque enim veteres dixerunt. Plinius lib. 33. cap. 2. Cùm C. Sulpitius Galba iuuenalem famam apud Principem popinarum pœnis aucuparetur. Apud Feſtum legimus iuuenalia effiĉta fuiſſe ſimulachra Dianæ, quia iuuenilis ætas ad tolerandam viam, cui præeſt Diana, fortis ſit. Iuuentatis etiam ſacra notat dici, quæ pro iuuenibus ſunt inſtituta. Cornelius Tacitus lib. 14. Ludorum iuuenalium meminit. Et Tranquillus refert Caligulam adiecisse Saturnalibus, diem iuuenalem dictũ. Quinetiam in antiquo carmine incerti auctoris, quo laudes D. Ioannis complexus eſt, quódque vna cum operibus in Geneſim Marij Victoris à Morellio excuſum eſt, ita ſcriptum reppeti in vetuſtiſſimis membranis: *Iuuenale.* *Marius Victor mutatus.*

—Et grauida mirum diſtenditur aluo
Elizabeth, ſanctúmque gerunt pia viſcera pondus,
Et venit effœto munus iuuenale ſub æuo.

At in impreſſis codicibus legitur, munus iuuenile.

AD EPIST. LXVI.

Quem rem venaticam ſeruile dicit officium &c. Hæc fuit lectio v. c. niſi quòd ille pro eius damna, habebat, iam lamua, ſed perperam. Vulgarorum autem codicum lectio languidior & fractior erat hoc modo. Quæ rem venaticam ſeruile ducit officium. Statuerat hæc ſcriptor ſtilo perblandus. Nam morum eius damna non ſinunt &c. Senſus eſt, Auctoris, qui venationem ſeruilibus officiis adſcripſit, ſtilus quidem probãdus & imitandus eſt. Quia tamen non tam rectè ac honeſtè vixit, nec eius mores cum ſcriptis conſpirant: ſententia illius inſuper habebitur, ſi quando de moribus & vitæ traducendæ optimis inſtitutis tractabitur. Quem verò auctorem ſuppreſſo nomine Symmachus intelligi velit, multi neſciunt. Sed deſignaſſe Salluſtium exiſtimo certiſſima coniectura motus. Quandoquidem in bello Catilinario ſtatim in princ. ſic ſcribit. Non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonum ocium conterere: neque verò agrum colendo aut venando, ſeruilibus officiis intentum ætatem agere. Quòd addit Symmachus de ſtilo Salluſtij probando, non eſt quod in ea parte quis immoretur, cùm ſciant omnes eum abſolutam maximè & ſeriam expreſſiſſe. Sed quod de damno morum ſubindicat, placet teſtimoniis aliquot illuſtrare & adiuuare. Lactantius igitur lib. 2. cap. 13. teſtatur illum ſeruiſſe fœdiſſimis voluptatibus, ſuámque ſententiam, qua nos animi imperio vti dixerat, vitæ prauitate ac nequitia diſſoluiſſe. Suetonius lib. de clar. gram. ait à Lenæo Satyra acerba laceratũ, & appellatum lurconem, nebulonẽ, propinonémq;, vita ſcriptíſque mõſtruoſum. Et A. Gellius lib. 17. cap. 18. ex Varrone retulit, in adulterio deprehenſum à Milone, loris cæſum benè, & cũ dediſſet pecuniã dimiſſum. Ex quibus pendet interpretatio verſuum Horatij, qui lib. 1. ſerm. ſaty. 2. notat Salluſtium in libertinarum amore inſaniſſe, non minùs quàm qui *Salluſtij vitia.*

mœcharetur. Nam vt hoc obiter adiiciam, meretrices vt plurimum Romæ erant libertinæ conditionis. Liuius lib.39.ſcortum nobile libertina Hiſpala Fecenia.& Plautus in Ciſtel.Act.1.ſc.1.

Libertinæ meretrices.

--- erunt depreſſum, quia nos ſumus
Libertinæ: vt ego & mater tua ambæ meretrices fuimus.

Venatio.

Quamuis autem illæ venationis ſtudium ſeruile duxerit, id minimè tamen damnauit in Iuguttha: quem ſcribit in bello Iugurth. ſtatim initio, non ſe luxui & inertiæ corrumpendum dediſſe, ſed pleraque tempora in venando tranſegiſſe. Sed & Virgilius decori obſeruantiſſimus, venandi ſtudium in Aſconio laudat, vt & Sidonius Apollinaris in Auito Auguſto, & Herodotus lib.1.in Crœſi filio. Plinius quidem Secundus lib.1.ep. 6. & lib 9.ep.10.ait ſyluas, ſolitudinem & ſilentium quod venationi datur, magna cogitationis eruditæ eſſe incitamenta, nec Dianam magis montibus quàm Mineruam inerrare. M. Tullius lib.2. de nat. deor.in fine, venationem ferarum laudat, quòd illa exerceamur ad ſimilitudinem bellicæ diſciplinæ. Vnde Capitolinus ſcribit Maximinū ſolis venationibus frequenter legiones exercuiſſe. Plato verò lib.7.de legibus in fine, ſacros vult eſſe venatores, qui curſu, iaculatione, viribus corporis quadrupedes conſectantur. Ceteros enim venatores reiicit. Iure quidem ciuili venatio ferarum permittitur, quæ tamen clericis interdicta eſt canonum iure: vt etiam ludicra illa venatio quæ in pompam ſpectaculo populari præbebat miniſterium crudelitati, vt ait D. Ambroſius ſerm.8. in pſal.118.de qua agitur l.122.de legat.1.& l.4.de adm.rer.ad ciuit. pert. & apud Spartianum, qui ſcribit Hadrianum Athenis mille ferarum venationē in ſtadio exhibuiſſe. Sed de hac poſtrema venationis ſpecie Symmachus hic non loquitur, & inter eas longum diſcrimen eſt.

Si accreuerit, quanquam vnicum cohortabor. Ita vulgò, ſed in v.c.ſi ſubcreuerit. In quibuſdam præterea ſchedis erat, quanquam vnum. Minùs quidem venuſtè, & contra mentem ſcriptoris. Nam lib.4.ep.20. vnici ſui filij meminit auctor. Nec imperari poteſt (ait) vnico labor. Et lib.5. ep.5.diu inter deſiderium tui & vnici mei curam dubius electionis pepēdi. Sed & otioſa non eſt vnici dictio. Vnici enim ſemper chariores habentur. Plautus in Aſinaria in princip.

Vnici chariores.

Sicut tuum vis vnicum gnatum tuæ
Supereſſe vitæ ſoſpitem & ſuperſtitem,
Ita te obteſtor.

Plinius lib.4.ep.21. Cuius ego pro ſalute, pro moribus hoc ſum magis anxius, quòd vnicus factus eſt. M.Tullius lib.10. ad Attic.epiſt. 9. Ne fortunas meas, ne vnicam filiam, ne meos omnes tam temerè proderem. Et epiſt.10.ſi filius vnicus, ſi domus, ſi opes tuæ reliquæ tibi charæ ſunt. Sulpitius Seuerus in dialogis: Interim ſubit eum cogitatio iniecta per diabolum, quòd rectius eſſet vt rediret ad patriam filiúmque vnicum, ac domum totam cum vxore ſaluaret. Virgilius etiam in Ciri:

Quòd ſi non alia poteris ratione parentem
Flectere: ſed poteris, quid enim non vnica poſſis?

Atque inde fit, vt vnicis amiſſis vehementiſſimè torqueamur. Seneca lib. 2. contro. 2. Tractauit (ait) quàm graue eſſet vnico catere filio, quem alius cócupiſceret. Quintilianus decl. 270. filiã perdidi. Scio hoc minimum eſſe malorum meorum. Sunt qui grauiſſimum exiſtimant vnicos perdere, & quoties aliquod ſolatium quod reſpiciant calamitatis amittunt, videtur ſine medicina dolor. Et Valerius Max. lib. 5. cap. 10. Quintus Martius rex ſuperioris Catonis in Conſulatu collega filium ſummæ pietatis, magnæ ſpei, & quæ non parua calamitatis acceſſio fuit, vnicum amiſit. Idem lib. 10. cap. 7. de Seleuco rege agens: Pater (ait) mœrore proſtratus, de vnici filij obitu, déque ſua miſerrima orbitate cogitabar, totius domus funebris magis quàm regius erat vultus.

Si cedentibus. Sic v. c. Liber Pith. ſi ſecedentibus.

AD EPIST. LXXIII.

Modeſtiori cauſidicina. Ita ex v. c. repoſuimus. Nam in libro Scotti interpollata ferebatur hæc vox. Sic enim habebat: Modeſtiore cauſidico dare nomen. Nec verò tale verbum nouum aut inſolens iudicari debuit, quo vſum aliquoties auctorem noſtrum vidi, ſed in his epiſtolis nimirũ, quæ antea editæ non fuerant, vt lib. 5. ep. 15. Et ad bonam viam morum, cauſidicinam credidi profuturam. Idem lib. 9. ep. 29. qui magiſterio tuo cauſidicinæ inſinuo candidatos. Eſt autem cauſidicina aduocatorũ & cauſidicorum munus, eáque vox etiam extat in l. 188. C. Theod. de Decurionib. lib. 12. his verbis: Geſſit militiam, aut cœptam dudum nũc gerit, aut cauſidicinã in foro ampliſſimæ Præfecturæ orientis. quæ verba eodẽ ordine repetũtur in l. vlt. eod. Cod. Theod. tit. de cohortal. Vtitur etiam Ammianus Marcellinus lib. 30. cuius elegantem locum adſcribere viſum eſt. Ad vltimum id habet cauſidicina (ait) cum ceteris metuendum, & graue, quòd hoc ingenitum eſt penè litigantibus cunctis, vt cùm iurgia mille caſibus cadant, accidentia ſecus in poteſtate eſſe exiſtiment patronorum, & omnem certaminum exitum iiſdem ſoleant adſignare, & non vitiis rerum aut iniquitati aliquoties diſceptantium, ſed ſolis defenſantibus iraſcantur. Porrò non diſſimili imagine Apuleius lib. 7. Metam. indicinam dixit, & Tertullianus lib. de pallio, iuridicinam & veſtificinã. Quæ verba fruſtrà in vulgatis lexicis quærentur. *Cauſidicina.*

AD EPIST. LXXIIII.

Lacuna ſumptuum. Ita emendaui. Nam v. c. habuit leui errore, lacima. *Lacuna.* Lacunam autem ſumptuum vocat, quam ſuprà lib. 4. ep. 71. labem publicorum ſumptuum. Sic lib. 10. ep. 33. lacunam imperialis ærarij dixit, & lacunam diſpendij l. 32. C. Theod. de nauicul. Apud A. Gellium lib. 1. cap. 3. legimus labem & quaſi lacunam famæ ſolidari dici. Apud M. Tullium oratio. de iuriſd. Sicilienſi. lacunam rei familiaris explere. Ita enim conſtanter in omnibus libris ſcribitur. Qua re falluntur, qui apud Ciceronem dicta oratione communiſcuntur *Tullij lectio defenſa.*

legendum videri, iacturam rei, non autem lacunam. Sic denique Prudentius hym.9. lacunam ventris explere ait. Ennodius epiſt. ad Fauſtum, lacunas parca frugalitate reparare. Et Ammianus Marcell. lib. 15. lacunas pruinatum congerie latebroſas vocat. & lib. 18. vorari vertigine lacunarum.

AD EPIST. XCI.

Peregrinationis meæ fore ſolatium. Ita v.c. rectiſſimè, nec placet coniectura illius qui legendum putabat, fore ſocium. Etenim in libris veterum, venuſtè ſolatium ille dicitur, qui comes eſt. Victor Vticenſis lib. 2. de perſec. Vuand. abſque ſolatij ſeruuli aut ancillulæ crudeli exitio delegauit. Et lib. 3. ſolatia ſociorum vocat. Conſtantinus in l. 4. certis. Cod. Theodoſ. de curſu pub. Non improbum tamen eſt, ait, ſi is qui angarialem habet copiam ad tutelam vitæ vel laborem adeundum itineris pro ſolatio ſibi quendam ſociauerit. Anianus vetus interpres in l. 44. Cod. Theodoſ. de Epiſ. & cler. Illæ mulieres ſunt in ſolatio retinendæ, quæ in coniugio fuerint ante officium clericatus. Titus verò Liuius lib. 1. eleganter dixit, Brutum ad imitationem ſtultitiæ compoſitum ab Tarquiis Delphos proficiſcentibus ludibrium veriùs quàm comitem viæ aſſumptum. Is tum (ait) ab Tarquiniis ductus Delphos ludibrium veriùs quàm comes aureũ baculũ incluſum corneo cauato ad id baculo tuliſſe donum Apollini dicitur.

Formianum littus. Sic malim legere quàm vt eſt in v.c. Cormianum. Formiani enim littoris idem auctor meminit lib. 6. ep. 38. 75. & 77. vbi etiam Formiana ſede ſe recreari dixit.

AD EPIST. XCII.

Roma patria communis.

Quibus communi patriæ. Ita legendum eſt, quo nomine Romam intelligere videtur, quæ communis patria eſſe definitur l. 33. d. ad municip. & l. 4. d. de exc. tut. putóque eo ſenſu accipiendum quod habet Caſſiod. Var. 1. ep. 39. Nulli ingratam debere eſſe Romam, quæ dici non poteſt aliena. & lib. 11. ep. 2. Romam ſedem eſſe mundo generalem præſtitam. Rutilius Claudius in itiner.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam &c.

Inde venuſtè Sidonius Apol. lib. 8. ep. 6. ait in ea totius orbis ciuitate vnica ſolos barbaros & ſeruos peregrinari. Annæus Seneca lib. de conſol. ad Albin. cap. 6. ab hac ciuitate diſcede (ait) quæ veluti communis patria poteſt dici. Omnes vrbes circumij, nulla eſt, vbi magnam partem peregrinæ multitudinis non inuenias. Prudentius lib. 2. in Symmach.

--- nam ſanguine mixto

Texitur alternis ex gentibus vna propago.

Apud Dionem lib. 25. Mæcenas Cæſarem hortatur, vt omnibus ſociis ciuitatem Romanam donet, quo huius participes facti fideliores redderentur, vtque Romam incolentes eam ſolam verè vrbem, ſuas autem patrias, agros & pagos eſſe arbitrarentur. Cùm igitur communis patria Roma ſit, non eſt obſcura ratio, cur Vlpianus ſcribat in l. 7. d. de interd. & releg. conſtitutum fuiſſe, eum, cui patria

interdictum erat, etiam vrbe abſtinere debuiſſe. Cuius quidem conſtitutionis auctor fuit Claudius, teſte Tranquillo in eius vita cap. 23.

NOTÆ AD LIB. VI.

AD EPIST. III.

In manum optat accipere Ita rectè v.c. non autem, in manus vt vulgò: ſic lib. 9. ep. 16. Hunc tibi in manum trado. & ep. 50. hunc tibi in manum reddo. & ep. 42. Aurelium tibi denuò in manum tradimus. Marcus Tullius in Topicis: quum mulier viro in manum conuenit, omnia quæ mulieris fuerunt, viri fiunt dotis nomine. Vlpianus in frag. tit. 10. farre conuenitur in manum certis verbis, & teſtibus 10. præſentibus, & ſolemni ſacrificio facto. *In manum.*

AD EPIST. XII.

Vrbis auguſtæ denunciauit offenſas. Nos ſic emendamus ex veſtigiis v. c. habentis, vrbis anguſtæ denunciauit affenſas. Vrbis auguſtæ nomine. Romam intelligit, quæ etiam auguſtiſſima vocatur l. 32. C. Theod. de nauicul. & aliis pluribus locis. Cæterùm cùm ait denunciatas eſſe offenſas, videtur reſpexiſſe ad morem veterum, qui quadam ſolemni ratione mutuas inimicitias & odia victura profitebantur. M. Tullius orat. 7. in Verrem: tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt quàm indictæ & apertæ. Suetonius in Nerone cap. 25. Vt multis vel amicitiam ſuam obtulerit, vel ſimultatem indixerit, prout quiſque ſe magis parciúsve laudaſſet. Val. Maximus lib. 4. cap. 1. de Metello Numidico: Acerrimè cum Scipione Africano Macedonicus diſſenſerat, eorúmque ab æmulatione virtutis profecta contentio ad graues teſtatáſque inimicitias progreſſa fuerat. Sidonius Apollin. lib. 7. ep. 9. de Simplicio: Amicitias probatas enixè expetit, conſtanter retinet, perenniter ſeruat. Inimicitias indictas honeſtè exercet, tardè credit, celeriter deponit. *Inimicitiæ indictæ.*

AD EPIST. XV.

Dubitare vos video an Rufini. v. c. habebat, dubitare vos iudea. ex quo effeci, dubitare vos video: non inuita mente auctoris, vt opinor. Háucque coniecturam poſtea confirmatam ſchedis Pith. repperi. Hic autem Rufinus affectatæ tyrannidis reus à militibus occiſus fuit, vt notat Socrates hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap. 2. & Sozomenus lib. 8. cap. 1. Duos etiam libros aduerſus illum edidit Claudianus, quibus profligatos mores, & inexplebilem prædonis auaritiam politiſſimo carmine depinxit. Et Zoſimus lib. 5. hiſt. ſcribit, adeò ludibriis adfectum fuiſſe Rufinum poſt mortem, vt manus illius vbique per vrbem circungeſtarent milites, & ab occurrentibus peterent, inſatiabili prædoni darent pecunias. Extat præterea Arcadij & Honorij Impp. edictum, quo omnes iubentur manus abſtinere à facultatibus quas Rufinus viuus poſſederat, vt eas fiſcus ſine præiudicio teneat. Verba ſunt l. 14. ſerenitatis. Cod. Theodoſ. de bon. proſcript. *Rufini mors.*

AD EPIST. XVI.

Baſterna. *Cuibaſtenarios.* Baſterna, ait Iſidorus, vehiculum itineris eſt, quaſi vaſterna. Ea mollibus ſtramentis compoſita à duobus animalibus deportatur. Amites etiam baſternarum Palladio ſunt perticæ, quibus ea vehicula ſuſtinentur. Seruius Honoratus: Pilenta ſunt vehicula, ſicut nunc baſternas videmus. Lampridius in Heliog. dedit baſternas & rhedas. Ammianus Marcellin. lib. 14. baſternis per latera ciuitatis cuncta diſcurrunt. Cujac. obſ. lib. 13. c. 30.

AD EPIST. XXVI.

Excurrere. Ita emendaui, reiecta v. c. lectione habente, exurere. Id enim non quadrat. Sed & paulòpòſt ſcripſi, tanquam myſtagogus induco atque in me recipio. Nam idem v. c. hæc habuit corrupta hunc in modum: *Myſtagogus.* tanquam mytigogus induco atque in me reſpicio. Idem Symmachus lib. 6. ep. 62. amicitiæ meæ V. C. Scipio te myſtagogo vſus acceſſit. & lib. 8. ſi eos in clientelam tuam quaſi myſtagogus inducam. & lib. 9. eundémque in domus tuæ ſacrarium tanquam myſtagogus induco. M. Tullius orati. 6. in Verrem: ſub fin. Hoſpites ad ea quæ viſenda ſunt ducere ſolent, & vnumquidque oſtendere, quos illi myſtagogos vocant. conuerſam iam habent demonſtrationem ſuam. Nam vt antè demonſtrabant quid vbique eſſet: ita nunc quid vndique ablatum ſit oſtendunt. Apud Ammianum Marcellinum lib. 22. referuntur verſus hi Menandri:

ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

Loquitur autem de geniis, quos veteres dixere in lucem editis hominibus ſalua firmitate fatali, velut actus recturos ſociari: de quibus etiam Plotinus, Cenſorinus, Seneca & alij.

AD EPIST. LXI.

Ipſi in Arabiana domina filia. Hæc eſt ſcriptura recta v. c. at excuſi libri perperam habebant, Ipſius Arabianæ dominæ &c. Suaues librarij, qui ex villa filiam effecerunt. Non eſt autem aliunde confirmanda ſcriptura, quàm ep. 56. lib. 2. vbi idem auctor: Diu domo abeſſe decreueram, iocundúmque ocium cum familiaribus noſtris in ſuburbano, cui Arabianę nomen eſt, exigebam.

AD EPIST. LXIII.

Indictio tyronum. *Tyronum conquieuit indictio.* Facili emendatione, ſic ſcripſi, cùm in v. c. eſſet: conquiet vt indictio: quod nullius ſenſus eſt. Coniungenda eſt verò ep. 59. ſuprà hoc lib. 6. Ammianus Marcell. lib. 21. paríque ſtudio ſupplementa legionibus ſcripta ſunt, indictis per prouincias tyrociniis. Et *Vegetius.* Vegetius lib. 1. cap. 7. dum poſſeſſoribus indicti tyrones per gratiam aut diſſimulationem probantium tales ſociantur armis. Sic enim v. c. apud quem nonnulli eruditiſſimi viri reponendum eſſe cenſuerunt, dum poſſeſſionibus: moti l. 7. C. Theod. de tyron. quæ tyronum præbitionem in viribus patrimoniorum potiùs, quàm in perſonarum muneribus collocari iubet. Et tamen Valentinianus Nouella. 1. & Nou. 2. de tyron. ait, reparandi exercitus cura conferri tyrones à poſſeſſoribus. Nonnunquam

autem ampliſſimus ordo (de quo hîc agi videtur) à Principe poſtulabat, vt pro tyronum indictorum corporibus preciū offerret potius, quemadmodū conſtat ex l.13. & l.14. C. Theod. de tyronib. Id beneficij loco concedebatur. Nam præbitio militarium virorum adeò neceſſaria Reipublicæ cenſebatur, vt neque domum Principis, neque eccleſiam, neque vllam perſonam excuſaret, vt liquet ex Nouell. Theodoſ. neq. diu. dom. &c.

AD EPIST. LXXI.

Ocio lenta producimus. Sic v.c. poteſt etiam legi ocij lenta: qui loquēdi modus familiaris eſt auctori, vt lib.2. ep.34. blanda fomenti: & ep.35. incertum morbi. lib.7. ep. 87. religioſi debitum: & lib.10. famæ incerta. Sic Catullus truculenta pelagi dixit: Flaccus, acerba curarum. Tacitus lib.15. Annal. cariſſima pignorum. Et Latinus Pacatus in Paneg. incertum patris. Non ipſe ſibi obieciſſet (ait) te eſſe triumphalis viri filium, ſe patris incertum. Sic enim habent excuſi, & veteres libri Pith. Itaque nihil erat cauſæ cur Balduinus eo loco Pacati reponeret, ſe patris incerti.

Pacati lectio defenſa.

AD EPIST. LXXIX.

Mimica vſus eſt techna. In vulgatis libris erat, inimica vſus eſt techna: ſed perperam. Itaque ex fide & auctoritate v.c. repoſui, mimica vſus &c. Multis autem locis hæc vox loco ſuo dimota fuit, quod iampridem animaduertit P. Pithœus, quem honoris cauſa nomino, aduerſ. lib.1. cap.17. vt apud Suetonium in Calig. cap. 46. in hoc quoque mimo præter modum intemperans. Sic enim habent v.c. & malè in vulgatis exemplaribus legitur, in hoc quoque nimio. Quibus aliquot alia adiiciam teſtimonia, non ita pridem à me collecta: apud Plinium lib.7. ep.29. quàm eſſent inimica & inepta, quæ interdum in hoc cœnum, in has ſordes abiicerentur, reponendum eſt: quàm mimica & inepta: vt rectè ſcriptum in veteribus editionibus. Apud Valerium Max. lib.8. cap.7. membranæ manuſcriptæ habent: ſub capite Sophronis mimos habuiſſe fertur. at in vulgatis libris eſt, Sophronis numeros. Seneca etiam lib.20. ep.115. vbi de mollitie Mæcenatis agit: Hunc eſſe qui in tribunali (inquit) in roſtris, in omni publico cœtu ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, excluſis vtrinque auribus, non aliter quàm in nummo diuites fugitiui ſolent. Sed in melioribus exemplaribus legitur, quàm in mimo diuites. quod rectius eſt.

Suetonius emendatur.
Plinius correctus.
Valerius reſtitutus.
Seneca.

Seruili ſtropha. Ita vulgò, v.c. habet, ſeruuli, placet tamen magis vulgata lectio. Sic enim Symmachus lib. 9. ep. 13. ſeruilem nequitiam nuncupat. & lib.7. ep.8. ait ſeruis familiarem eſſe improbitatem. Veteres quidem ſemper habuerunt ſuſpecta ſeruorum ingenia, illíſque ingenitas eſſe fraudes crediderunt. Terentius alicubi: Ne faceres quod vulgus ſeruorum ſolet, dolis vt me deluderes. Apud Saluianū lib.3. de prouid. Dei, vitia ad ſeruos relegata, eíſque adſcripta dici legimus. & lib.8. animos ſeruiles iam per ſe malos dominorum nequitia fieri peiores. Sic l.3. C. de libert. & eor. lib. dixit recipere nequitiam ſeruilis ingenij. Sic Arnobius lib.4. petulan-

Seruilis nequitia.

tis amoris flammam ſeruilibus obumbrare fallaciis. Corncl. Tacitus lib.14. Suſpecta(ait)maioribus noſtris fuerunt ingenia ſeruorum, etiam cùm in agris aut domibus iiſdem naſcerentur, charitatémque dominorū ſtatim acciperent. Vetus ad hæc fuit prouerbium, tot nos habere hoſtes quot ſeruos, vt eſt apud Senecam epiſt.47.

AD EPIST. LXXX.

Quum maneat. Ita v.c.malè in editione Scotti: cùm maneat hîc dies, qui te nobis filiam dedit. Malè etiam Frobenij editio: quum maneat hîc dies, qui nobis filiam dedit.

Mihi ingrauata. Ita v.c.Frobennij lib.mihi non ingrata. In Scotti lib. mihi ingrauatur.

NOTÆ AD LIB. VII.

AD EPIST. XVIII

Rure mutaueram. Ita puto legendum: non autem, ire murraueram, vt erat in v.c.perperam. Similis error etiam hodie extat apud Aſconium Pædianum in orati.pro Cornelio: & propterea quòd, ait, ipſe Sulpicius Cóſul armis ire oppreſſus eſſe viſus eſt. Nā credo reponendū, iure oppreſſus.

Aſconius correctus.

Verum me operatum. v.c.habebat, vtrum me.

Palloris ſigna. v.c.palluris, vnde emendaui, palloris. Veteres librarij ſæpe duas illas litteras o.& u.temerè permiſcent, vt cùm ſcribunt, futtunā, popolum & cætera huiuſmodi. Pallor autem conſanguineus ſtudiorum eſt, vt non malè hoc loco pallorem cum vigiliis litterariis coniungat. Perſius Saty.5.

Pallor ſtudiorum.

At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis.

Martianus Felix Capella lib.1.Satyrici: An verò quiſquam(ait)eſt, qui philologiæ ſe afferat peruigilia laborata, & lucubrationum præmium neſcire pallorem? Et Imperator Theodoſius Nou.de Theod.cod. auctor. ſcribit ſe dubitare, quæ cauſa faceret, vt tantis propoſitis præmiis, quibus artes & ſtudia olim nutrirentur, tam pauci extiterint, qui plena iuris ciuilis ſcientia ditarentur, & in tanto lucubrationum triſti pallore vix vnus aut alter receperit ſoliditatem perfectæ doctrinæ. Verba ſunt conſtitutionis. Itaque ſuauiter Apuleius Apolog.1.cùm aduerſariorum ſcommata refellit, à quibus vt formoſior reprehendebatur: Hæc defenſio, ait, multum à me remota eſt, cui præter formæ mediocritatem, continuatio etiam literati laboris omnem corpore gratiam detergit, habitudinem tenuat, ſuccum exſorbet, colorem obliterat, &c.

AD EPIST. XIX.

Sino vt amici. Ita v.c.vulgò erat, ſi modò amici tui.

Et vrbem Tyburtem, quæ tibi nuper faces pratulit, communem Iunoni & Herculi facere. Hæc eſt v.c.ſcriptura verior. Editio enim Froben.habuit: & vrbē repetas Tyburtē, quę nuper tibi faſces prætulit, cōmunē Iunoni & Herculi. Reuerteris &c. Editio Scotti huic conſentiebat: niſi quòd pro, faſces, habuit

buit, faces. Neque à vulgatis liber Pithœi quicquam diſſentiebat, niſi quòd, pro faſces, habuit, facem. Hîc autem videtur alluſiſſe auctor ad morem priſcum, quo faces in nuptiis adhiberi ſolitas lippis & tonſoribus cognitum eſt.

Cãtu aut manu. Id nõ temerè additũ eſt ab auctore, & animaduerſione dignum mihi eſſe videtur. Nam in veneficiis non ſolùm voces, ſed etiam manus operam ſuam exhibebant. Ennodius in vita Epiphanij Ticinenſis: Numquam (ait) ſic aſpides duras verborum digitis incantator Theſſalus, aut violentis poterit euocare carminibus, quomodo ille effectum petitionis ſuæ negaturis extorquet. Sic enim lego. Sed & Virgilius lib. 7. Æneid. *Vox & manus in incãtationibus.* *Ennodius correctus.*

Spargere qui ſomnos cantúque manúque ſolebat,
Mulcebátque iras, & morſus arte leuabat:
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Eualuit, neque eum iuuere in vulnere cantus.

Poſt repotia in Cœlum larem. Sic omnes libri, excepto Pithœano, in quo erat: poſt repoſitum in cœlum larem. Sed ea lectio probari non poteſt, quæ à ſententia auctoris aliena eſt. Repotia verò dicta ſcribit Feſtus, quia poſtridie nuptias apud nouum maritum cœnabatur, & quaſi reficeretur poratio. Acro, Repotia (ait) dicuntur dies qui ſequũtur nuptias: quoniam mutuis conuiuiis ſe frequenter inuitanr, quæ Græcè ποδλοςρορία, aut mutuæ inuitationes. Horatius 2. Serm. Saty. 3. *Repotia.*

Ille repotia, natales aliósve dierum
Feſtos albatus celebret.—

Vide Cujacium obſ. lib. 16. cap. 29. & Turneb. aduerſ. lib. 3. cap. 6.

AD EPIST. XXVII.

Vt Pontificium tuum. Exiſtimo me vera ratione ductum, hunc locum reſtituiſſe. Nam in v.c. erat, pnotificium, litteris inuerſis. quod nullius ſenſus capax eſt. Et quia caſus ita tulit, vt emendatio & coniectura mea liquidò confirmetur, quæ ſuper hac voce teſtimonia inter legẽdum notauerim, non grauabor adſcribere. Nec enim paſſim cognita eſt eius vis ac ſignificatio. Accipitur autem pontificium pro iure, facultate ac poteſtate aliquid faciendi. Symmachus lib. 5. epiſt. 17. Habeo expoſtulandi tecum probabiles cauſas: quandoquidem pontificio iterati honoris auctus, nullum mihi indicium communis gaudij præſtitiſti Et lib. 10. ep. 44. factu optimum credidi, vt æternitati veſtræ cauſæ iſtius pontificium reſeruarem. alloquitur verò Imperatores. In Codice Theodoſiano quinque locis hæc vox extat, quos adnotabo. In l. 1. de bon. mater. Sin in parentum poteſtate atque dominio, vt fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur. & l. 3. de Epiſc. aud. habituro pontificium ſacræ diſceptationis Timotheo Epiſcopo. In l. 13. de hæret. harum profeſſionum vel pontificium vel miniſterium vindicarunt. In l. 2. de apoſtat. ſed etiam ſub adipiſcendæ pontificio hæreditatis vſurpandorum poteſtate excludi. In l. 1. de fid. cathol. neque his penitus poſthac *De Pontificij voce.*

obtinendarum Eccleſiarum pontificium facultatem permitti.In legibus Burgundionum tit.40.de manumiſſionib. (intelligo autem editionem auctiorem illarum legum quæ Lutetiæ procurata eſt)ita ſcribitur.Huius verò actionis pontificium circa manumiſſores tantùm de libertis ſuis præcipimus cuſtodiri.Et in legibus Longobard. tit.35. pontificium habeat cùm monimine ſuo dicendum quod voluerit: & tit.39.non babeat pontificium,qui emit,aut qui fiduciauit, quod dederat requirendum. Solinus in Poly.cap.25.in fine:qui peregrè proſequebantur, pontificiũ mox intra ſuos fines receperunt. Arnobius comment.in pſal.68.hi accipiunt pontificium iudicandi & corripiendi. Chalcidius in Timæum Platonis:effecti operis pontificium & auctoritatem manibus magis quàm diſpoſitioni mentis ſolemus adſcribere.Idem alio loco. Sed ex ea parte membrorum vitalium, in quibus pontificium viuendi ſitum eſt. In veteri prætereа relatione Stephani Epiſcopi,qui temporibus regis Haiſtulphi & Pipini vixit,ita ſcriptum eſt:Ob venerationem prærogatiuæ eius,qui illigandi & ſoluendi pontificio,claues regni cælorum à domino Ieſu Chriſto accepit. Sic in teſtimonio aduerſus Marcellinum Epiſcopum,quod extat tomo 1.concil.non ex nobis iudicabetis,tuo enim pontificio condemnabetis, & noſtro teſtimonio explicaberis. & in cap. 6. cùm ſis.de auct.& vſu pal.dicitur per vſum pallij plenitudinem pontificij deſignari.Denique ita diuus Proſper Aquitanicus lib. de gratia Dei, Pulſi pontificio (ait) & communione priuati. Hæc cùm ita ſint, non poſſum non vehementer improbare eorum audaciam aut inſcitiam potiùs,qui hanc vocem ſede ſua deturbarunt apud A.Gellium lib.1. cap.13. Nam cùm in libris Aldinis & aliis melioribus legeretur: ſunt non pauci qui ſententiam ſuam vna in parte defixerint, & re ſemel ſtatuta deliberatáque ab eo, cuius negotium id pontificiúmque eſſet,nequaquam putauerint contra eius dictum faciendum. Correctores quidam repoſuerunt : cuius negocium id potiſſimum eſſet.adeò vt à Gellianis aliquot codicibus pontificium exulet. Deductum autem id verbum eſt à poſſe & facere,vnde & pontifices vocatos Scæuola exiſtimauit. Facere enim apud veteres ſactificare eſt.Cenſorinus lib.de die nat.cap.1. quid cauſæ ſit,vt merum fundendum genio,non hoſtia faciendum putauerit? Nam hæc eſt vetus & germana lectio,quam cùm non aſſequeretur vir eruditus,ad oram libri formis excuſi adſcribi curauit : non hoſtiam feriẽdam putauerit. Sed fallitur, alióſque in errorem ſecum traxit. Profectò medicinam ſano facere inſanire eſt,nec eſt cuiuſuis tentare emendationes.

Gellij lectio reſtituta.

Cenſorini lectio defenſa.

AD EPIST. CIX.

De eruendi verbo.

Quibus facilè,ſi ſuffragium tuleris, eruetur. Ita diſertè v.c. vulgati codices habent, ſeruetur,pro eruetur.Sic in l.1.C.de locat.præd.ciuil.ex officiorum facultatibus ſeruentur:legit Cujac. eruentur: ſecutus lectionem l. 1.C.de grege dom.in qua rectè ſcriptum eſt: vt ſciant ſinguli libras auri ex propriis facultatibus eruendas. Sæpe verò aliàs ita locutus eſt Symmachus,vt lib.9.ep.6.& debita ab obnoxiis ſeruis eruenda mandaui.&

lib.10.ep.62.à quibus pleraque ſeruitia Palatinus Euſebius iuſſus erue-re. Sic l.2.C.Theod.de vſuris: dixit aliquid ſub neceſſitatis occaſione vltra centeſimam iure permiſſam eruere.Et Theodericus in edicto cap. 14.addictos & damnatos iudiciis,violenter à clericis erui. Ammianus Marcell.lib.25.eruere oppidum ait.& lib.26.eruere aurum. Mamertinus in Paneg.domus erutas.apud Tullium lib.2.ad Attic.ep.15.ita legit Turnebus:tamen ſiue eruet Rempublicam &c. Nam vulgò paſſim: tamen ſiue ſeruet Remp.Vegerius lib.4.cap.26.Romanum nomen ferè Gallos eruiſſe dixit,de obſidione arcis Capitolinæ agens. Tertullianus etiam in apolog.cap.2.ſi eruiſſent aliquem, qui centum iam infantes comediſſet. Quæ vox idem eo loco valere videtur ac deprehendere: & paulò pòſt. Leges malos erui iubent,non abſcondi: confeſſos damnari præſcribunt, non abſolui.

AD EPIST. CXX.

Niſi verba. Ita lego,licèt ſit in v.c. ſi verba:& paulò pòſt repoſui,munita legibus cauſa:perperam enim idem v.c.habuit,minuta. Multa ſunt alia leuiuſcula eiuſdem generis à me toto hoc opere correcta,quæ ſi ſemper proponerem, ſuperſtitioni verterentur.

AD EPIST. CXXIX.

Paruo ære. Ita omnes libri,quamuis etiam reponi poſſit non malo ſenſu,paruo ære.

NOTÆ AD LIB. VIII.

AD EPIST. I.

Honorum culmine. Vide Sidon. Apoll.lib.4.ep.14.

AD EPIST. II.

Multa lex. Ita v.c.fortè melius,multa ales à te: vel, multa lanx à te.Id enim videtur ſenſus poſtulare.

AD EPIST. IIII.

Polliceor enim reſponſis tuis paria. Ita lib.Froben.vetus codex habet,polliceor itidem cum reſponſis.Paria facere eſt iuſtas rationes reddere,& totum debitum ſoluere,vt ex Iureconſultis & aliis notum eſt.

AD EPIST. XXI.

Stilo exculpta. Ita libri vulgati.vetus codex habet,ſtilo ſculpta.Verbũ illud in deliciis eſt Symmacho: vt lib. 1. ep.28.atque exſculpere à te aliquid litterarum.Vbi tamen peſſimè liber Scotti legebat,expoſtulare,pro exſculpere. Et lib.10.ep.47.adhuc difficilis exſculpit exactio.& alio loco,reliquum ab obnoxiis exſculpendum intimauit.Exſculpere etiam aliquid litterarũ dixit diuus Ambroſius ep.76.& exſculpere multam l. 44. & l.65.C.Theo.de appell.& aliquid de prouincialiũ fortunis exſculpere l.3.eod.C.The.tit.de anno.& trib.ſportulæ ſolẽnis reſpectu exſculpere l.9.eod.C.Theo.de cohort.exſculpere multã ad pœnã admiſſi facinoris *Exculpere.*

l.5.C.de modo mult.Lucillius apud Noniũ,prædã eſurienti leoni ex ore exſculpere dixit.Prudentius poëta in Harmatig. viperam per ſcelus ortum exſculpere. Denique Diuus Proſper. de promiſſ. & prædict. Dei parte 3.de Eutropio agens: Cùm in contumeliam (ait) Eccleſiæ edictum obreptitiè ab Arcadio Chriſtiano imperatore ſculperet,vt ſi quis ad eam confugeret,etiam ab altari ſublatus pœnas lueret &c.

AD EPIST. XXIIII.

Amoris in te noſtri interpretem. v.c.habuit, amoris in te noſtri teſtem: alij codices,interpretem.Sed tamen malim retinere ſcripturam veteris libri.Nam video Symmachum lib.1.ep.98.dixiſſe libellum teſtem vigiliatum.Et eodem exemplo lib.4.ep.24.litteras teſtes decoris. Nec verò eſt nouum res anima & ſpiritu carentes teſtes dici.Sic Aur.Caſſiod.Var. 11. ep.10.officia teſtes eſſe actuum iudicis ait.D. Ambroſius offic.lib.1. cap.50.publicam exiſtimationem & atteſtationem eſſe debere operum noſtrorum teſtem. Curtius Ruffus lib. 7. violentiam & temeritatem verborum,eſſe animi ſceleſti indicem ac teſtem.Titus Liuius lib. 2. dec. 1.teſtes honeſtarum pugnarum cicatrices aduerſo pectore oſtentare. & l.vlt.C.de ſent.paſſ.filios habere libertatem,non damnationis, ſed lenitatis paternæ teſtem.

AD EPIST. XXVII.

Emendatus codex Theod.

Impreſſum altiùs. v.c.pro altiùs,habebat, alterius.Sed vitiosè. nec id notarem niſi hic error cauſam daret emendandæ l.8.C.Theod.de deſerr. quia nondum id indicatum puto. Nam vbi vulgò legitur: & nonnumquã ſe alterius erigente cenſura:ſcribendum videtur,ſe altiùs.Et in l.5.de re milit.eod.Cod.qui alterius gradus militiæ ſalutarem maximè Reip. operam perſequuntur. Exiſtimo legendum eſſe ex legis ſententia:qui altioris gradus.Multa ſunt alia à me emendata coniecturis in illo Codice, quæ hîc proponerentur, niſi in aliud tempus reiicere melius & commodius eſſet.

Rerum fuga ſit. Ita lib.Frob.at rectiùs in v.c.rerum fuga viuitur: ciúſque lectionis veſtigia in editione Scotti remanſerant, vbi ſic: rerum fuga iuuit.Liber verò Pith.rerum fuga irruit.

Defrui quid.

Et colloquio tuo defrui. Sic v.c.vulgò legebatur,& colloquio tuo frui. Defruẽdi verbo ſępe vtitur auctor.itaq; ferè ſemper illi reddidi,ſi quãdo ſede ſua deturbatum repperi.lib.1.ep. 45. Non poteſt benè defrui ocio, qui ſuis abſentibus timet.& lib.6.ep.71.omnium quæ capitis parte defruimur.lib.7.ep.1.vt ego feſtorum tuorum coram defruar voluptate. Et li. 10.ep.32.quæ hodie corporum poſſeſſione defruitur.Feſtus Pompeius:Defrui,ait,dicebant antiqui, vt deamare, deperire, ſignificantes omnem fructum percipere.

AD EPIST. XXXI.

Quòd cognata ſapientia. Fuit hæc lectio v.c.pura puta.quamobrem reieci & damnaui vulgatam ſcripturam habentem, quòd cognita &c. Eadem dicendi forma idem lib. 10. epiſt. 1. ait virtuti cognatum pudorem.& epiſt.44.lib.10.moribus ſæuis(malim legere, ſcæuis)familiare

eſſe atque cognatum armare ſpiritus immunitatis exemplo. Sic alicubi Horatius vocabula rebus cognata dixit. Ammianus Marcell.lib.18. hominum mentes cognatas celeſtibus. Plinius lib.36. cap.24. gypſum rem eſſe calci cognatam. Enuodius,laborem eſſe diſciplinæ amicum,& relligioni quadam cognatione ſociatum: & alio loco pudori cognatam eſſe coniungendam pudicitiam.

AD EPIST. XLI.

Studiis conſtituto. Ita v.c.malim,ſtadiis.

Subtilitas precanda. Sic habebat v.c.malim reponere prædicanda.

Raritas ſcripta. Sic lego, non autem charitas, vt eſt tamen in v.c. Ceterùm quòd de rupta magiſtratus veſte ſubiungit,non malè ad importunitatem referetur. Sic Martialis lib.1.epig.17.

Procul horridus liburnus, & querulus cliens,
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus ſomnum reus,
Sed manè totum dormies.

Memini etiam Tranquillum ſcribere Claudij Cæſaris patientia adeo ſolitos abuti cauſidicos,vt illum diſcedentem à tribunali non ſolùm voce reuocarent,ſed etiam lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenſo retinerent. De ſalutatoribus verò quia res cognita eſt nihil adiiciam,niſi locum Mamertini in Paneg. vbi ita ſcribendum eſt. Ac libertatem ſuam ſalutator vilis imminuat.Nam malè in excuſis libris eſt, ſaluator. Et apud Columellam in præfat.lib. 1. de re ruſt.ſic puto eſſe emendandum.An honeſtius duxerim mercenarij ſalutatoris mendaciſſimum aucupiũ circumolitâtis limina potentiorũ,ſomnúmq; regis ſui rumoribus inaugurantis? Nam vulgò ſcriptum legitur,mercenarij ſaltatoris. *Mamertinus correctus.* *Columella emendatur.*

AD EPIST. LXIII.

Offenderat bonos. Sic v.c.vulgò,offenderat nos.

Diluit fortuna &c. Ita rectè v.c.malè Frobennius,diluit fortuna peccatum tuum,quæ nobis de patria feſtinatione reſtitit. Malè etiam Scottus,dil.fort.pec.ſuum,quæ nobis de patriis feſt.reſtituit.

AD EPIST. LX.

Enauigato maleo &c. Hæc fuit ſcriptura v.c. Liber Pith. habuit enauigato malo.Vetus autem fuit prouerbiũ, Cùm Maleam deflexeris, domeſticorum obliuiſcere. quod inde natum ſcribit Strabo lib.8. Geog. maria ſupra Maleam promontorium propter aduerſos ventorum flatus infeſtiſſima fuiſſe nauigantibus. Quare Italos Aſiaticóſque mercatores omiſſo ad Maleam curſu,Corinthum diuertere ſolitos, aduectis eò mercibus.Non diſſimile illud eſt Ouidij in Heroicis. *Maleum enauigare.*

Auſus es, ô omnium nimiúmque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere caſtra dolo.

NOTÆ AD LIB. IX.

AD EPIST. X.

Eóque dignius eſt boni cuiuſque ſuffragium &c. Locus hic ita excuſus fuit vt habebatur in editione Frobennij. Non tamen omni carere videtur vitio: proponam verò ſcripturas aliorum codicum, vt lector diiudicet. Scotti editio eſt: eóque dignius eſt boni cuiuſque ſuffragium vllis edictis deſignationem perſonarum videmus expreſſum. At in v.c. ita eſt: eóque dignior eſt boni, cuius vſus vllis edictis deſignationem perſ.&c. Liber Pith. ſic: eóque dignius eſt boni cuiuſque ſuffragio, velut edictis deſignationem perſonarum videmus expreſſam.

Tabularij. *Sed principalibus & tabulariis.* In aliis cod. particula, &, omiſſa eſt. De tabulariis qui rationes publicas tractabant extat titulus in Cod. Iuſt. & Theodoſ. Alij fuere tabularij, quorum meminit Seneca lib. 13. epiſt. 89. Cuius (ait) patrimonium tabularios laſſat. Et Ammianus Marcellinus lib. 28. Nec ſi fieri fuiſſet neceſſe inſtructiones, vel ex ipſis tabulariis ſuppeterent. Et apud eundem auctorem initio lib. 28. ſic videtur legendum. Obſcuriſſimè natus eſt patre tabulario præſidialis officij. Nam vulgò eſt excuſum, tubulario. *Ammianus notatur.*

Capitulani. Ita vno conſenſu omnes libri. Sunt tamen quibus placeat, capitularij.

AD EPIST. XXIII.

Cultu ſalutationis. Ita legendum eſt. Nam male v. c. habuit ſaltarionis. Sed & paulo poſt emendaui & ſcripſi, quibus emendas ex Hiſpania curules quadrigas. Nam in eodem v.c. erat litteris abraſis: quibus mendas ex Hiſpania curules quadrigas. Quæ quidẽ emẽdatio certiſſima eſt, & confirmatur apertè ex iis quæ Symmachus profert lib. 4. epiſt. 60. & epiſt. 64. & lib. 7. epiſt. 105. & epiſt. 107. & lib. 9. ep. 12. 18. 19. 20. & 22. in quibus omnibus fit mentio Curulium quadrigarum ſiue equorum Hiſpani ſanguinis, de quibus etiam titulus in Cod. Theodoſ. lib. 15. tit. 10. & de iiſdem agitur l. 3. eod. Cod. Theod. tit de ſpectacul. & in l. 21. & l. 22. eod. Cod. Theod. tit. de diuerſ. offic. ex quarum legum collatione emendanda videtur l. 7. Cod. de numer. actuar. vbi equus curialis legi malè videtur pro curuli. Equorum vero Hiſpanorum velocitas nota eſt, ex Iuſtino lib. 44. & Plinio lib. 8. cap. 42. quo loco vento concepti eſſe dicuntur. Et Apuleius lib. 4. de aſino aureo ſtatim in principio, de celeritate equorum Curulium agens ita ſcribit: Curſu me concito, ait, proprio, vt hercule ipſe ſentirem non aſinum me, verumetiam equum curulem nimia velocitate refectum. Qui locus facit, vt ego non improbandam arbitrer lectionem libri Pithœani, qui apud Symmachum lib. 4. epiſt. 60. ita habet: quadrigarum curracium nobilitas præparanda eſt. Nam omnes alij libri vno conſenſu legunt: quadrigarum curulium nobilitas &c. Quod quidem hoc loco latiùs explicare viſum eſt, quia in ſu-

De equis curulibus. *De celeritate equorum in ludis.*

perioribus ad librum 4. notis omiſſum eſt. Sciendum eſt igitur in eiuſmodi ſpectaculis, mirificè placuiſſe equorum celeritatem & alacritatem, adeo vt Capitolinus narret Verum imperatorem volucri equo Praſino aureum ſimulachrum feciſſe. Quinetiam multi ex agitatoribus aduerſariorum equos dæmoniacis imprecationibus impediebant, vt ſuos ad curſum facilius impellerent. Inde Caſſiodorus lib.3. Var.ep.51. de quodam nobili auriga loquens. Frequentia palmarum (ait) eum dici faciebat maleficum. Neceſſe eſt enim ad peruerſitatem magicam referri, quando victoria equorum meritis non poteſt applicari. Arnobius lib.1. aduerſ. gent. paulò poſt medium de magorum artibus loquens: Quis enim hos neſciat (ait) familiarium dirumpere charitates, aut ſine clauibus reſerare quæ clauſa ſunt, aut ora ſilentio vincire, aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare &c. Docet id etiam Diuus Hieronymus in Hilarione. Ex qua obſeruatione, rectè vidit Renardus pendere interpretationem l. 9. quicunque C. de malefic. & mathemat. in qua illa verba, id eſt aurigis, videntur eſſe gloſſemata quæ ex ora libri in textum irrepſerint, cùm abſint à Cod. Theod. vnde illa lex deprompta eſt. Inde etiam videri poteſt lux adferenda Ammiano Marcellino lib.26. in prin. vbi ſcribit Aptonianum Præfectum vrbi capitali animaduerſatione damnaſſe Hilarium aurigam conuictum ac confeſſum vix dum pubeſcentem filium ſuum venefico tradidiſſe docendum artium nefariarũ ſecreta legib⁹ interdicta, vt nullo cõſcio adminiculis iuuaretur internis. Sanè idem Ammianus duobus aliis locis, eiuſmodi aurigis neſcio quid criminis impingit. Nam lib.14. ita ſcribit. Adhibetur is qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem teſſerariam profitetur, aut ſecretiora quædam ſe noſcere confingit. Idem lib. 28. alius ſi creditorem ſuum (ait) flagitare moleſtiùs aduerterit debitum, ad aurigam cõfugit audentem omnia prælicenter, eúmque vt veneficum curat vrgeri. Sed vt ad equos curules ab aurigis redeam, horum etiam meminit idem Ammianus lib.20. his verbis. In compendium redigam breue. Equos præbebo curules Hiſpanos. Idémque lib. 14. & lib. 20. Meminit curulis certaminis. Lampridius in Commodo: Imitatus mercatores circunforaneos, equos curules ſibi comparauit. De his etiam extat illud elegans teſtimonium Diui Ambroſij in apologia Dauid cap. 9. Plerique equorum cùm ceciderint (ait) ſe iactare conſuerunt, & quos caſus non læſerit, iactando ſe debilitant & frangunt. Alij qualis Græcorum equorum fertur natura, cùm in certamine curuli eliſi fuerint, vel fortuitò ceciderint, nequaquam ſe mouere conſuerunt, & quandam tenent quietis & patientiæ diſciplinam. His ſi caſus non nocuit, quies prodeſt. Certè non acerbatur offenſio. Nonne mutis animalibus deteriores æſtimandi qui ſe in flagitiis ſuis iactant, & putant inſigne eſſe virtutis, vbi lapſus eſt criminis? Hæc Ambroſius. Ceterùm equos curules idem eſſe cum Circenſibus alij iampridem notarunt. Nam & in veteri gloſſario Græco-

Ad l.9.C.de malefic.

De aurigis obſeruatio.

Equorum curulium mos.

latino ita ſcriptum legitur. Curulis equus, τροχηλάτης ἵππος. equus Curulis ἵππος δρομεὺς.& alio loco, σὺν ἅρματι ἀγοριζόμενος ἵππος.

AD EPIST. XXVIII.

Pars & portio. *Et homini pars mea, puta rogatus ignoſce.* Ita ego ex coniectura ſcribendum eſſe credidi. Nam ferri non potuit lectio v.c. habentis, & homini paras mea vt arrogatus ignoſce. quanquam etiam legi poteſt, vt rogatus. Eodem ferè ſenſu idem auctor lib.3.ep.50. tu abes pars mea antiqua amicorum meorum, & epiſt. 66. quanta ſit in domino meo Flauiano pectoris mei portio, & ep. 81. vt amiciſſimum fratrem, vel quod eſt verius, partem mei diligas. Perſius Saty.5.

---quantáque noſtra
Pars tua ſit Cornute anima.---

Paulinus ep.12. ad Seuerum, tu pars noſtri maior & melior, tu requies noſtra, tu gaudium. Rutilius Claudius itiner.lib.1.

Prouecta eſt anima portio magna mea.

Et alio loco, Victorinus enim noſtræ pars maxima mentis. Non ſunt diſſimiles illæ blandiendi formulæ, quibus aliis locis vtitur Symmachus, dum ſuos vocat, decus & lucem ſuam. Sic Petronius Arbiter, tu deſiderium, tu voluptas mea. Horatius lib.1.odar. O deſiderium & dulce decus meum. Apuleius in epigr. Florea ſerta, meum mel, & hæc tibi carmina dono. Et alius poëta vetus: Cur differs mea lux rogata ſemper. Plinius lib.8.ep.1. Encolpium vocat ſua ſeria, deliciáſque ſuas. & Iulius Capitolinus ſcribit ita dilectum Gordianum, vt populus delicias ſuas diceret, Senatúſque filium. Cæterùm cum hac epiſtola coniungenda eſt epiſt. 39. ſupra lib. 5. ad Neoterium. eiuſdem enim ſunt argumenti.

AD EPIST. XXXIII.

Excudere. *Extundam quandoque.* Sic vulgò. Sed v.c. habet, excudam, cui conſentit editio Scotti, nec ſcio cur à correctoribus immutata ſit ea vox. Nam aliàs ita locutus eſt auctor: vt infrà hoc lib.9. ep. 117. Vt aliquid, ſi fieri poſſet, excuderet. Sidonius Apollin. lib.3.ep.vlt. hanc voluptatem non operis effectus excudit, ſed auctoris affectus. & lib.9.ep.11. tetricis puncta cenſoribus tardiùs procacitas recitatoris quàm trepidatio excudit. Itaque puto eundem ſcripſiſſe lib.9.ep.9. ius voluptatis excudat præconij neceſſitatem. Nam vulgò eſt excludat, & lib. 6. epiſt. 3. auctoritas coronæ tuæ diſſimulantibus ſtudeat excudere reſponſi celeritatem.

AD EPIST. XXXIX.

Quapropter Benignus V. C. *filius meus.* Ita reſtitui ex v. c. Nam vulgata lectio interpollata erat hoc modo: Quare vt eſt filius meus Benignus rei frum. &c.

Puræ manus. *Et puris manibus.* Ita vulgò rectiſſimè. Habebat tamen v.c. puris monibus: vnde quidam efficiebat, moribus. Sed prior lectio longè eſt elegantior. Puras etenim manus hoc loco vocat, quæ ſæpe apud Iuſtinianum

num in Nouellis καθαρῶν χεῖρες dicuntur. Et hoc ſi teſtimoniis aliorum ſcriptorum confirmetur,non erit inutile.Ex veterum ſentẽtiis illa imprimis laudatur.

Puras deus non plenas adſpicit manus.

Plautus in Amphitr. inuocat deos immortales, vt ſibi auxilium ferant, manibus puris,capite operto. Apuleius lib.4.Florid. In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vindicantur, cruenta mente,pura manu. Suetonius in Veſpaſ. cap. 9. Pontificatum maximum ideò ſe profeſſus accipere,vt puras ſeruaret manus, fidem præſtitit. Seneca lib. 3.nat.quæſtio.Quid eſt præcipuum?non admittere in animum mala cõſilia,puras ad cœlũ manus tollere.Vale.Max.lib.7.cap.2.Thales interrogatus an facta hominum deos fallerent:Nec cogitata,inquit,vt non ſolùm manus,ſed etiam mentes puras habere vellemus. Idem Valerius li. 2.cap.1.ſacras manus vocat,vel,vt rectius eſt in vetuſtis libris,ſanctas.Fabius decl. 275. integras inuiolatáſque. Caſſiodorus lib.11. in edicto 8. innoxias. Tullius lib.1. offic.abſtinentes. & Auſonius in Panegyrico lautas manus dixit,mentem puram, immaculabilem conſcientiam, ſynceram cogitationem.

De Sardinia. Malè v.c. Sordinia.quod enim de re frumentaria adiicit auctor,id lectionem vulgatam defendit. Etenim Sardiniam tritici feracem eſſe notat Strabo lib.5. Hinc eſt quod Horatius lib.1. ode 31.vocat ſegetes feraces opimæ Sardiniæ & Prudentius lib.2.in Symmach. dixit claſſem vehementem granaria cõgeſta Sardiniæ. Romana rumpere hordea. Valerius lib.7.cap.6.ait Sardiniam & Siciliam benigniſſimas fuiſſe vrbis Romæ nutrices. Saluianus lib. 6. de vero dei iudicio, Sardiniam Siciliámque appellat fiſcalia horrea,& vitales vrbis Romæ venas: vt etiã Lucius Florus lib.4. cap. 2. Sardiniam & Siciliam annonæ pignora dixit. *Sardinia ferax.*

Nihil enim &c. Quod ait Symmachus Benignum adeò fuiſſe innocẽtem,vt nihil ex Sardinia retulerit niſi afflictam valetudinem & bonam conſcientiam:id in mentem reuocat verba Graechi, quæ relata ſunt ab A.Gellio.lib.15.cap.12. Cùm, inquit,rediret ex Sardinia,de ſua parſimonia & continentia hæc protulit.Cùm Roma profectus ſum,zonas quas plenas argenti extuli,eas ex prouincia inaneis retuli &c. Neque verò temerè dixit Symmachus ex Sardinia Benignum afflictam valetudinem retuliſſe:quandoquidem peſtilens & grauis cœli fuit Sardinia, vt liquet ex Clandiano li.de bello Gildonico in fine.Cornelius Tacitus lib.2.Annal.in fine,refert ſub Tiberio fuiſſe factũ Senatuſconſultum,vt quatuor millia Iudæorum & Ægyptiorum in inſulam Sardiniam veherentur. qui ſi interiiſſent ob grauitatem cæli, vile damnum habitum.Hincque liquet cur Martialis lib.2.dixit in medio Tybure Sardiniam eſſe.Id enim prouerbiali figura extulit.

Nulla conquæſtiones. v.c. habet: Nulla conquæſtio ſemper ad arguendũ parata.

Præmium eſt. v.c. precium eſt, vt etiam habet lib. Pithœi. Sic ſupra lib. 8.ep.53. preciũ ferre obſequij dixit, & ep.69. preciũ litteris rependendũ.

Quod decliue ad impetrandum &c. Ita vulgò legitur. Tamen vetus codex habet: quod mihi decliue ad impetrationem videtur, cùm te delectet &c.

AD EPIST. XL.

Quæ fidem pactarum repetit nuptiarum. Sic v.c. at in v.c. ſcriptum eſt: quæ fidem pacturam rep.nupt. Sed magis arridet vulgata lectio. Nam mox dicitur, Pactas filiæ tuæ nuptias. Sic ſupra lib.7.ep.20. Nam pactæ ei & nobis arbitris iunctæ obligatione pignorum nuptiæ denegantur. Pactæ olim ſponſæ dicebantur l.2.d.de ſponſ. Virgil. gremio adducere pactas. Arnobius lib.4. Vxores enim dij habent, atque in coniugalia fœdera cõditionibus veniunt antè quæſitis, vſu, farre, coëmptione (ſic legendum eſt) genialis lectuli ſacramenta conducunt. Habent ſperatas, habent pactas, habent interpoſitis ſtipulationibus ſponſas. Sed & pactas nuptias alij interpretantur, habita ratione verborum ſolemnium, quomodo pactis verbis aliquid legare dixit Vlpianus lib. reg. tit. de leg. & idẽ Arnobius lib.7. cum pactionibus & formulis adorare. *Pactæ nuptiæ*

AD EPIST. XLII.

Credo aũt te fãdo &c. Sic vulgò. at v.c. credo te fãdo aut lectione didiciſſe.

Spretis igitur &c. Totum hunc locum ita ſuppleui ex fide v.c. Nam illa verba, vſque ad memoriam mancipaui, deerant in excuſis lib. vt & in codice Pith. in quo tamen pro mancipaui, legebatur applicui.

Sæpe petita. Sic v.c. vulgò ſerò petita.

AD EPIST. LI.

Ne ſera conſultatio. Ita v.c. malim tamen legere, ne ſera conſolatio. Nam eodem ſenſu lib.1.ep.94. dixit inſtaurant dolorem ſera ſolatia. Et quidem aliquoties in vetuſtis libris, conſolatio, pro, conſultatio ſcriptũ eſſe teſtantur viri eruditi: vt apud Seruium lib.3. Æneid. Augurium eſt exquiſita deorum voluntas per conſolationem auium aut ſignorum. Alium locum Capitolini ſupra retuli, in quo pro cõſulatúſque medicos, reponendum eſt, conſultúſque medios.

AD EPIST. LIX.

Et ſi ſcio patres auaros eſſe voti. Sic locum hunc expreſſit Ennodius epiſt. ad Stephanũ: Illud ad gaudiũ veſtrum, quo vberius paterna mens exultet, adiungimus, filium veſtrum in ſtudiis liberalibus ingenuitatis teſtimonium iam tenere, & talem ſe in hac cura præſtare, vt auara ſuorum vota trãſcendat. Spes perfectionis eſt, honeſta in adoleſcẽte inchoatio.

Lætari animum. Sic v.c. Quo exemplo Liuius Andronicus apud Noniũ dixit lætare oculos ſpecie optabili. Et Accius, triplici lætare bono.

AD EPIST. LXV.

Venam familiæ veſtræ. v.c. habebat, veniam familiæ. cuius loco ſubſtitui, venam. Nam & idẽ auctor lib.2.ep.29. eodẽ exemplo, vigere fraternam venam dixit, & ep.33. venã morum vocat, & lib.3.ep.81. requirere venas bonorum ait, & li.10.ep.30. bonorum virorum fœcundam venam eſſe.

Sic Macrobius in præfat.lib.1.Satur.venam Latinæ linguæ nuncupat. Paulinus ad Amandum ep.2.venã iuſtitiæ. Tullius in Catilin.venam Reipublicæ.Spartianus in Peſcennino venam paternę diſciplinæ.Apud Caſſiodor.lib.1.ep.41. venam nobilium dictam legimus, & lib.3.ep.6. venã virtutum.Ennodius ad Martianum:Non degenerat,vt video (ait) vena linguarum,& peritiæ ſucceſſio,illo,quo patrimonia,iure diſcurrit. Putabam ſcientiæ dotes rẽ tantùm ingeniorũ eſſe non familiæ,nec duci per ſtemmata,quod labor cõtinuus & indefeſſus ſudor adipiſcitur &c. Sic enim lego & emendo eum locum vulgò corruptum. *Ennodius correctus.*

AD EPIST. LXXIX.

Litteræ tuæ olentes. Ita vulgò.ſed v.c.habet,alentes, vt & liber Pith. vtraque lectio valet. Sic Lucretius lib.2.

---nectar qui naribus halat.

Et apud Virgil.lib.4.Georg.croceis halantes floribus horti.

AD EPIST. XCIX.

Veſtali ſecreto. Sic ſcribendum. Nam malè in v.c. Veſtili. Ita Symmachus lib.2.ep.36.ſacrum Veſtale vocat, quod hic Veſtale ſecretum. Et Pacatus Paneg.tanquam Veſtale aliquod ſecretum veneratio occulta conſuluiſſet. Ex hac autem epiſtola liquet auctorem Põtificem fuiſſe,vt etiã conſtat ex ep.41.& 45.lib.1.& ep.36. lib.2. Quod adiicit de virgine Veſtali ſecretò ſecedere volenti ante annos legibus definitos,id inde lucem capit,quod poſt trigeſimum annum nihil vetabat illas nubere,teſte Halicarnaſſeo lib.2.& Prudentio lib.2.in Symmach. in fine. Diuus Ambroſius lib.1.de virginib.Quis mihi prætendit(ait) Veſtæ virgines & Palladis ſacerdotes?Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum,quæ non perpetuitate,ſed ætate præſcribitur?Petulantior eſt talis integritas,cuius corruptela ſeniori ſeruatur ætati. Ipſi docent virgines ſuas nõ debere perſeuerare,nec poſſe,qui virginitati finẽ dederũt. Qualis autem eſt relligio,vbi pudicæ adoleſcentes iubentur eſſe impudicæ anus?Sed nec illa pudica eſt,quæ lege tenetur:&illa impudica,quæ lege dimittitur.O myſteria,ô mores!vbi neceſſitas imponitur caſtitati, auctoritas libidini datur &c. *Veſtales.*

AD. EPIST. LXXIX.

Ne tibi bonarum artium. v.c.bonarum patrũ,ex quo efficere quis poteſt, bonarũ partiũ,vel partũ,vt notat Soſipater veteres locutos.Sic in l.7.C. de malef.illo loco,occultans artẽ aliquã diuinandi. In vetutiſſimo codice eſt,partẽ aliquã.Symmachus lib.4.ep.57.quæ pl⁹ iuueni bonarũ artiũ cõtuliſſet.Idẽ li.9.ep.102.ſummatẽ ciuilium partiũ virũ reſpicit. Et Sidonius Apollin.lib.2.ep.4.ſic ut decet bonarum partium viros. *Bona partes.*

AD EPIST. CI.

*Laudari ab laudato viro.*Sic ex ſcripturæ veteris veſtigiis ſcripſi & emẽdaui.Nã habebat ille,laudito vro.vitioſè.Id verò ita extulit Mamertin⁹ in Paneg.Iuliani.Putãt aliquid adiicere ad ſplendorẽ laudũ tuarũ Cõſulis nomẽ,&rectè putãt.adiicit enĩ laudũ dignitati honor laudãtis. Sidonius Apol.li.7.ep.8.deSimplicio:ſcitote narrari plurima bona,atq; ea quidẽ à

plurimis bonis. Tranquillus ſanè narrat Principem Auguſtum, componere aliquid de ſe, niſi & ſeriò, & à viris præſtantiſſimis noluiſſe. Et verò ſi contrà fieret, valdè offenſum fuiſſe, admonuiſſéque Prætores, ne paterentur nomen ſuum commiſſionibus obſoleſcere. Eodem etiam exemplo Lampridius refert Alexandrum Seuerum vetuiſſe à famoſis mulieribus matrem & vxorem ſuam ſalutari. Et apud Cornelium Tacitum lib. 4. Annal. Tiberius Imperator vetat per omnes prouincias ſeſe effigie numinum ſacrari, ne ſcilicet vaneſcat Auguſti honor, ſi promiſcuis adulationibus vulgetur.

Tullianum ſtili famæ parcus inuadas. Ita v.c. errore non obſcuro. Exiſtimo tamen emendandum eſſe, Tullianum ſtilum famæ parcus inuideas.

AD EPIST. CV.

Vel ingratorum. Sic lego potiùs, quàm vt eſt in v.c. gratorum. Huius autem elegantiſſimæ epiſtolæ pars tantùm hactenus excuſa legebatur. Itaque ope v. c. ſuppleui quæ deſiderabantur, ſublatis tamen aliquot mendis quæ inſidetant.

Manus inuidas. Sic putaui reponendum & emendandum. Nam v. c. habuit, manus incudas.

Turba. Sic vulgò, ſed v.c. habet turbam. Videtur autem alludere ad Aſpendium citharistam, de quo Tullius 3. in Verrem, & Aſconius.

Placere vni, is eſſet optimus qui probaret. Hæc ego repoſui ex fide v.c. quæ vulgò deerant. In hanc ſententiam Seneca lib. 1. ep. 7. Democritus, ait, vnus mihi pro populo eſt, & populus pro vno. Benè & ille quiſquis fuit, ambigitur enim de auctore. cùm quæreretur ab illo, quo tanta diligentia artis ſpectaret ad pauciſſimos peruentura: Satis ſunt, inquit, mihi pauci. Satis eſt vnus, ſatis eſt nullus. Egregiè hoc tertium. Epicurus cùm vni ex conſortibus ſtudiorum ſuorum ſcriberet: Hęc, inquit, ego nō multis, ſed tibi. Satis enim magnum alter alteri theatrum ſumus.

AD EPIST. CXV.

Addaces igitur & Pygargos. Ita v.c. Plinius autem meminit Addacis lib. 11. cap. 37. & lib. 10. cap. 3. Pygargos ſcribit eſſe genus aquilæ. Iuuenalis Saty. 11. & Pygargus & Scithicæ volucres. Sic enim in quibuſdam libris legitur. In aliis autem, & Pygardus. E caprearum autem ſylueſtrium genere pygardos eſſe volunt ex Plinio lib. 8. cap. 53. quomodo etiā hîc eſſe legendum quidem ſuſpicantur.

AD EPIST. CXIX.

Ex hac epiſtola verum eſſe deprehenditur, quod à Dione ſcribitur lib. 52. & Vlpiano l. 1. d. de offic. Præf. Vr. nimirum Præfectum vrbi ſibi vindicaſſe cognitionem omnium criminum, non tantùm quæ intra vrbem admitterētur, ſed & quæ extra vrbem. Hinc etiam colligere eſt poſterioribus Imperatorum tēporibus, Præfecturā vrbanam de inceſtu Veſtaliū notionem habuiſſe. Quæ res olim ad Pontifices pertinebat, vt liquet ex Plinio lib. 4. ep. 11. Quā verò hoc loco Veſtalē primigeniā vocat Symmachus, vel vt eſt in libro Pith. primogeniā, alij auctores Veſtalē maximā videtur appellaſſe, quæ reliquis ætate, ordine ac dignitate ſuperior eſſet.

Eodem ſenſu Vibidiam Veſtalium vetuſtiſſimam dixit Cornelius Tacitus lib.11.

Quæ publici criminis. Ita diſertè v.c.& liber Pith. ſed tamen non ſine ſuſpicione falſi.

AD EPIST. CXX.

Si exactioni cura competens defuiſſet. Sic emendaui ſecutus lectionem libri Pithœani. Nam horum verborum loco vetus codex habuit, Flexat doni cura &c.quæ non verba,ſed portenta erant.

NOTÆ AD LIB. X.

AD EPIST. I.

Næuum iactantiæ. Malè v.c.nouum.rectiùs alij codices, næuum. Sic idem auctor lib.2.ep.54.dixit violatæ relligionis næuum adtrahere. & lib.3.ep.34.Næui inſtar eſt vt frater meus &c.Eodem exemplo ſuſpicionis næuum dixit Sidonius Apollin. lib. 5.ep.3. & lib. 8. ep. 11. næuum crudelitatis.Caſſiodor.Var.5.ep.8.ingratitudinis nęuum.Honorius Imp. in l.16.C.Theod.de agent.in reb. næuum excuſationis. Valentinianus Nou.de 30.annor.præſc. erubeſcendæ obiectionis næuum. Et D. Ambroſius in apol.Dauid.cap.7.næuum erroris. *Næuus.*

Ad famam reiicis. Ita vulgò.lectio autem v.c. eſt, ad famas reiicis, & ſolis aurem de te præbere rumoribus, cùm tanti negocij dignitas &c. Et quidem ita puto ſcripſiſſe Symmachum.

Sed qui animi mei ſecurus es. Sic v.c.vulgò legebatur, ſed quia nimis ſecurus es.

Reualuit ex morbo. Hæc elegans ſcriptura debetur v. c. cuius loco perperam erat hactenus in vulgatis exemplaribus,reuoluitur ex morbo.Etenim veteres naſci, mori, ægrotare, ſeneſcere oppida & ciuitates dicebãt.Qua de re doctiſſimè egit V.C.Faber Sem.lib.1.cap.9.Saluianus lib. 4.de vero dei iud.Nam illud latrocinium(ait)aut ſcelus quis dignè eloqui poſſit,quod cùm Romana Reſpublica, vel iam mortua ,vel certè extremum ſpiritum agens,in ea parte qua adhuc viuere videtur,tributorum vinculis,quaſi prædonum manibus ſtrangulata moriatur. Ennodius in natali Laurentij: Vrbs iam ſepulta reualuit (ait) & quæ non credebat in ſe reparari poſſe quod fuerat, cœpit iam meliora æmulari. Eodem exemplo Vopiſcus in Caro Rempublicam vulneratam dixit.

Cùm iam fortè vſu. Ita vulgò,vetus codex habuit:cùm iam forti vſu. Paulò verò aliter hic locus expreſſus eſt in libro Pith.ita ſcilicet:qui medicinam callent,iam defore vſui,cùm in magiſterium &c.

Ac fiunt emeriti officij. v.c ac fiunt attis emeriti proximis &c.

Curationem iuuare præceptis. Sic lego ex v c.

Fœneratam gratiam viderer. Ita optimè v.c.liber Pith.habet :famæ gratã gratiam videar. Vulgò corrupta hæc ferebantur hoc modo : famæ ratam gratiam videar.

AD EPIST. IIII.

Id & ſi falſo. Sic malui legere, quàm vt erat in v.c. Idem ſi falsò. Sed & paulopoſt emendaui & repoſui, collegæ nonnulli: & Proconſulari faſtigio. Nam idem v.c. habebat, colligæ nonnulli: & faſtidio. perperam vt videtur. Ad hanc verò epiſtolam non malè referri poſſe videtur l.15. C. Theod. de Prætorib. in qua imperator Conſtantius conqueritur nonnullos Proconſulari ac vicariæ Præfecturæ poteſtate præditos exiſtimaſſe Præturam infra dignitatem eſſe (nam ibi ſic legendum) cùm tamen illos aliorum exemplis admonitos oportuerit ſplendidos Præturæ faſces adpetere, tantíque nominis gloriam concupiſcere, nec operam editionibus & ludis denegare. In qua etiam lege, ita in fine legendum eſt: Super denominationibus vllis referri, non autem donationibus, vt vulgò. Sanè qui olim magiſtratus & dignitates adepti erãt, eos abſque ſumptu graui gerere non ſolebant. Nam Capitolinus refert Antoninum philoſophum Proculo detuliſſe Proconſulatum, ſed oneribus in ſe receptis, quia ei oneri impares Proculi fortunas eſſe ſentiebat. Sic enim ibi legendum eſſe alij admonuerunt, non autem, honoribus in ſe receptis. Eoque ſenſu non malè exaudietur, quod narrat in Hadriano Spartianus, ad explendos honores non ſolùm amicis, ſed etiam paſſim aliquantis multa largitum eſſe Hadrianum. Et Vopiſcus ſcribit Aureliano Conſuli ad editionem Circenſium datos eſſe aliquot aureos. Atque huc pertinet epiſt. 21. hoc lib. 10. qua gratulatur Symmachus Theodoſio & Arcadio, quòd cùm illi viderent Senatorias functiones grauibus impendiis obrui (nam ideò fortaſſe l.58. C. Theod. de Decurio. vocat ordinem Senatorium ſumptuoſum, à quo multos ob egeſtatem ſubmotos fuiſſe ſub Claudio ait Dio lib. 60.) ſumptibus modum ſtatuerint, ne aut pares facultate collegas tenuis decoloraret editio, aut viribus maiora conatos effuſio inconſulta demergeret. Sed & Impp. Valent. Val. & Gratia. in l. 21. eod. Cod. Theod. de Præt. & Quæſtor. aiunt ſe editionum neceſſitates cum ſubſidiis facultatum & profeſſionis modo contuliſſe, vt ritè definiri poſſet quid vnuſquiſque expenſæ pro captu virium ſuſtinere deberet. Quanquam adiiciunt ſe nulla lege præſcribere velle eorum arbitrio, qui pro modo patrimonij, & ratione natalium, honoríſque proprij ſplendore grauitatem impendij non recuſabant. Quinetiam extat tit. in Cod. Theod. de expenſ. ludorum, quo vetantur Iudices excedere duorum ſolidorum impendia. Et Capitolinus ſcribit Antoninum Pium ſumptus gladiatorij ſpectaculi omnifariam temperaſſe, vt & ſcenicas donationes.

Emendatus codex Theo.

AD EPIST. X.

Sed inopia vel potius egeſtas. Malè v.c. ſed inopina. Egeſtas autem longè grauior eſt inopia vel paupertate. Plinius lib. 4. epiſt. 18. inopia, ac potiùs, vt Lucretius ait, hac egeſtate patrij ſermonis. Seneca epiſt. 59. lib. 8. quanta verborum nobis paupertas, imò egeſtas ſit, nunquam magis quàm hodierno die intellexi: Ouidius. alter egens, altera pauper erat.

Parentis ſume conſilium. Ita emendaui, cùm ferri non poſſet lectio v. c. habentis, parentiſſime cõſilium. Idem lib. 10. ep. 4. fungor in admonendo parentis officio.

AD EPIST. XVII.

Camilli currus. Sic lego: nam malè in excuſis libris erat ſcriptum, Carnilli currus. Notum enim eſt Camillo albentes quadrigas exilium peperiſſe.

AD EPIST. XVI.

Inter primos aut primus. Fuit qui exiſtimaret partem horum verborum eſſe gloſſemata: ſed fallitur. Nam optimi & antiqui ſcriptores ſæpe aliàs ita locuti ſunt. Ammianus Marcellinus lib. 16. de Conſtantio agens: Nec vſquam (ait) in neceſſitatibus ſummis primus vel inter primos eſt viſus. Salluſtius in Iugurthino bello: paulò pòſt initium: leonem atque alias feras primus aut in primis ferire. Et Latinus Pacatus in paneg. Quin omnium (ait) Caſtrenſium munerum numeros primus aut cum primis obires. Sic enim rectè habet vetus lectio excuſa, quam confirmant membranę calamo exaratę V. C. Petri Pithœi, ac miror cur doctiſſimus Balduinus qui illius Panegyrici nuper typis Lutetiæ redditi editionem adornauit, verba illa (aut cum primis) expunxit, & mox ſuppoſuerit: numerorum munera: cùm illius coniecturæ defendi nequeant. Alia quædam peccata illo opere peccauit, quæ nolo inuidiosè commemorare vel refellere. Nam ego ſummorum virorum vitia virtutibus eſſe proxima ſemper iudicabo. *Latini Pacati lectio defenſa.*

AD EPIST. XXII.

Cui electionem mox vrna tribuiſſet. Sic excudit Gelenius. Lazius tamen in ſuis commentariis Reip. Rom. legit hunc in modum: cui obiectionẽ mox vrna &c. Quæ verborum diuerſitas facit, vt ego exiſtimem aliquid vitij his in verbis ſubhærere. Nec enim propriè dici poteſt vrna tribuere electionem, cùm in ſortibus euentus non iudicium ſit, vt ait D. Ambroſius lib. 5. exae. cap. 20. Itaque non inepto fortaſſe ſenſu aliquis reponendum putauerit: cui euectionem, vel quid aliud, quo facultas emittendæ & effundendæ quadrigæ deſignetur. Certis enim ordinibus decurrebant in eiuſmodi ſpectaculis, quod fiebat ſortium beneficio. Et quidem vrnarum meminit Sidonius Apollin. carm. 23. ad Conſentium, vbi elegãter apparatum Circenſium depinxit. *Vrna & ſortes.*

Et iam te vrna petit, cietque rauca
Acclamatio ſibilans corona.

Tertullian. lib. de ſpectac. cap. de munere: tardus eſt illi Prætor: ſemper oculi in vrna eius cum ſortibus voluntantur. Dehinc anxij ad ſignum pendent: vnius dementiæ vna vox eſt. Cognoſce dementiam de vanitate. Miſit, dicunt, & nunciant inuicem, quod ſimul ab omnibus viſum eſt &c. Teſtimonium cæcitatis: non vident miſſum quid ſit. mappam putant: ſed eſt diaboli ab alto præcipitati figura.

Sic ille. Ex quo apparet Prætorem qui ludis præerat, ex vrna quadrigarũ miſſus ſorte eduxiſſe: quod ſpectat ad ea quæ habet Caſſiodorus lib. 3. ep. 51. Denique in aliis ludorum generibus, veriſimile eſt ſortes adhibitas fuiſſe, ex Suetonio in Nerone cap. 21. vbi ſcribit Neronem nomen ſuum in albo citharœdorum profitentium adſcripſiſſe, ſorticulâque cum ceteris demiſſa in vrnam, intraſſe ordine ſuo.

AD EPIST. XXXVII.

Licet vehiculo publico. Ita vulgati libri habent: ſed tamen erunt ſcio, qui malint legere, licet indiculo publico. Nam in principio huius epiſtolæ dixit auctor, acta indicare. Ea autem voce vtitur lib. 6. ep. 49. Quæ ad vrbem pertinent indiculi cohærentis lectione noſcetis. Et lib. 7. ep. 81. Capita igitur rerum ſubiecto indiculo ſtrictim notaui. Puto etiam ita ſcriptum fuiſſe ab Ennodio in quadam epiſtola ad Fauſtum. Fugacem puerum veſtrum Germanũ vocabulo, qui ante triennium lapſus eſt, me ſuſpicor inueniſſe, de quo indiculum deſtinaui, quo ſi verè veſter eſt, maturè ſequenda cognoſcam. In excuſis autem libris Ennodij vulgò corruptè eſt: de quo nidiculum. Indiculi autem nomine paruum indicem ſignificat, quem breuem ſolet appellare Symmachus, vt hoc lib. 10. ep. 48. & 60. Caſſiodorus in libris Variarum, & leges Codicis Theodoſiani. Non ignoro tamen vulgatam huius loci lectionem defendi poſſe, vt vehiculum publicum, pro publico curſu accipiatur, quem nos poſtas ſolemus dicere. Nam veteres non equis ſingulis, vt hodie, ſed vehiculis vtebantur. Vnde ab Ammiano Marcellino circa finem lib. 14. curſus publicus, res vehicularis dicitur, vt etiam lib. 21. in fine. Idem lib. 14. decem vehiculis publicis, vt præceptum eſt, vſus, relicto palatio omni celerare gradum compellebatur. Suetonius in Auguſto cap. 49. Quò celeriùs ac ſub manum annunciari cognoſcíque poſſet, quid in prouincia quaque gereretur, iuuenes primo modicis interuallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Iulius Capitolinus in Antonino Pio: Vehicularium curſum ſumma diligentia ſubleuauit. Sed de hoc vehiculari, & publico fiſcalíque curſu non eſt quod hic pluribus agam. Nam id in aliud ſcriptionis genus transferre melius eſt.

Indiculum quid.

Ennodius emendatur.

Vehiculum publicum.

AD EPIST. LIIII.

Reddatur tamen ſaltem nomini honor &c. Sic editio Frobennij habet. alij legunt, Reddatur tamen nomini honor &c. Sed in antiquiſſima quadam ſcheda, qua fragmentum huius epiſtolæ continebatur ſic erat ſcriptum: Reddatur ſaltim nomini honor &c. Nec eſt dubium quin ita auctor ſcripſerit. Nam veteres eiuſmodi aduerbia plurima inflectebant, quod ſcioli non animaduertentes, ſæpe labem libris inflixerunt. Noſter Symmachus lib. 2. epiſt. 59. patere vt ſaltim gratiam tibi debeam. & lib. 4. epiſt. 62. legamus ſaltim, quem videre maluimus. Alcimus Anitus lib. 2.

Saltim.

--- præcedere fortè timebas
Saltim conſequere, atque animos attolle viriles.

Et alio loco. *--non ſaltim concidit illo.*

Ponde-

Pondere.---

Marius Victor. lib.2. commentationum in Geneſim:

Et ne aliquam ſaltem vel de ſerpente querelam
Quod morimur quiſquam ſupereſſe exiſtimet, antè
Cœpimus occidi.

Ita enim ſcriptum repperi in veteribus membranis, at vulgò excuſum eſt: Et ne aliquam ſaltem. Eodem exemplo Æſopus in vita Alexandri Magni Iulio Valerio interprete, quem manuſcriptum habeo, ſecretim, pro, ſecretò dixit: Nectanabus accipitrem ſecretim parat. Sic Suetonius in Nerone ſuffettim dixit cap. 20. Et Pighius doctiſſimus primus docuit legendum eſſe ex antiquis codicibus, apud Valerium Maximum lib. 6. cap. 3. vxorem quòd vinum bibiſſet, fuſtim interemit. Nam hactenus legebatur fuſte. Tertullianus in Apolog. dixit vicatim & templarim: atque eiuſmodi aduerbia plurima occurrunt in auctorum antiquorum libris, vt morſicatim, filiatim, paſſeratim, anſeratim, mucronatim, mauricatim, meatim, quadrupedatim, perplexim, quorum magna pars extat apud Soſipatrum Chariſium. Et ea meras veneres redolent. *Valerius restitutus.*

Cuncta Romani generis incommoda. v. c. habet, cuncta humani generis incommoda: quem puto potiùs hac parte ſequendum eſſe.

Fames publica. v. c. famis.

Nihil imputemus aſtris. Ita omnes libri vulgati: quomodo etiam dixit Prudentius lib. 2.

Quoſdam infœlices aſtris damnauit iniquis
Spe caſſa & ſterili curam fruſtratus agreſtem.

Sed veteres quædam membranæ hoc loco legunt: Nihil imputemus Auſtris. Et eam lectionem veriorem eſſe exiſtimo. Nam & ſcio Symmachum alio quodam loco (qui nunc memoriæ non occurrit) cùm de copiarum penuria loqueretur, cui prouidentia occurſum fuerat, dixiſſe aduerſus Romanos nihil licuiſſe contumacibus auſtris. Adhæc ſolemne fuit olim, ſterilitates & eiuſmodi incommoda ventis adſcribere. Horatius lib. 3. ode 23. *Auſtri.*

Cælo ſupinas ſi tuleris manus,
Nec peſtilentem ſentiet Africum
Fœcunda vitis, nec ſterilem ſeges
Rubiginem.

Quem Horatij locum videtur imitatus auctor noſter ita ſcribens: Nihil imputemus Auſtris: nec Rubigo ſegetibus offuit &c. Statius lib. 5. Syluar. 5.

---piùmque
Intrauit vis ſæua larem. ſic plena maligno
Afflantur vineta Noto.---

Prudentius lib. 2. in Symmachum, de meſſe loquens,

Afflatum calido ſuccum contraxit ab Euro
Ieiunóſque tulit calamos.---

N

Quintilianus decla. 12. Calidi ſpirauere venti, maturitatem præcepit æſtus, etiam ſicubi fortè ieiunæ herbæ ſolum vicerant, vanis tantùm ariſtis ſpem fefellerunt, & inanes culmos triſtis agricola iactauit ventis nihil relicturis. Notum eſt quid Herodotus lib. 4. & poſt eum Gellius lib 16 cap. 11. referunt de Pſyllorum interitu, qui, cùm accidiſſet Auſtrum in finibus eorum perquàm validum ac diutinum flauiſſe, eóque flatu aquam omnem in locis, in quibus colebant, exaruiſſe, te aquaria defecti, decretum fecerunt, vt armis ſumptis ad Auſtrum, perinde quaſi ad hoſtem, iure belli repetitum res proficiſcerentur.

Quid tale prouinciæ pertulerunt. Sic vulgò. Sed eædem veteres membranæ, in quibus extabat fragmentum huius epiſtolæ, legunt: Quid tale patrui pertulerunt. quod non eſt repudiandum. Verùm hîc finis notarum eſto: quibus ea tantùm perſequi fuit animus, quæ ad infirmandas, vel defendendas varietates ſcripturæ veteris & vulgatæ pertinere viſa ſunt. Nolui enim longiore verborum & digreſſionum circuitu aures oculóſque lectoris obtundere. Nec verò hæc ſcribimus doctioribus & acutioribus, qui cœna dapali & ſaliari conuiuio excipiendi erant. Tam enim exiguæ lancis ſcitamenta illis apponimus, qui paruis nutrimentis ſibi ſatisfactum volunt. Quòd ſi cui ſtudioſorum è numero hæc ludicra ſtomachum mouebunt, erit quod Reipublicæ litterariæ grauler, ſi diluendæ meæ labis gratia, meliora meditabitur, quò Symmachum adornet, & à ſqualore vindicet, cuius valetudini afflictæ nemo adhuc Pœonias manus admouit.

Finis notarum Iureti ad Symmachum.

NOTÆ AD PRVDENTII LIBROS CONTRA SYMMACHVM.

LECTORI.

Tandē è re viſum eſt Symmachi operibus annectere duos libellos elegantiſſimos Prudentij, quibus rationes à Symmacho poſitas in epiſtola 54. lib. 1. accuratè refellit atque conuellit. In eos verò notas verboſiores ſcribere non fuit operæprecium. Itaque ſolas varietates ſcripturæ à me animaduerſas ex collatione vetuſtiſſimi codicis exhibere volui, vt ſtudioſis harum rerum ſatisfiat.

AD PRÆFATIONEM LIB. I.

Cùm ſub ſacricolis. Ità v.c. vulgatì quidam libri habent, cùm ſub ſacrilegis: quod defendi poteſt. Vt enim rectè dixit Tertullianus lib. de coron. milit. omne quod contra naturam eſt, elogium ſacrilegij eſt.

Vix paſſo. v.c.vix panſo.
Rapidis fluctibus. v.c.rabidis.
ubter quo premeret. v.c.ſubter comprimere.

AD LIB. I.

vt teterrimus error. v.c.deterrimus.
Gnati feritate. v.c.nati.
Quorum patria ſpectata ſepulchra ſcimus. Ita vulgati libri. Sed tamen in v.c. inueni ſcriptum: quorum patrias,peccata, ſepulchra ſcimus. Quam lectionem veriorem eſſe auſim profiteri. Nam videtur Prudentius nomine patriæ,peccati,& ſepulchri,deſignare voluiſſe natales,viuendi mores perditos,& interitũ. Et reuera cùm ille dicat(ſi veteris codicis lectionem ſequamur)Deos à poſteris in ære informatos fuiſſe,quorũ patriæ, peccata,& ſepulchra nota ſunt: id innuit proculdubio,ridiculum & inſolens fuiſſe, eos in Deorum album referre,qui fuſi ſunt humano vtero, qui ſceleratè vixerint,qui denique mortui ſint. Quæ tria in Deum nequaquam cadere poſſunt. Itaque Lactantius libro 1. diuin. inſtitutio. optimè omnium arguit & conuincit, ex ratione ortus, morum profligatorum,ac mortis,Deos nequaquam fuiſſe, quos pagani pro Diis coluerunt.

In ære hebetes informauêre minores. Sic omnes libri vno conſenſu. In ora tamen veteris codicis mala quadam manu additum fuerat aliàs legi:informauere minore. Sed illud omnino vitioſum eſt.Nam ſi verum amamus,nihil aliud hoc loco ſignificare voluit Prudentius,minorum nomine, quàm poſteros, quos nepotes dixit idem Prudentius paulo pòſt:

—cœpit falſa pietatis imago
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes.

Arnobius lib.5.contra gentes:Falciferum vetuſtas edidit priſca,& minorum tranſmiſit ætati. Plinius in Panegyrico: Veniet ergo tempus, quo poſteri viſere,viſendúmque tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus.Lucretius Carus lib.5.

—quantáque nobis
Volnera? quas lachrymas pepêrere minoribu' noſtris.

Æs autem minùs quem ſenſum hic haberet? Ceterùm æris nomine ſtatuas deſignat: vt idem Prudentius hoc lib.1. *Aeris vſus in ſtatuis.*

Atque inter veteres cera numerentur & ære.

Et Claudianus:

Nec quiſquam procerum tentat,licet ære vetuſto
Floreat.—

Plinius lib.34.cap.4.Romæ ſimulachrum (ait) ex ære factum Cereris primum reperio ex peculio Sp. Caſſij,quẽ regnũ affectantẽ pater ipſius interemerat. Tranſiit & ab Diis ad hominũ ſtatuas atq; imagines multis modis.Iſid.ethy.li.16.ca.19.vſus poſtea ęris tráſiit in ſimulachris,in vaſis,

in ædificiorum ſtructuris, maximè & ad perpetuitatem monnmentorũ. Sed & vetus auctor & incertus libro de rebus bellicis ad Theodoſium, edito cum notitia Imp. Rom Æris quoque copiam (ait) in ſimulachris propriis ad virtutis ſuæ teſtimonia figurabant. Caſſiodorus Var. lib. 8. epiſt. 2. ſcribit amore Principum inuentum fuiſſe, vt ſimulachris æneis fides ſeruaretur imaginis, quatenus ventura progenies auctorem videret, qui ſibi Rempub. multis beneficiis obligaſſet. Eadem ſcripſit etiam Ennodius Ticinenſis in Tyranno.

Nunc tenera pluma leuior. v.c. Nunc tener ac pluma l.

Firmarat cuneos. v.c. firmatant.

Pecudes inter riſtú'que ferinos. v.c. ritúſque ferinos: rectè vt puto. Nam ſic idem poeta infrà lib. 2.

- -iterumq́ ferinos
In mores redeunt.---

Et M Tullius lib. de Amicitia: qui pecudum ritu omnia ad voluptatem referunt.

Murmur magicum. *Diua rationis egenum.* Al. diæ.

Murmure nam magico. Ita rectè v.c. & meliores libri excuſi: non autē vt quidam codex perperam, nam magn. Sic Caſſiodorus lib. 4. ep. 22. cōticeſcat pœnale murmur animarum. Verſari non licet in magicis artibus temporibus Chriſtianis. Sidonius Apollinar. in Maioriani Panegyr.

--- interrogat vmbras
Fulmina rimatur.---

Anguſtáque Numa præfulget in arce. v.c. anguſtáque quibus in nominibus affinitatis gratia ſæpiſſime variatum eſt: vt apud Arnobium lib. 6. adu gentes, vbi de ſimulachris deorum agit. Nec propter aliam cauſam venerabiles formas auro eis argentóque quæſitas, niſi vt adeſſe vis quædam ipſis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantùm perſtringeret ſenſum, verumetiam mentes ipſas auguſtiſſimæ lucis radiationibus territaret. Malè vulgò leg. anguſtiſſimæ.

Nominis honor. *Dominus quondam fuit agri.* v.c. habet, dominus quidam: rectiùs vt videtur. Dedignatur enim poeta proprio nomine Priapum deſignare. Et quidem vt contumeliæ proximæ ſunt illæ voces, aliquis, quidam, neſcio quis: ita honeſtum eſt proprio nomine deſignari. Septimius Florens lib. de Idolatria: Deos nationum, inquit, nominari lex prohibet, non vtique ne nomina eorum pronunciemus; quæ nobis vt dicamus conuerſatio extorquet. Nam id plerumque dicendum eſt. In templo Æſculapij illum habes, & vico Iſidis habito, & ſacerdos Iouis factus eſt, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, ſi ita vocauero eum ſuo nomine: tam non honoro quàm Marcum, ſi vocauero Marcum. Sed ait: nomen aliorum deorum ne commemoretmini, neque audiatur de ore tuo. Hoc præcepit, ne deos vocemus illos. Hæc Septimius. Ceterùm in notis ad Symmachum opinor me attigiſſe morem veterum, qui in odium ſummum alicuius, ne nominari debere cenſebant.

Ruricolas vexare lupas. v.c.ruſticulas. Lactãtius lib. 1. diuin. inſtit. cap. 20. propter vulgati corporis vilitatem lupa inter paſtores, id eſt meretrix nuncupata eſt, vnde etiam lupanar dicitur. Euſebius in Chronico: propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuoſi, lupa à vicinis appellabatur. Vnde ad noſtram vſque memoriam meretricum cellulæ lupanaria dicuntur. Idem etiam extat apud Iſidorum Ethym. lib. 18. cap. 42. Quas autem hoc loco lupas vocat Prudentius, dicuntur à Tertulliano lib. de pallio, lupæ popularium libidinum nundinæ. & ab eodem auctore libro de ſpectaculis cap. de munere, proſtibula, publicæ libidinis hoſtiæ, & pudoris ſui interemptrices. Diuus Hieronymus ad Gerontiam: vt in eo (ait) ſe puret eſſe laudabilem, ſi ſcortis melior ſit, ſi publicarum libidinum victimas ſuperet. Annæus Seneca corpora publico obiecta ludibrio nuncupat. Nam ita lib. 1. natur. quæſt. cap. 16. Eſt aliqua etiam proſtitutis modeſtia, & illa corpora publico obiecta ludibrio aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt. adeo quodam modo lupanar quoque verecundum eſt. Ceterùm quòd hîc poeta de Priapo ſubiungit, numquam dante ocia venis calidis, id in mentem reuocat, quod notatum eſt ab Euſebio libro 2. de præparat. Euang. cap. 1. apud paganos ſcilicet, Satyrorum ſimulachra in templis conſtituta fuiſſe, pudendis in morem hircorum tentigine affectis & arrectis, quia in Venerem, mirum in modum proni eſſent. Lupa. Satyri.

Sacris cum turpibus hortos. v.c.ſacris cultoribus hortos.

Nemea pelle fouere. v.c.Nemea ſub pelle fauere.

Diffluit in luxum. v.c.in luſum, ex antiquo more ſcribendi.

Multóque falerno. v.c muſtóque faletno.

Diſcindunt ore. v.c.deſciadunr.

Temulentus adulter, Inuenit expoſitum ſecreti in littoris acta Corporis egregij ſcortum. Ita v.c. & omnes impreſſi. Deterior eſt lectio cuiuſdam, qui haber arca, pro acta. Nam acta, nihil aliud eſt quàm receſſus, vt notatum repperi in eodem v. c. Virgilius Aeneid. lib. 5. Acta quid.

At procul in ſola ſecretæ Troades acta
Anchiſem flebant. ---

Qua parte placet adſcribere clariſſ. I C. Cuiacij verba obſer. lib. 8. cap. 1. Aemilius Probus in Ageſilao: Cùm in acta cum ſuis adcubuiſſet ſine vllo tecto. Seruius Honoratus actam ſecretum & amœnum littus interpretatur. Corruptè in Ciceronis libro de ſuppliciis, quod nemo adhuc animaduertit, ita ſcriptum eſt: Quod vbi nuntiatum eſt, tametſi noctu cum mulierculis iacebat ebrius. Legendum eſt, tametſi in acta cum mulierculis. Quem Verris luxum eodem libro his verbis exprimit: Ipſam illam ad partem lit- Cicero correctus.

toris vbi eſt per eos dies tabernaculis poſitis caſtra luxuriæ collocarat. Hæc ille. Ceterùm, quia ſuper acta littoris ſermo incidit, illud obiter adnotare non erit iniucundum (quod multi neſciunt) olim in littoribus lupanaria conſtituta fuiſſe, vnde videri poteſt nomen Gallicum defluxiſſe, *Bordeau*. Quæ habeo huius rei idonea teſtimonia proferam. Quintilianus declam. 340. Fortaſſe etiam natus eſt ingenuus: fortaſſe rapto ex aliquo littore prætextam fortuna reddidit. Annæus Seneca lib. 1. contro. 2. paulò poſt initium: Caſtam te putas, quia inuiſa meretrix es. Nuda in littore ſtetit ad faſtidium emptoris. omnes partes corporis & inſpectæ & contrectatæ ſunt. Huc denique pertinere videntur illa verba Vitruuij Pollionis lib. 1. cap. vlt. de archit. Id etiam, ait, Hetruſcis aruſpicibus diſciplinarum ſcriptis ita eſt dedicatum extra murum, Veneris fana ideo collocari, vti non inſueſcat in vrbe adoleſcentibus, ſeu matribus familiarum, Venerea libido.

Lupanaria in littoribus.

Poßit in æternum. v. c. poſſet.

Thure etiam ducibus paruóque ſacello Impartitus honos. v. c. thura & duc. paruúſque ſ. i. h. Aliæ quædam membranæ habent: Cura etiam ducibus &c. Sed illud deprauatum & corruptum eſt. Frequentiſſimum enim fuiſſe thuris vſum in ſacrificiis paganorum conſtat. Apollonius quidem apud Philoſtratum lib. 1. cap. 1. admonet thure & libationibus ſolis deos colendos. Apuleius Apolog. 1. profitetur ſibi morem fuiſſe, vt quoquo iret, dei alicuius ſimulachrum inter libellos conditum geſtaret, eíque diebus feſtis thure & mero, aliquando victimis ſupplicaret. Plinius Secundus lib. 10. epiſt. 100. refert ſe aliquando imaginem Traiani cum ſimulachris deorum exhibuiſſe Chriſtianis, vt illi thure ac vino ſupplicarent, Chriſtóque maledicerent: quorum (inquit) nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reuera Chriſtiani. Suetonius in Octauio cap. 35. teſtatur Auguſtum ſanxiſſe, vt priuſquam Senatorum quiſquam conſideret, thure ac mero ſupplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Idem in Tiberio cap. 70. notat Tyberiũ quo primùm die poſt exceſſum Auguſti Curiam intrauit, quaſi pietati ſimul ac relligioni ſatisfacturus, Minois exemplo, thure quidem ac vino, verùm ſine tibicine ſupplicaſſe, vt ille olim in morte filij. Quintus Curtius Rufus lib. 8. in oratione Cleonis adulatoris, ſuadentis Alexandro diuinos honores tribuendos: Merita deinde percenſuit (ait) quibus vno modo referri gratia poſſet, ſi quem intelligerent Deum eſſe, confiterentur exigua thuris impenſa tanta beneficia penſaturi. Ceterùm veteres Chriſtiani, quibus omnis relligionis cultus in cultu ſimpliciſſimo fuit, eum morem reiecerunt, aut potiùs vehementer improbarunt. Nam ſeptimius Florens Tertullianus lib. de hab. mul. Nec ideo idolatriam (inquit) impunè faciet Chriſtianus, quia Dei conditio eſt & thus & merum. Idem Apolog. cap. 42. thura planè non emimus. Si Arabiæ quæruntur, ſciant Sabæi pluris & cariùs ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis. Arno-

Thuris vſus in ſacrificiis.

bius lib.7 .aduerſ.gent.vos mero,vos thure honorem arbitramini Diis addi,& eorum augeſcere dignitatem. Nos monſtrum & prodigium iudicamus, quod quiſquam hominum credit aut auguſtiorem fieti Deum fumo &c.Denique eodem libro multis verbis docet in ſacrificiis paganorum vetuſtiſſimis temporibus non obtinuiſſe vſum thuris. Quod etiam confirmat Plinius lib.13.cap.2.qui refert vnguenta Iliacis temporibus non fuiſſe, neque thure ſupplicatum.

Aut amor,aut ſpes.v.c.aut honor,aut ſpes.

Inde puellarum ludibria,pignora,partus. v.c.pignera.ſic infrà hoc lib.1.vbi paſſim excuſum eſt: *Pignera.*

Anniadum ſoboles,& pignora clara Proborum.

Idem v.c habet ſcriptum conſtanti fide, pignera. Et ſæpè aliàs obſeruaui in veteribus ſchedis ita ſcriptum, cùm liberos & affectus ea vox ſignificat.Marius Victor lib.2. *Marius Victor emend.*

--- Eua marito

Penſarat primum ſancto iam pignere damnum.

Idem lib.3.

Coniuge cum fida,chari cum pignere fratris.

Sic enim habēt vetuſtiſſimi libri,at perperam vulgò eſt pignore.Et antiquus incertúsque auctor,qui verſus luſit in Bebianum, excuſos cum eodem Matio Victore:

Felix vnanimo coniugio mihi,
Dulcis pigneribus,clara & honoribus.

Vbi tamen impreſſi libri habent,pignoribus. Et ne putemus hanc ſcriptutam priſcam ſua carere auctoritate, faciunt hæc verba Agrætij: Pignora rerum,(ait)pignera liberorum & affectionum.

Perſtringam breuiter.v.c.præſtringam.

Subcubuit Phrygio.v.c.ſubcumbit.

Mortalis inire Coniugium.v.c.mort.obire Coniug.

Tot templa Deû Romæ, quot in vrbe ſepulchra Heroû numerare licet. Ita rectè oēs libri & vulgati & veteres.quanquā quidā deterioris notæ habet,in vrbe ſepultos Heroes. Hîc verò obiter animaduertendū eſt templa paganorum primùm fuiſſe ſepulchra, vt notat Clemens Alexandrinus in oratione ad gentes,& ex eo Diuus Cyrillus patriarcha Alexandrinus aduerſus Iulianū: vt etiā Iulius Firmicus libro de errore profanarū religionū ad Cōſtantiū:& Arnob.li.6.adu.gēt.circa initiū.Quid quod multa ex his tēpla,quæ tholis ſūt aureis & ſublimibus elata faſtigiis,auctorū conſcriptionibus comprobatur cōtegere cineres atque oſſa,& functorum eſſe corporum ſepulturas?Nonne patet & promptum eſt, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere,aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum ſuperlata ſunt buſtis?&c.Id etiam ſcripſit Euſebius de præpar.euangel.lib.2.cap. 8.Apud Eunapium Sardianum in vita Ædeſij,in fine mentio fit cuiuſdā *Templa olim ſepulchra.*

Antonini,qui prædixerat palam apud omnes templa in ſepulcra conuerſum iri. ὅτι πρὸς ἅπαντας ἔφασκεν τὰ ἱερὰ τάφους γενήσεσθαι.

Tener horruit hæres, Et coluit quicquid ſibimet venerabile cani Monſtrarant atavi. Hic locus aurem mihi vellicat, vt arrepta occaſione emendem ex manuſcripto & antiquiſſimo codice locum paſſim corruptum Marij Victoris lib.3. in Geneſim,cuius verſus ita hactenus excuſi feruntur:

Marius Victor correctus

Inde mouens greſſus lateri comes exit euntum
Hoſpes ouans,dulcique quatit concuſſa pauore
Pectora,& attonitum venerabilis attrahit error.

At legendum eſt, comes hæret euntum. Et mox,venerabilis attrahit horror. Etenim aliquoties animaduerti ab optimis ſcriptoribus horrorem & venerationem ſiue relligionem ſimul coniungi. Sic incertus poeta in Bebianis ſuis,

Horror & veneratio.

Horreſcens veneránſque refert,vtque angelus illum
Suſtulerit per inane vehens.

Auſonius in Panegyrico Gratiano dicto,ſtatim in principio:atque non in ſacrario modò imperialis oraculi,qui locus horrore tráquillo & pauore venerabili rarò eundem animum præſtat &vultum,ſed vſquequaque gratias ago,tum tacens,tum loquens. Titus Liuius lib.1. Dec.1. de Proculo loquens: Sollicita ciuitate (ait) deſiderio regis,& infenſa patribus,grauis,vt traditur,quamuis magnæ rei auctor,in concionē prodit:Romulus,inquit,Quirites parens vrbis huius, prima hodierna luce cælo repentè delapſus,ſe mihi obuium dedit, quum perfuſus horrore venerabundúſque aſtitiſſem,petens precibus,vt contrà intueri fas eſſet: Abi,nuntia,inquit,Ro. cæleſtes ita velle vt mea Roma caput orbis terrarum ſit. Suetonius in Auguſto cap.6. tenétque vicinitatem opinio, tanquam & natus ibi ſit. Huc introire niſi neceſſariò & caſtè, relligio eſt:concepta opinione veteri,quaſi temerè adeuntibus horror quidam & metus obiiciatur. Huc etiam ſpectat ille locus Annæi Senecæ lib.5. epiſt.41.Si tibi occurrit vetuſtis arboribus,& ſolitam altitudinē egreſſis frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmouens, illa proceritas ſyluæ, & ſecretum loci,& admiratio vmbræ in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manufactus,ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam relligionis ſuſpicione percutiet & c.

Impreſſis ſilicem labris. v.c.impreſſit.

Animúmque leuans. v. c.animámque.

Delubrum Romæ. Hac de re dixi ad Symmachum.

Vera ratus quæcunque ſiant auctore Senatu. v.c.paulo aliter: Vera ratus quæcunque Senatu auctore probantur. M. Tullius lib.3.de legib. ait Senatum dominum eſſe publici conſilij,quódque is creuerit, ab omnibus defendi oportere. Non abs re autem dixit Prudentius,ea quæ in relligionis cultu fierent auctore vel probante Senatu,pro veris apud Romanos

Senatus auctoritas in relligione.

manos obtinuiſſe. Nam eius auctoritate & iudicio maximè relligio conſtabat. Vnde rectè Tertullianus in Apolog. cap.5. Vetus erat decretum, ne Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur, vt M. Æmilius de Deo ſuo Alburno fecit. Et hoc ad cauſam noſtram, quòd apud vos de humano arbitrio diuinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius eſſe debebit &c. Et ita etiã exaudienda ſunt illa verba incerti & veteris auctoris in hiſtoria Diui Apollinaris martyris, Meſſalino vicario ſuadentis vt Chriſtum coleret, vicarius dixit, ait: Tu mihi perſuadere non potes, vt ego Deos ſequar ignotos, qui à Senatu præcepti non ſunt.

Retinentque verum. v.c. retinente ſolo.

Suffuſi figunt veſtigia plumbo Sciolus quidã in ora vetuſti codicis mei ſcripſerat, hæc verba deſignare ſtatuas fuſiles & plumbeas. Sed fallitur, nec enim mentem auctoris aſſecutus eſt, híc morem priſcum tangentis. Nam apud paganos ſtatuæ Deorum, vt plurimum, ſuffuſo plumbi liquore figebantur, ne ſcilicet aufugerent. quæ res, cùm ab interpretibus omiſſa ſit, teſtimonio Arnobij confirmanda eſt. Ille igitur aduerſus gentes lib.6. Iamdudũ (ait) iſtos videritis Deos, quos exterior leuitas lenocinio fulgoris auguſtat, laminarum flatilium eſſe crates, particularum coagmenta deformium, à ruinarum caſibus, & diſſolutionis metu ſubſcudibus, & catenis, vncis, atque anſulis retẽtari. Interq; omnes ſinus, commiſſurarúmque iuncturas plumbum ire ſuffuſum, & ſalutares moras ſignorum diuturnitatibus commodare. Idem paulopòſt: Et quid in teſtulis Dij petunt, vt eas ſedibus ſydereis anteponant? Vincti omnes, & propemodum colligati, nobilitent teſtulas, & cætera quibus ſigna conſiunt. Et mox: Si permanendi neceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe, aut quid infelicius poterit, quàm ſi eos in baſibus ita vnci retinent, & plumbeæ vinctiones? Hæc Arnobius. Quæ deliria gentilitatis arguunt, exiſtimantis numina in ordinem cogi poſſe, & in vota noſtra pellici. Tale eſt illud etiã quod extat apud Pauſaniam lib.3. in Laconicis: nimirum priſci operis ſignũ Enyalij, ſeu Martis in compedibus fuiſſe apud Lacedæmonies, vt inde augurarentur vinculis impeditum Martem à ſe nunquam diſceſſurum. quo modo & Athenienſes Victoriæ quam inuolucrem appellabant, ſimulachrum efformarũt, quo ſemper ſecum manſuram Victoriam interpretabãtur, quæ pinnis careret. Diodorus Siculus lib.17. & Q. Curtius Rufus lib. 4. de Tyri obſidione agẽtes, narrãt vnũ è ciuibus in cõcione indicaſſe, oblatã ſibi fuiſſe per ſomnũ ſpeciẽ Apollinis, quẽ eximia relligione colerent, vrbem deſerentis, molémq; à Macedonibus iactã in ſalo, in ſylueſtrẽ ſaltũ eſſe mutatã. ac quanquã auctor leuis erat, tamẽ ad deteriora credenda pronos, metu, aurea catena deuinxiſſe ſimulachrũ, aræque Herculis, cuius numini vrbẽ dicauerant, inſeruiſſe vinculũ, quaſi illo Deo Apollinẽ retẽturos. Plutarchus deniq; in problematis cap.61. meminit cõſuetudinis Tyriorũ, qui vincula ſtatuis Deorum iniiciebant. Et addit rẽ petridiculam, multos ex paganis ſponſores petere ſolitos, ſi quod numen ad balnea deduci oporteret.

Vſus plumbi in ſtatuis.

Nam cedere tædas. v.c.credere.ſed minùs aptè.Sic infrà lib.2. vbi vulgò eſt:& noſtro Romam iam credere Chriſto,vetus codex habet, iam cedere.Porro Druſillam matrimonio Tiberij Cæſaris,& quidem prægnãtem,turpiter abduxit Auguſtus,vt ait Suetonius in Auguſto cap.62. & Dio lib.48.hócque ei probri loco obiectum fuiſſe narrat idem Suetonius in Auguſto cap.69.Sic Octauiam poſt Marcelli mariti obitum adhuc grauidam Antonio deſponſam idem Dio lib.48 . refert. Et Plutarchus in Cat.Vtic.narrat Martiam ex ſe vterum gerentem petenti Hortenſio Catonem conceſſiſſe.

*Cæleſti ſede locatum.*v.c.in ſede.

*Quicquid humus,pelagus,cælum mirabile gignunt.*v.c.hoc modo,Quicquid humus,quicquid pelagus mir.gig.

*Formata elementa.*v.c.formant.

*Breuiorem dicere circuitu.*aliàs,breuiore.

*Et capitis radios & verbera dextra.*Ita vulgati libri. Inuerſo tamen ordine in vetuſtiſſimo codice eſt,& radios capitis & verb. Cuius generis exempla plura obſeruari poſſunt ex collatione manuſcriptorum,nè quis fortè putet eſſe errorẽ in ſyllabarũ quantitate,quod alij iã monuerunt.Sic infrà lib.2.in vetuſtis libris ſcriptum eſt cogunt ad facinus & ineuitabile mergunt.Et alio loco : Hos tu Nile colis, illos tu Tybris adoras.Ceterùm quando ita res tulit,non erit ingratum aliquid de capitis radiis adnotare.Velleius Paterculus lib.2.de Octauio Cæſare loquẽs: aduentanti Romam, ait, immanis amicorum occurrit frequentia,& cùm intraret vrbem,ſolis orbis ſuper caput eius curuatus æqualiter rotũdatúſque in colorem arcus,velut coronam tanti mox viri capiti imponens conſpectus eſt.Suetonius in Aug . ca.94.Videre viſus eſt filium mortali ſpecie ampliorem,cum fulmine & ſceptro, exuuiíſque Iouis opt. max. ac radiata corona ſuper laureatum currum,biſſenis equis candore eximio trahentibus.Plinius in Paneg.Horum vnũ ſi præſtitiſſet alius illi iamdudum radiatum caput,& media inter deos ſedes auro ſtaret,aut ebore. Incertus auctor Panegyrici Maximiano dicti:Trabeæ veſtræ, ait, triumphales,& faſces Conſulares,& ſellæ Curules,& hæc obſequiorum ſtipatio & fulgur,& illa lux diuinũ verticẽ claro orbe complectens, veſtrorũ ſunt ornamẽta meritorũ pulcherrima & auguſtiſſima.Latinus etiã Pacatus in Panegyr.Si olim(ait) ſueuti credidere maiores Caſtoras geminos albentibus equis & ſtellatis apicibus inſignes, puluerem cruorémque Theſſalicum aquis Tyberis abluẽtes &c.Abdias Babylonicus li.5.hiſtoriæ apoſt. in fine:Lux tãta apparuit ſuper Apoſtolũ per vnã ferè horam, vt nullus eam ſufferret aſpectus.Sulpitius Seuerus lib.1.hiſt.ſac. de Moſe cum Deo colloquente:tanta claritudine(inquit)facies eius renidebat, vt intueri eum populus nõ valeret &c.In Bibliis autem Latinis cornuta Moſis facies fuiſſe ſcribitur, quia nimirum præ ſummo ſplendore vultus radios emitteret inſtar cornuũ . A ſuperioribus verò non valde diſſimilia ſunt,quæ de circulis ſemiſphæram referentib⁹, quæ capitibus

De radiis capitum.

ſtatuarum addebantur in veterũ monumẽtis relata ſunt. Nã Ammianus Marcellinus lib.17. de obeliſco loquens ita ait: Ei ſphæra ſuperponitur ahenea aureis laminis nitens: qua confeſtim vi ignis diuini contracta, ideóq; ſublata facis imitamentum, in figura æreum ibidẽ in auro imbra-cteatum, veluti abundanti flamma canentis. Idem lib.25. Maximiani ſtatua Cæſaris locata in veſtibulo regiæ amiſit repentè ſphæram æneã formatam in ſpeciem poli quam geſtabat. Ex quibus poſtremis teſtimoniis non malè videtur Lazius colligiſſe lib.9. commentar. Reip. Romanæ fluxiſſe apud maiores noſtros morem illum, quo Diuorũ ſimulachra in templis cum ſolari corona efformantur.

Cernuáque ora ſenex. v.c cernuat ora ſ.

Cruribus anipedum. v.c. æripedum.

Nunc biiugas frænare boues. v.c. Nunc bigas f.b.

Cui funera ſoluat. v.c. cui funera donet.

Illuſtrata cluis. v. c. clues.

Conficit effigiem. v.c. contegit.

Geniúſve, lucúſve. aliàs legitur, lucus geniúſve. Quæ ſciptura defendi poteſt, cùm maximam relligionem pagani lucis tribuerint. Plinius lib. 12. cap.1. de arborum honore loquens: Hæ fuere numinum templa (ait) priſcóque ritu vt ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulachra quàm lucos. Et in iis ſilentia ipſa adoramus. Apuleius Apolog. 1 nullum in villa eius delubrum ſitum, aut locus aut lucus conſecratus. Et quid ego de luco & delubro loquor? Negant vidiſſe ſe qui fuêre, vnum ſaltem in finibus eius aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum &c.

Ornamenta cluant patriæ. v.c. pro, cluant, habet fuant.

Chriſtúmque vocantem. v.c. vocante.

Penetralia Nazareorum. In v.c. hæc ſcriptura hoc modo interpollata fuerat: penetralia noxa reorum.

Mundi lumina. Elogium eſt Senat⁹ Romani, cuius generis illa ſunt quę habentur in notis ad Symmachum lib.1. epiſt.46.

Poblicolas ſpercurram carmine Gracchos. v.c. Plebicolas Græcos. in cuius etiam ora nugator quiſpiam magiſtellus interpretationis cauſa adſcripſerat, Græcos vt pore viciniores Romanis iũgi ſolitos nuptiarũ & dignitatum pignoribus. Sed hîc legendum eſt ex manuſcriptis & aliis excuſis codicibus, Gracchos. Nam horum Gracchorum illuſtrium ætate Prudẽtij mẽtio fit in inſcriptione l. 10. C. de Senatorib. lib.12. tit. 1. & in l.1. C. Theodo. ne quis in ſua cauſa iud. vbi ſcribitur, Gracchũ Pręfectũm Prætorio fuiſſe. Quanquam non diſſimulandum eſt in quibuſdam codicibus legi, ad Gracchum P.P. Iidem etiam codices vt plurimũ ſine adſpirationis nota Graccos ſcribunt, quód etiam confirmant Terentius Scaurus lib. de Orthog. & Soſipater Chariſius lib.1. ex auctoritate Varronis, qui Graccum à gerendo cognominatum cenſet, quòd mater eius duodecim menſibus vtero eum geſtauerit.

Obtritos ægrè. v.c. obſtrictos.

Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis. In vno codice fuit, panis agit. Sed id vitioſè. Infrà lib.2. Quæ tegio gradibus vacuis ieiunia dira Suſtinet? Caſſiodorus Var. lib.9. epiſt.5. vt ſiue in gradu ſiue in aliis locis frumentorum condita potuerint inuenire, tantum ſibi vnuſquiſque dominus vel familiæ ſuæ domus retineat, quantum ſe expendere poſſe cognoſcit. Extat titulus x v i i. in Cod. Theodoſ. lib.14. de annonis ciuicis & pane gradili. Sic autem dictos panes gradiles clariſſimus inconſultus docuit, quia diuidebantur populo, cura Præfecti Vrbi & Præfecti annonæ, è gradibus qui in vnaquaque regione Vrbis Romæ erant ad piſtrina, vt conſtat ex deſcriptione antiquæ Vrbis. Quamobrem lapſus videtur Turnebus (pace tanti viri dictum ſit) qui lib. 26. aduerſar. cap. 34. panem gradilem vocatum putat, quia in gradili templo Genij publici (cuius eſt mentio apud Ammianum Marcell. lib. 23.) viritim diuidebatur.

Mimicáque & ridenda ſuis ſolemnia caluis. v.c. Mimica ridendáque ſuis Huc verò pertinet illud Diui Ambroſij lib.6. epiſt.36. Et cùm ipſi capita (inquit) & ſupercilia ſua radant, ſi quando Iſidis ſuſcipiunt ſacra, ſi fortè Chriſtianus vir attentior ſacroſanctæ religioni veſtem mutauerit, indignum facinus appellant. Et Iulius Firmicus lib. de err. prof. relig. Ægyptij idolum Oſiridis annuis luctibus plangunt, radunt capita: vt miſerandum caſum regis ſui turpitudine deshoneſtati defleant capitis.

NOTÆ AD LIB. II. PRVDENTII CONTRA SYMMACH.

Cuius cunctipotentiæ eſt. v.c. omnipotentiæ.

Aſt ille placide. v.c. illi.

Iam credere Chriſto. v.c. cedere.

Congeſta tenentes. al. congeſta colentes.

Ecquis amicus. v. c. etquis. Sic infrà paulopòſt, *ecquis erit qui mille.* v.c. habet. etquis erit.

Formata talentis. al. formata metallis.

Verſiſque offenſa videbitur haſtis. Sic vulgò. In quibuſdam tamen ſchedis pro haſtis, legitur alis. Vtrumque rectiſſimè, quia de Victoria hoc loco agit poëta, cui alas tribuerũt veteres. quo exemplo dixit Silius Italicus lib.15. qui locus huc bellè quadrat:

Idmque inclinabãt acies, cunctiſque pauorem
Gallorum induerat pauor, & fortuna ruebat
Sidonia, ad Rutulos Victoria verterat alas.

Nazarius in Paneg. ad celeritatem nuntij pennata Victoria inſequebatur. Cui addã etiã locũ Panegyrici dicti Cõſtãtino ab incerto auctore.

Illa maieſtas(ait)quæ Iouis ſubrata nuiu nec Iridi Deûm nunciæ,ſed pinnis commiſſa Victoriæ,tam facilè te comitata eſt,quàm citò ad terras cælo miſſa perueniunt. Sic enim habent ſchedæ Pithœanæ, rectiùs quàm libri excuſi.Silius idem eodem libro candidas alas adfingit:

--- niueis Victoria concolor alis.

Claudiauns Paneg.3.in laudes Stiliconis:

---Cùm totis exſurgens ardua pennis
Ipſa duci ſacras Victoria panderet ædes,
Et palma viridi gaudens, & amicta tropheis
Cuſtos imperij virgo, quæ ſola mederis
Vulneribus,nullámque doces ſentire laborem.

Inde victoria velox dicta ab Horatio lib.1.epiſt. 18. fuit etiam Romæ ſimulachrum Victoriæ alis exutum, quæ cælitus tactæ deciderant, quam in rem Pompeij titulo ille verſus legitur.

Roma caput rerum, nunquam tua gloria òbibit.
Nam victrix dea te haud deſeret inuolucris.

Sed & Pauſanias lib.1.2.& 3,teſtatur apud Athenienſes ἄπτερον,id eſt inuolucre Victoriæ ſimulachrum extitiſſe: quod eo conſilio efformarunt, quia ſibi fingebant nunquam vrbe emigraturam deam. Sed tamen non temerè a vetere & recepta lectione diſcedendum eſt,quæ ſuas habet veneres.Nam huius loci ſenſus eſt,Victoriam non pendere ab humanis cõſiliis,ſed ſuomet ferti arbitrio,& haſtas vertere (id eſt vim omnem) quò libuerit.Cuius rei inſigne extat exemplum apud D. Auguſtinum lib. de ciuit.Dei.5.cap.26.his verbis: Milites nobis qui aderant, retulerunt, extorta ſibi eſſe de manibus quæcunque iaculabantur, cùm à Theodoſij partibus in aduerſarios vehemens ventus iret:& non ſolùm quæcunque in eos iaciebantur concitatiſſimè raperet, verumetiam ipſorum tela in eorum corpora retorqueret.Vnde& poeta Claudianus,quamuis à Chriſti nomine alienus,in eius laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo,cui fudit ab aſtris
Eurus armatas hyemes:tibi militat æther
Et coniurati veniunt ad claſsica venti.

Diffiſus viribus optas. v.c.aptas:rectiùs & concinniùs vt videtur.

Sua dextera cuique eſt. Sic paſſim in omnibus excuſis libris. Sed tamen in v.c.ſcriptum repperi paulò aliter: ſua dextera forti eſt. Nec ego dubito quin hoc poſtremum veriſſimum ſit.Si enim ſequamur vulgatam lectionem,menti auctoris aduerſabitur,qui innuere voluit non eſſe cuiuſuis conſequi victoriam,ſed fortium duntaxat,quos numen adiuuet. Inde paulò antè dixit Victoriam tribui aſpera virtute, labore impigro, ardore excellenti,vi animi & cura: quæ ſi defuerint bellantibus fruſtrà Victoria ſperatur. Sic apud Iuſtinum lib.11.Darius ſuos alloquens: Hortatur (inquit) ſpernant illam aciem auro & argento fulgentem, in qua plus prædæ,quàm periculi ſit:cùm victoria non ornamentorum decore, ſed ferri virtute quæratur.Ceterùm quod adiicit poeta, nunquam pennigeram puellam Victoriam in caſtris fuiſſe viſam, quæ tela virorum regeret,

in mentem reuocat quod ſcribitur apud Seuerum Sulpitium lib. 3. vbi Martinus admonet ne mulieres vmquam caſtra virorum adeant : quia contemptibiliorem reddat exercitum, ſi virorum cohortibus fœminea turba miſceatur. Sed & Ælianus hiſt. animal. lib. 10. cap. 16. teſtatur ſcarabæorum genus fœminei ſexus expers eſſe : ideóque Ægyptiorum bellatores ſcarabæum in digitis inſculptum habuiſſe, ex eo adumbrante legiſlatore, ſolos omnino mares pro patria bellum gerere oportere.

Et inania rerum ſomnia. Alij horum verborum loco habent : ſic caſſa figuris ſomnia.

Cognatúmque malum pigmenta camœnæ. v. c. cognatúmque vocant pigmenta c. alij codices: cognatúmque volunt pigmenta camœnæ. Eleganter autem pigmenta dixit eſſe cognatum malum camœnarum, quia poeſis & pictura quodam vinculo inter ſe ſocientur. Inde Plutarchus lib. de aud. poet. dixit poeticam eſſe loquentem picturam, picturam verò mutam poeticam. Horatius in arte, vt pictura poeſis erit : & alio loco, ait, pictoribus atque poetis quidlibet audendi ſemper æquam fuiſſe poteſtatem. Sic paulò antè dixerat Prudentius:

Aut vos pictorum docuit manus adſimulatis
Iure poetarum numen componere monſtris.

Inde etiam ſcitè Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſio dicto, germana pictorum & poetarum commenta vocat. Rectè profectò (ait) germana illa pictorum poetarúmque commenta Victoriam finxere pennatam, quòd hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus. *Pacati lectio defenſa.* Quem tamen locum Pacati Iureconſultus doctiſſimus, mutata vetere lectione (cùm illum panegyricum nuper recuderet) ita expreſſit: rectè profectò ingenioſa illa pictorum &c. At nemo eſt, qui ſtatim non videat quàm infœliciter & ſine ingenio, ingenium hoc loco ſubſtituerit, relicta voce, germana, in qua omnis lepos ſitus eſt. Sanè emendationes tentare non eſt cuiuſuis. Et eo multi ſunt genio, vt quod in libris veterum non intelligunt, præclarè ſeſe intelligere putent, ſi audacter mutent, aut potiùs peruertant, ne vnquam ſcilicet intelligant.

Idola conflauit. v. c. idola conualuit.

Cùm pulcher ſeſe caſtrauerit Atys? v. c. cur pulchrum poeſis caſtrauerit Atym.

Cùm Phædra pudicum. v. c. cur P. p.

Per littora curru. Aliàs curſu.

Et ſanguine captas. Al. raptas.

Hora diéſque ſuum. v. c. ſuus.

Deſinere idque homini. Al. deſinere atque homini.

Non deſinet vmquam. v. c. deſinat.

Et ſpecies tenues. v. c. Et ſpecie tenui.

Robur eneruatum gereret ſine laude palæſtra. Huius verſus loco, duos ſequentes repperi in vetuſtiſſimo codice.

Eneruare ſuum corrupta per otia robur
Poſſet, & in nullo luctamine pigra iaceret.

Luctandum ſummis conatibus. v.c.nitendum ſummis.

Mea dona manebunt. v.c.mea dona trahenda.

Spémque ſuam in me omnem ſtatuat. Al. ſpémque ſuam in meme ſtatuat.

Vnus ego ipſe elementa rego. Al.Vnus ego hæc elem.r. aliàs, Vnus ego elementa rego.

Nec morte ſolubilis ætas. v.c.& non reſolubilis ætas.

Meditaris numina mille. v.c.nomina.

Cæmenta remitto. x.c.remitte.

Punica rupes v.c.rupis.Sic apud Symmachum lib. 10. ep.54. ſecuta eſt hoc fames publica.v.c.habet,famis:more antiquo.

Strictura ſecures. v.c.ſecurim.

Præcipitet Scythica iuuenis pietate vietum Votiuo de ponte patrem. Ita rectè omnes libri.Lectio cuiuſdam ſchedæ habentis, Scythica feritate, pro pietate,deterior eſt.Nam id ironicos dictum eſt à poeta, vt infrà hoc libro in fine de Veſtalibus loquens:

Inde ad conceſſum caueæ pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas.

Quod autem de Scythis hic ſcribit, confirmatur à Conſulto Fortunatiano in chrii s:Mos,ait,apud Scythas fuit, vt ſexagenarij per pontem mitterentur. Scytha Athenis ſexagenarium patrem per pontem deiecit,reus eſt patricidij. Hic enim ſe dicit gentis ſuæ more feciſſe. Quæ ab Eraſmo in chiliadibus prætermiſſa ſunt,& ab aliis.Varro autem apud Nonium Marcellum ſcribit,cùm ſenes haberent ſexaginta annos, tum à publicis negociis liberos & ocioſos fuiſſe.Ideóque in prouerbium veniſſe, vt diceretur ſexagenarios de ponte deiici oportere,id eſt quòd ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebant. *Scytharum mos.*

In tabulis placiti. v.c.inſtabilis placiti: quæ lectio magis arridet. Eodem verò modo quo Prudentius,Septimius Florens in apologetico,paganis obiicit inconſtantiam & iuſtabilitatem in retractandis legibus & motibus. Nonne & vos (ait) quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & ſqualentem ſyluam legum nouis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & cæditis? Et paulo pòſt: Quot adhuc vobis repugnandæ leges latent,quas neque annorum numerus, neque conditorum dignitas cõmendat, ſed æquitas ſola. Et ideò cum iniquè recognoſcuntur, meritò damnantur.Hæc ille.Hanc etiam in rem elegantia ſunt verba Theodoſij,latam à ſe conſtitutionem abrogantis.Nam in 2. Nouella de inuaſoribus: Habet hoc inſitum (ait)ſollicita æquitatis examinatio, habet ſecundatum cogitationum ſubtilior exactiórque cura: vt ſi quid in legibus ferendis poſt impetum primum deliberatio properata deliquerit, hoc conſilio propenſiore reuocetur. Permittit enim conſuetudo ipſa rerum, adſtipulantur innumera vetuſtatis exempla, *Mutatio leg.*

multas leges à ſuis latoribus adempta aut addita parte poſſe corrigi, multas tractatu maturiore penitus abrogari &c. A. Gellius lib. vlt. cap. 1. Non ignoras legum opportunitates, & medelas pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro vtilitatum præſentium rationibus, próque vitiorum quibus eſt medendum feruoribus, mutari atque flecti, neque vno ſtatu conſiſtere: quin vt facies cæli & maris, ita rerum atque fortunæ, tempeſtatibus varientur.

Cultu damnare retenti. v.c. recenti.

Tempora duxit. Al. fluxit.

Merſúmque ſolo ſeu quadrupes egit. In quibuſdam vetuſtis codicibus hæc ita leguntur conciſè, ſed tamen in vulgatis libris & manuſcriptis aliquot prolixiùs.

---merſúmque ſolo titubauit, & inſtar
Quadrupedis pueri, lactentia viſcera traxit
Mox tenerum &c.

Quanquam ſi tantum ſtudium eſt. Al. ſi tantus amor eſt.

Paucas poſuiſſe. Al. paucis.

Ex claris peperit. Al. & clar.

Roma fuit colluuies Deorum.

Aeternúmque inimicam venit in vrbem. Alij codices legunt: externúmque migrans deuenit in orbem. Idem ſenſus ſemper manet, nimirum deuictarum gentium deos Romæ receptos. Arnobius lib. 3. ait ſolere Romanos, omnes vrbium ſuperatarum Deos partim priuatim per familias ſpargere, partim publicè conſecrare: ac ne aliquid Deorum multitudine aut ignorantia prætеriretur, breuitatis & compendij cauſa vno pariter nomine cunctos Nouenſiles inuocari. Plinius lib. 28. cap. 2. Verrius Flaccus auctores ponit quibus credat, in oppugnationibus ante omnia ſolitū à Romanis ſacerdotibus euocari Deum, cuius in tutela id oppidū eſſet, promittíque illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultúmve. Quamobrem verè dixit Tertullianus, quanquam nomine vrbis ſuppreſſo, Romæ conuentum dæmoniorum conſediſſe. Nam ita ſcribit lib. de ſpectacul. cap. de apparatib. quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moueantur, ſciunt homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuentus conſedit. Idem etiam in apolog. Peregrinos Deos (ait) non putem extraneæ genti magis fautum voluiſſe, quàm ſuæ, & patrium ſolum, in quo nati, adulti, nobilitati, ſepultíque ſunt, transfretanis dediſſe. Et paulopòſt: Tot igitur ſacrilegia Romanorum, quot trophæa: tot de Diis, quot de gentibus triumphi: tot manubiæ, quot manēt adhuc ſimulachra captiuorum Deorum. & ab hoſtibus ergo ſuis ſuſtinent adorari, & illis imperium ſine fine decernunt, quorum magis iniurias quàm adulationes remuneraſſe debuerant. Sed qui nihil ſentiunt, tam impunè læduntur, quàm fruſtrà coluntur. Hæc ille. Denique huc non malè refertur illud M. Tullij lib. 2. de Legibus: Separatim (ait) nemo habeſſit deos, néve nouos, ſed ne aduenas, niſi publicè adſcitos, priuatim colunto. Et paulo pòſt ſcribit, nouos aut alienigenas colere Deos, confuſionem habere religionum, & ignotas efficere ſacerdotibus ceremonias. Nam ita à patri-

bus acceptos Deos coli oportere, ſi huic legi ipſi patres parere videbuntur.

At ſollers) v.c. ſed ſol.

Formáve an vlla) v.c. & vlla.

Lituis ciet) v.c. lituos.

An penetralia ſeruat) alij cod. ſeruans. al. curans.

Et calidis animetur tota medullis) al. & calidas animet curata medullas:

Proſpectat libera cælum) al. ſuſpectat. al. adſpectat.

Cur iam nolle licet) v.c. cui iam.

Diademate cinxit) al. texit.

Sed fit reus ipſe ſuopte arbitrio) ita v.c. alij habent, ſed fit reus ipſe per amplum Ingenium.

Quiſquis putat fato) v.c. quiſque, non quiſqui. Veteres autem dicebant quiſque, pro quiſquis. Auſonius, pareto legi quiſque legem ſanxeris. & in epigrammate in Virgilium, Longè erit à primo quiſque ſecundus erit.

Noſſe Deum) al. eſſe Deum.

Fallacibus aſtris) v.c. fatalibus aſtris.

Figere prapoſitam) al. fingere.

Natæ procinctus) v.c. natæ ad procinct.

Nunc cum Dictaus) v.c. tunc cum.

Nunc maſtigophoris) al. maſtrucophoris

Difficiliſque operis fuit) v.c. difficilis.

Inſtar erant tenuis cymba) v.c. habebat. inſtiterant, tenues cumbæ.

Venere auxilio) al. vexere auxilium.

Cæſis cuſtodibus vltro legit) v.c. cæſis cuſtodibus arcis legit.

Aſſyriaque vehi Babylonis ad arcem) al. Aſſyriáque vehi Bab. ab arce.

Miramur in arcu) v.c. mirantur.

Ad iuga depreſſos) v.c. depreſſis. De retortarum verò manuum poſt terga ſymbolo, dictum eſt abundè ad Symmachum lib. x.

Dextra dederunt omnia) malim legere vt reperi in v.c. omina. quibus in vocibus ſæpe peccarunt librarij, quod iam multi docuêre,

Oſcine parra) Sic v.c. alij libri modò habent parca, modò parta. corruptè.

Nemo Deûm monuit) v.c. nemo D. nouit.

Proſperat orbis) v.c. orbem.

Lare concilientur auito) v.c. conciliemur

Externis ad ius connubij) Sic rectè omnes libri. Nã deterior eſt lectio ſchedæ habentis, æterni. Hinc verò colligere poſſumus ętate Prudẽtij exſoleuiſſe priſcum morem, (quo peregrini à iure connubij Romani arcebantur) cùm addat mixto ſanguine, alternis ex gentibus vnam Romæ fieri propaginem, quæ communis patria dicebatur. Vlpianus lib. regularum tit. v. ſcribit ciues Romanos cum ciuibus Romanis habere connubium, cum Latinis autem & peregrinis ſi cõceſſum eſſet. Boëtius ad Topica Ciceronis, Non autem omnibus erat (ait) connubium cum Romanis, nec erant nuptiæ iure contractæ, quæ non aut inter ciuem Romanum, ciuémque

Peregrini nõ habebant ius connubij cũ Romanis.

Romanam inibantur &c.Seneca lib.4.de benefic.cap.35. Promiſi tibi filiam in matrimonium,poſtea peregrinus apparuiſti. Non eſt mihi cum exttaneo cõnubium.Eadem me res defendit quæ vetat.Papianus in fragmentis Pithœanis tit.4.Ciuis Romanus(ait) qui ſine connubio ſibi peregriuam in mattimonio habuir, iure quidem matiti eam adulteram non poſtulat &c.Et inde etiam lux adferenda verbis Quintiliaui decla. 306. vbi quidam petit nuptias eius quam matrem dicebat:Nou omnibus(ait) præmium debetur:non petet ſeruus, non petet peregrinus. Sic Macrobius Saturn.lib.1.cap.6.ſcribit cum Romauis nullam peregrinos habere neceſſitudinem.Denique in Codice Theodoſ.lib.3.tit.14.extat conſtitutio Valenr.qua ſtatuit nulli prouincialium,cuiuſcunque ordinis aut loci fuerit,cum barbara vxore eſſe coniugium, nec vlli geutilium prouincialem fœminam copulari oportere.quod ſi tales nuptiæ extiterint,capitale minatur ſupplicium. Cuius quidem in legis ſcholio notat Anianus antiquus interpres,vetita eſſe barbarorum & Romanorum coniugia. Nec fuit eius moris alia ratio, niſi quòd Romanæ ciuitatis honorem paſſim ſordeſcere & vulgari noluerunr,vt ait Tranquillus in Octauio cap. 40. Cedrenus in hiſtoriæ ſuæ compendio, narrat Theophobum Perſica regione ortum,ſorori Theophili Imperatoris matrimonio copulatū fuiſſe,lege etiam lata,quæ Perſis coniugiorum cum Romanis licentiam concederet.Sed & in antiquis monumentis tale extat exemplum datæ ciuitatis & connubij.

Imp. Cæſar diui Traiani Parthici. F. diui Neruæ nepos Traianus Hadrianus aug.pont.max.trib.por.xij.cos.iij.PP. iis qui militauerūt in claſſe.pr.Miſeneuſi,quæ elt ſub Iulio Frontone,ſex & viginti ſtipēd.emerit. dimiſſis hon.miſſio.quor.nomina ſubſcripta ſunt. ipſis liberis. poſteriſque eor.ciuitat.dedit & connub. cum vxor. quas. T. habuiſſenr, cum eſt ciuit.iis data.aut ſi qui cœlibes eſſeur,cum iis quas poſtea duxiſs. duntaxat ſinguli ſiugulas &c.

Scelerarem funere ferrum)al.in funere

Extrahere inſignes animas)al.& trahere.

Prima haſtâ dracones præcurrit) Sic Prudentius hymuo v.

— Signáque bellica

Prætendunt tumidis clara draconibus.

De his multa apud Lazium lib.7.com.Reip.Rom.cap.7. ex Claudiano lib.2.in Rufin.& in panegyrico de Cõſulatu Honorij. Sidonio Apollin. in Panegyrico ad Majorianum & Anthemiū. Ammiano Marcellino lib. 15.16.& 20.aliiſque pluribus auctoribus.

Sublimer offert)al.ſublimiter effert.

Congeſta iacent)al.coniecta.

Et alpetenus Geticos)Legendum eſt vt in v.c.& aure tenus,idque ſenſus arguit.Notum eſt illud Horatij,Segnius irritare animos demiſſa per aures, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.&Nazarius in Paneg. Ad animū languidiùs accedunt,quæ auriū via manant,quàm quæ oculis hautiūtur.

Congreſſum cominus)al.congreſſus

Quadrupes adiuncta eſt bipedi vel muta loquenti)v.c.habet,Quadrupedes bipedi abiunctæ mutævè loquenti.& neſcio cur hæc lectio immutata fuerit in quibuſdam editionibus.

Rediuiuáque ſemina ſeruat)v.c.recidiuáque.

Tramitibus,ſi centenos)v.c.tramitibus & centenos.

Vna ſuperſtitio eſt,quamuis non concolor error)ita rectè in omnibus, non autem Vana ſuperſtitio eſt.Eodem ferè modo memini locutos Honorium & Theodoſ.in l.60.de hæreticis. Cod.Theodoſ.de hæretic.lib.16. quorũ ſectas piiſſimæ ſanctioni tædet inſerere, quibus cunctis diuerſa ſunt nomina,ſed vna perfidia.Sic Fabius decla.322. Eſt quædam ſcelerum ipſorũ ſocietas,adeò vt vel vno appellari nomine potuerint. Et Diuus Ambroſius in epiſt.ad Coloſſe. cap. 3.dictum Apoſtoli exponentis, qui auaritiã idolatriæ comparat.Primum,inquit,& prægraue crimen eſt auaritiæ,nõ diſpar malitia,ſed diuerſum in nomine.Non immeritò ergo ſub vno nomine vtrumque malum oſtendir. penè enim vno explentur opere &c. Sed & ipſemet Prudentius mox ſubiungit:

Cernis,vt vna via eſt,multis anfractibus errans. Eadem denique forma M. Tullius lib.de oratore, Vna fingendi ars eſt, in qua præſtantes fuerunt Myro,Polycletus,Lyſippus,qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt,ſed ita tamen vt meminem ſui velis eſſe diſſimilem.

Multiplicis dux Dæmon at eſt)v.c.habet hoc modo, Multiplici dux Dæmon adeſt.

Spe ſequimur,gradimúrque fide,fruimurque futuris) In v.c.paulo aliter,Spem ſequimur, gradimúrque fides.Sed non tam rectè vt videtur.Sic Paulinus loquitur ſcribens ad Auſonium,

-- Quæque videt ſpernat,quæ non videt expetat vt mens.
Namque caduca patent,noſtris æterna negantur
Viſibus,& nunc ſpe ſequimur quod mente videmus,
Spernentes varias rerum ſpectacula formas,
Et malè corporeos bona ſollicitantia viſus.

Caſtíſque choris alimenta) v.c.caſtíſque choris.

Frugeſcere parciùs agros)v.c.frug.rariùs ag.

Et triſtem ſeruire famem) malè vulgò leg.ſeruire. nam rectius in v.c.ſæuire.

Exercere manus)v.c.manum.

Gallinæ pulmone rigare) ita vulgari libri & manuſcripti quos vidi.Nonnulli tamen profitentur in ſuis veteribus membranis legi, rigare: quod etiam defendi poteſt.Cæterùm ex hoc loco Prudentij, liquet olim terminum multa relligione coli ſolitum à paganis,cingi faſciolis,& gallinæ pulmone ſeu extis ſacrificari.Vnde Horatius in epod. *Sacrificia in terminis.*

-- Et agna feſtis cæſa terminalibus.

Sed & Siculus Flaccus libro de conditionib.agrorum,paulo poſt principium, teſtatur in terminis defigendis hoſtiæ immaculatæ cæſæ ſanguinem inſtillari ſolitum.Verba eius auctoris placet adſcribere, ſi ea ſtudio-

ſus deſideret. Cùm terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidã terram collocabant, proximè ea loca quibus foſſis factis defixuri eos erant, vnguento velaminibúſque & coronis eos coronabant. In foſſis autẽ quibus poſituri eos erant, ſacrificio facto, hoſtiáque immaculata cæſa, facibus ardentibus, in foſſa cooperti ſanguinem inſtillabant, eóque thura & fruges iactabant: fauos quoque & vinum, aliáque quibus erat conſuetudo terminis ſacrum fieri, in foſſa adiiciebant, conſumptíſque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides collocabant, atque ita diligenti cura confirmabãt, adiectis etiam quibuſdam ſaxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius ſtarent. Tale ergo ſacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. Nam etſi in trifinium, id eſt in eum locũ in quem tres poſſeſſores attingebant, termini ponebantur, omnes tres ſacrum faciebãt: quíſque alij in confinio domini erãt, omnes ex conueniẽtia terminos ponebant, & ſacrum faciebant: terminos autem conuenientia poſſeſſorum cõfirmabat. Hæc ille. Plutarchus autem in problematis, cap. 14. vetuſtioribus temporibus ſcribit Numam Pompilium noluiſſe quidquam animatum ſacrificari termino, præſidi pacis & amicitiæ cuſtodi: quia exiſtimabat Terminum ab omni cæde & ſanguine contaminatum conſeruari oportere.

Agrorum reddit fructus) v.c. redigit. vt paulò infrà, rediguntur in horrea fructus.

Hinc decies deni) v.c. ſeni.

Teneris capiuntur in annis) Sic legẽdum eſt omnino ex v.c. & melioribus excuſis: non autem, rapiuntur. Quanquam & hoc poſtremum non ſine colore defendi poſsit, quia adhibita vi, & extorta voluntate vt plurimũ, virgines tenellæ ſacris addicebantur, extorres domo patria. qua de re grauiter conqueritur Imper. Majorianus in Nouel. de ſanctimonialib. qua quidem vetat ante 40. annos virginem velari. Quis ferat (ait) parentes filias quas oderunt his non tam dicare quàm damnare conſiliis, vt eas in annis adhuc minoribus (ſic lego) conſtitutas neceſsitati continuæ virginitatis addicant, ac ne adoleſcentibus animis aliud velle ſit liberum, capitibus inuitarum ſacrum velamen imponant, cùm huiuſmodi obſeruatio philoſophiam relligioſa mente ſuſcipiens, non cogẽtis imperio, ſed ſpõtanea & matura deliberatione capiatur & c. Sed receptam huius loci lectionem magis amplector, quia hic de Veſtalibus ſermo ſit, quæ propriè & conſtanter capi dicebantur à veteribus. Vlpianus lib. regularum tit. 10. in poteſtate parentum eſſe deſinunt, & hi qui flamines Diales inaugurãtur, & quæ Veſtæ virgines capiuntur. Aulus Gellius lib. 1. cap. 12. minorem quàm annos 6. maiorem quàm annos. 10. natam negauerunt capi fas eſſe. Tranquillus in Auguſto cap. 31. Sacerdotum & numerum, & dignitatem, ſed & commoda auxit, præcipuè Veſtalium virginum. Cúmque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambiréntque multi, ne filias in ſorrem darent, adiurauit, ſi cuiuſquam neptium ſuarum competeret ætas, oblaturũ ſe fuiſſe eam. Cornelius Tacitus lib. 15. annal. defunctáq;

Capi dicebantur Veſtales.

virgo Veſtalis Lælia, in cuius locum Cornelia ex familia Coſſorum capta eſt. Denique Diuus Ambroſius epiſtola ad Valentinia. qua reſpondet Symmacho, Vix ſeptem Veſtales capiuntur puellæ. Nihil igitur hoc loco mutandum eſt. Quod ideo monui, quia interpretes non videntur attigiſſe.

Famulata iuuentas) al. iuuentus. al. iuuenta. id eſt in iuuenta.

Et in gelido lecto) coniunctim in v.c. legitur. ingelido, id eſt valdè frigido & tepido. Nam illa particula, in, auget vim dictionis. Sic Penelope Vlyſſi.

Non ego deſerto iacuiſſem frigida lecto.

Pectúſque iacentis Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi.) Notũ eſt quid ſit vertere & conuertere pollicem. In quibuſdam autem ſchedis, non modeſta legitur, ſed, moleſta, facili lapſu. Sed prior lectio certior eſt. Ironicos enim modeſtam virginem Veſtalem vocat, vt paulò antè eandem dixit expertem ſanguinis pietatem, & pudorem almum.

Inde ad conceſſum caueæ pudor almus & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentes
Congreſſus, mortéſque, &c.

Nam in eiuſmodi ludis & Veſtales virgines, & omnes omninò Romanorum ordines ſedere moris erat. Arnobius lib. 4. circa finem. Sedent in ſpectaculis publicis ſacerdotum omnium, magiſtratuúmque collegia, Pontifices maximi, & maximi Curiones: ſedent quindecimviri laureati, & Diales cum apicibus flamines: ſedent Augures interpretes diuinæ mẽtis & voluntatis: nec non & caſtæ virgines, perpetui nutrices & conſeruatrices ignis: ſedet cunctus populus & Senatus, Conſulatibus functi patres, Diis proximi atq; auguſtiſſimi reges &c. Suetonius in Auguſto cap. 44. Solis virginibus Veſtalibus locum in theatro ſeparatim, & contra Prætoris tribunal dedit. Idem in Nerone cap. 12. ad athletarum ſpectaculum inuitauit & virgines Veſtales: quia Olympiæ quoque Cereris ſacerdotibus ſpectare conceditur. Cùm autem hîc dicat poëta Veſtalium animos ad ictus conſurrexiſſe, & pectus iacentis gladiatoris iuſſiſſe rumpi, victorémque vocaſſe delicias ſuas qui ferociter ferrum iugulo inſereret: proculdubio reſpexiſſe videtur ad antiquam Romanorum conſuetudinem, qui gladiatores inuiſos habebant, qui vitam in certamine impetrare cupiebant: illiſque fauebant, qui contemptum eius præ ſe ferebant, vt loquitur Seneca lib. 1. de tranq. vitæ. cap. 11. & lib. 1. de ira. cap. 2. Quid de gladiatoribus? quare populus iraſcitur, & tam iniquè vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt, contemni ſe iudicant, & vultu, geſtu, ardore de ſpectatore in aduerſarium vertitur? Idem lib. 1. epiſt. 7. Quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? Plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis & obuiis pectoribus excipiunt, &c. Apud quem Senecam malè quidam illa verba, plagis aguntur, interpretatur, retibus. Nam pro verberibus & flagellis accipienda ſunt, quibus ad mutuam necem compellebantur gladiatores. Id docet Tertullianus libro de ſpectaculis his verbis. Imò qui

Veſtales aderãt ſpectaculis cruentis.

Seneca illuſtratur.

propter homicidæ pœnam probandam ad ſpectaculum veniat, idem gladiatorem ad homicidium flagellis & virgis compellat inuitum. Deniq; Lactantius lib. 6. cap. 20. Quæro nunc (inquit) an pij poſſint & iuſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis ac miſericordiam deprecátes, non tantùm patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana ſuffragia, nec vulneribus ſatiati, nec cruore contenti: quinetiam percuſſos iacentéſque repeti iubent, & cadauera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat, &c. Quamobrem cum Veſtalē hoc loco Prudentius expertem ſanguinis pietatem vocat, iocatur, & maximè pollutam homicidio ſignificat. Nam & pura manu, cruenta tamen mente (vt loquitur Apuleius) perpetrari homicidium poteſt. Idem igitur Lactantius ſuperiore loco: Neque accuſare quemquam (ait) crimine capitali licebit iuſto: quia nihil diſtat vtrum ferro an verbo potiùs occidas. Et paulò antè dixerat, eum qui hominem damnatum in conſpectu ſuo pro voluptate iugulari computat, conſcientiam ſuam polluere, tam ſcilicet, quàm ſi homicidij quod fit occultè ſpectator & particeps fiat. Saluianus lib. de prouidentia Dei 6. conqueritur in ſpectaculis olim expletos fuiſſe feratum aluos humanis carnibus, cum lætitia circunſtantium, hócque eſſe ait non minùs pænè hominum aſpectibus, quàm beſtiarum dentibus deuorari. Sic Diuus Hieronymus contra Rufinum: Procul (inquit) ſit à moribus Chriſtianis, vt ſine gladio, voluntate ſint homicidæ. Et ad Diuum Auguſtinum ſcribens: Hæretici (inquit) quos gladio nequeunt, voto interficiunt. Minutius ſanè in Octauio diſertè profitetur Chriſtianis fas non eſſe homicidium videre, aut audire, tantúmque ab humano ſanguine illos cauere olim ſolitos, vt nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noui ſſent. Sed hæc ſatis. Nam plura dicere, notarum terminos eſt emigrare, & hæc propriè alterius viſionis ſunt.

Finis Notarum ad Prudentium.

VIRORVM NOMINA,

QVÆ ADHVC SVPERSVNT, AD QVOS IN HIS DECEM EPISTOLARUM LIBRIS SCRIBIT SYMMACHUS.

A.

AGorius Prætextatus,lib.1. epiſtol.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.48.49.
Albinus,lib.8.epiſt.25.
Alleuius,lib.8.epiſt.15.
Alexander,lib.9.epiſt.24.25.
Alipius,lib.7. epiſt.66.67.68.69.70.71.
Alipij fratres,lib.7.epiſt.72.73.74.75.76.77.78.79.
Almachius,lib.8.epiſt.2.
Ambroſius,lib.3.epiſt.30.31.32.33.34.35.36.37.
Andronicus,lib.8.epiſt.23.
Antiochus,lib.8.epiſt.41.73.
Antonius,lib.1.epiſt.83.84.85.86.87.
Apollodorus,lib.8.epi.13.&lib.9.epiſt.14.
Archadius Auguſtus,lib.10.epiſt.19.20.21.22.23.25.28.34.39.47.54.63.
Atticus,lib.7.epiſt.30.31.32.33.34.
Auentius,lib.8.epiſt.40.
Aurelianus,lib.9.epiſt.20.24.
Auſonius,lib.1.epiſt.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.
Auxentius,lib.9.epiſt.5.

B.

Baſſus,lib.9.epiſt.19.22.
Bautho,lib.4.epiſt.15.16.

C.

Cæcilianus,lib.9.epiſt.47.
Calliſtianus,lib.8.epiſt.42.
Capreolus,lib.8.epiſt.7.
Carterius,lib.8.epiſt.16.&lib.9.epiſt.6.28.
Celſinus Ticianus frater,lib.1.epi.56.57.58.59.60.61.62.63.64.65.66.67.68.
Cenſorinus,lib.8.epiſt.27.
Criſocome,lib.8.epiſt.37.

D.

Decius,lib.7.epiſt.35.36.37.38.39.40.41.42.43.44.45.46.47.48.49.50.51.52.53.54.55.56.57.58.59.
Dionyſius lib.8.epiſt.63. & lib.9.epiſt.4.
Dunanius,lib.8.epiſt.39.66.

E.

Efeſtio,lib.5.epiſt.32.33.34.35.
Eudoxius,lib.8,epiſt.31.
Euſtaſius,lib.4.epiſt.60.61.62.63.64.65.66.
Euſebius,lib.8.epiſt.8.34.&lib.9.epiſt.52.
Euſignius,lib.4.epiſt.67.68.69.70.71.72.73.74.75.
Eutropius,lib.3.epiſt.46.47.48.49.50.51.52.53.

F.

Felix,lib.5.epiſt.45.46.47.48.49.50.51.52.
Flauianus Symmachi frater,lib.2.epiſt.1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.

13.14.15.16.17.18.19.20.21.22.23.
24.25.26.27.28.29.30.31.32.33.
34.35.36.37.38.39.40.41.42.43.
44.45.46.47.48.49.50.51.52.53.
54.55.56.57.58.59.60.61.62.63.
64.65.66.67.68.69.70.71.72.73.
74.75.76.77.78.79.80.81.82.83.
84.85.86.87.88.89.90.
Florentinus, lib. 4. epiſt. 50.51.52.53.
54.55.56.57.58.59.
Fructianus, lib. 8. epiſt. 3.

G.

Geminianus, lib. 9. epiſt. 15.53.
Gratianus Auguſt*, lib. 10. epiſt. 2.
Gregorius, lib. 3. epiſt. 17.18.19.20.
21.22. & lib. 8. epiſt. 26.

H.

Helpidius, lib. 5. epiſt. 76.77.78.79.
80.81.82.83.84.85.86.87.88.89.
90.91.92.93.94.95.96.
Herculius, lib. 8. epiſt. 65.
Heſperius, lib. 1. epiſt. 69.70.71.72.
73.74.75.76.77.78.79.80.81.82.
Hierophantes, lib. 5. epiſt. 1.2.3.
Hilarius, lib. 3. ep. 38.39.40.41.42.
Honorius, lib. 9. epiſt. 122.

I.

Iamblicus, lib. 9. epiſt. 2.
Ianuarius, lib. 9. epiſt. 29.
Inuitati multi ad Præturam, lib. 8. epiſt. 71.72.
Ioannes, lib. 8. epiſt. 35.
Iouius, lib. 8. epiſt. 30. 49. & lib. 9. epiſt. 56.
Ireneus, lib. 8. epiſt. 10.
Iulianus, lib. 3. epiſt. 1.2.3.4.5.6.7.
8.9.10.11.12.13.14.15.
Iuſtinianus, lib. 8. epiſt. 53.
Iuſtus, lib. 9. epiſt. 46.

L.

Lampadius, lib. 8. epiſt. 62.64.
Leporius, lib. 8. epiſt. 52. lib. 9. epiſt. 10.
Leo, lib. 9. epiſt. 27.
Leuius, lib. 9. epiſt. 61.
Licinius, lib. 5. epiſt. 70.71.72.73.
74.75.
Lollianus, lib. 8. epiſt. 4.
Longimanus, lib. 7. epiſt. 92.93.94.
95.96.97.68.99.100.

M.

Macedoni*, lib. 7. epi. 26.27.28.29.
Magnillus, lib. 5. epiſt. 16.17.18.
19.20.21.22.23.24.25.26.27.28.
29.30.31.
Marcellus, lib. 9. epiſt. 11.21.
Martianus, lib. 8. epiſt. 9.22.53.57.
72.
Marianus, lib. 3. epiſt. 23.24.25.26.
27.28.29.
Maximianus, lib. 8. epiſt. 24.
Maximilianus, lib. 8. epi. 47.50.54.
& lib. 9. epiſt. 49.
Maximus, lib. 9. epiſt. 26.
Meſſala, lib. 7. epiſt. 80.81.82.83.84.
85.86.87.88.89.90.91.
Mineruius, lib. 4. epiſt. 35.36.37.38.
39.40.41.42.43.44.45.46.47.
48.49.57.58.59.

N.

Naucellus, lib. 3. epiſt. 16.
Neoterius, lib. 5. epiſt. 36.37.38.39.
40.41.42.43.44.
Nicomachi filij, lib. 6. epiſt. 1.2.3.4.
5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15.16.17.
18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.
28.29.30.31.32.33.34.35.36.37.38.
39.40.41.42.43.44.45.46.47.
48.49.50.51.52.53.54.55.56.57.58.
59.60.61.62.63.64.65.66.67.68.
69.70.71.72.73.74.75.76.77.78.
79.80.81.82.

O.

Olybrius, lib. 5. epiſt. 65.66.67.68.
69.

P.

Pacatus, libr. 8. epiſt. 12. & lib. 9.
epiſt. 58.60.
Palladius, lib. 9. epiſt. 1.
Paſtinatus, lib. 8. epiſt. 43.

Paternus, lib.5.epi.56.57.58.59.60.
61.62.63.64.
Patricius, lib.7.epiſt.60.61.62.63.
64.65.
Patruinus, lib.7.epiſt.101.102.103.
104.105.106.107.108.109.110.111.
112.113.114.115.116.117.118.119.
120.121.122.123.124.125.126.127.
128.& lib.8.epiſt.18.19.
Perpetuus, lib.9.epiſt.12.
Petronius, lib.7.epiſt.101.102.103.
104.
Plerius, lib.8.epiſt.44.
Pœnius, lib.9.epiſt.51.
Pollodorus, lib.9.epiſt.48.55.
Pompeia, lib.9.epiſt.18.
Pompeianus, lib.9.epiſt.8.
Priſcilianus, lib.8.epiſt.5.
Probinus, lib.5.epiſt.65.66.67.68.
69.& lib.9.epiſt.57.
Probus, lib.1.epiſt.48.49.50.51.52.
53.54.55.
Promotus, lib.3.epiſt.74.75.76.77.
78.79 80.
Protadius, lib.4.epiſt.17.18.19.20.
21.22.23.24.25.26.27.28.29.30.
31.32.33.34.57.58.59.

Q.

Quintilianus, lib.8.epi.36.& lib.9.
epiſt.54.
Q.Flauius Memmius Symmachus
Q.F.lib.7.epiſt.1.2.3.4.5.6.7.8.9.
10.11.12.13.14.15.16.17.18.19.20.
21.22.23.24.25.

R.

Ricomeris, lib.3.epiſt.54.55.56.57.
58.59.60.61.62.63.64.65.66.67.
68.69.
Romanus, lib.8.epiſt.28.55.58.69.
Romulus, lib.8.epiſt.38.61.&
lib.9.epiſt 59.
Rufinus, lib.3.epiſt.81.82.83.84.85.
86.87.88.89.90.91.& libr.8.
epiſt.17.

S.

Sabidius, lib.7.epiſt.129.130.131.
Salluſtius, lib.5.epiſt.53.54.55.
Saluinus, lib.8.epiſt.29.
Sapidianus, lib.9.epiſt.16.
Seuerus, lib.8.epiſt.6.
Seruius, lib.8.epiſt.50.
Siburius, lib.3.epiſt.43.44.45.
Stilicho, lib.4.epiſt.1.2.3.4.5.6.7.
8.9.10.11.12.13.14.
Strategius, lib.8.epiſt.45.
Syagrius, lib.1.epiſt.88.89.90.91.
92.93.94.95.96.97.98.69.100.
101.
Symmachi pater, lib.1.epiſt.1.2.3.
4.5.6.
Symmachi amici Rom. lib.8.epiſt.
60.

T.

Theodorus, lib.5.epiſt.4.5.6.7.8.9.
10.11.12.13.14.15.
Theodoſius Senior, lib.10.epiſt.1.
Theodoſius Auguſtus, lib.10.epiſt.
16.17.18.19.20.21.22.23.25.
26.28.29.30.31.32.33.34.35.36.
37.38.39.40.41.42.43.44.45.
46.47.48.49.50.51.52.53.54.55.
56.57.58.59.60.61.62.63.
Ticianus, lib.8.epiſt.67.
Tymaſius, lib.3.epiſt.70.71.72.73.

V.

Valentinianus Auguſtus, lib.10.
epiſt.15.24.27.28.54.63.
Valerianus, lib.8.epiſt.68.& lib.9.
epiſt.13.
Valerius, lib.8.epiſt.46.56.
Venuſtus, lib.9.epiſt.17.
Vincentius, lib.9.epiſt.7.9.23.
Vitalis, lib.8.epiſt.48.
Vrbicus, lib.8.epiſt.32.

Z.

Zenodorus, lib.9.epiſt 3.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ FRANC. IVRETI NOTIS AD Symmachum docentur.

A.

ABiurare quid. 48
Aborigenum ius. 55
Accedere culpam. 29
Acta quid. 101
Addaces. 92
Adiri magiſtratus dicuntur. 33
Admordere. 16
Adrodere. 16
Aduocatorum conuicia. 70
Aduocatorum interdictio pœna ſolemnis fuit. 71
Ædiles vnde dicti. 34
Æmuli ſacrorum. 41
Æris vſus in ſtatuis. 99
Ætas ædificiis tributa. 6. & legibus. 36
Æterna vrbs, Roma. 58. & æternabilis. ibid.
Africanæ, pro feris Africanis. 44
Agrippina, Neronis mater. 24
Alburnus Deus. 105
Alexandri magni imago. 35
Alexander Seuerus vetuit à famoſis mulieribus matrem & vxorem ſuam ſalutari. 92
Aliquis, quidam, neſcio quis, contumeliæ proximæ ſunt voces. 100
Altaria principum. 65
Amazonium lignum. 35
Amantium iræ, amoris eſt redintegratio. 21
Amicitiæ ſedes in pectore. 47
Amictui. 49
Amites baſternarum. 78
Animalia quæ. 38
Animi malo nuncio cõſternuntur, & contrà læto recreantur. 51
Annus nouus. 11
Annulorum ſigna. 35
Anſeratim. 97
Anteloquium. 28
Antiſto. 3
Antonius Pius ſumptus ludorum temperauit. 94
Apollinis ſimulachrum aurea catena deuinctum. 105
Appius vetus orator. 55
Apophoreta. 48
Arabiana, villa. 78
Arcadius & Honorius profitentur ſeſe vltro deferre beneficia inopinantibus. 5
Arcæ. 28. Arcarius pontificalis. 28
Arma legum. 37
Aſpendius citharista. 92
Athanaſius Epiſcopus remotus à ſacramento quod obtinebat. 55
Athenæ Atticæ. 69
Athenienſiũ & Laconũ mores. 22
Athenæum. 9
Auguſtus Domini appellationem ſemper exhorruit. 8. Athenis initiatus. 41. magno ſtudio reconditorũ verborũ fœtores vitauit. 55. cõponi aliquid de ſe, niſi & ſerio, & à viris pręſtãtiſſimis nolebat. 92
Auguſtæ vrbis nomine Roma intelligitur. 77

Augurum diſciplina.55. Augurales aues.55. Augurium. 96
Auia. 38
Auſpicia in nuptiis. 60
Auſpices. ibidem.
Aureliano cõſuli ad editionem cirenſiũ dati ſunt aliquot aurei. 94
Aurigæ. 87
Auſtri. 97.& 98
Auarus. 29

B.

BAlteus conſtellatus. 49
Barbarorum & Romanorum vetita eſſe coniugia. 114
Baſterna. 78
Beneficiis petitio præuenienda. 4
Bibliothecula. 61
Blanda fomenti. 40
Bona dicta.15. Bona fides. 64
Bonæ fidei debitor. 53. Bonæ partes.91. Bono Reipub. naſci. 25
Bonuſcula. 61
Bractea. 18

C.

CAlantica. 52
Calatia. ibid.
Caligula narrix populo Rom. & Phaëton terrarũ orbi educat⁹. 24
Camillo albentes quadrigæ exiliũ pepererunt. 95
Cana fides. 63
Canephoræ. 33
Capi dicebantur Veſtales. 116
Capitulani. 86
Capitularij. ibid.
Catonis nomine, ſanctus atq; egregius ciuis ſignificabatur. 67
Cauſidicina. 75
Cautio eſt. 12
Cenſorum mos. 6
Cepheus ſtellatus. 50
Chriſtiani orabãt pro magiſtratib⁹, principibúſq; etiã paganis.58. his infenſiſſimus fuit Symmach⁹. 41.
His omnis religionis cultus in cultu ſimpliciſſimo fuit. 102. his fas nõ erat homicidiũ videre. 118
Circenſes equi. 87
Ciuitatis & connubij dati exemplum. 114. Ciuium optimorum virtus aliquid addit oppidorum celebritati. 30
Claudij imperatoris ingenioſum commentum. 25
Clericis venatio interdicta. 74
Cochleis æſtus infeſtus eſt. 19
Cognata res. 84.& 85
Commendatio. 18
Commodus Imperator, malum Reipub. 24
Commune.9. Commune bonũ. 23
Concinnatio inhumana. 17
Conſtantini laus à liberalitate & beneficentia. 5
Conſtantinopolis, vrbs æterna dicta. 58
Conſulum erat inchoare annum. 11
Copiæ. 57. Copiari. ibid.
Corona graminea. 56
Cornua taurea, tubæ. 59
Coruncani ſermo vet⁹ & obſcur⁹. 55
Coruus. 59
Craſſus & Curio culti oratores. 55
Curules equi. 86.& 88

D.

DEamare. 84
Defir. 29
Defrui quid. 84
Democriti apophthegma. 92
Deorum pax. 23
Deorum colluuies Romæ. 112
Deperire. 84
Diſciplina publica. 46
Domini qui.8. Domini rerũ, ibid.
Domitianus viuorum & mortuorũ bona quolibet titulo corripiebat. 35
Dracones, ſigna militaria. 114

Druſilla prægnans turpiter ab Auguſto abducta. 106
Duo in vno. 30
Duos ab vno vinci non eſt procliue. 63
Duodecim tabulæ priſcis & ignotiſſimis vocibus ſcriptæ. 55
Dutæ leges. 37
Dypticum. 47

E.

EDecumata res. 29
Editionum neceſſitates cum ſubſidiis facultatum & profeſſionis modo collatæ. 94
Eloquentia res non eſt triſtis. 20
Egeſtas grauior eſt inopia & paupertate. 94
Emendatio. 18
Enuncianda non ſunt ſacra. 41
Epicharis vinculo faſciæ ſeſe ſtrangulauit. 44
Epicuri apophthegma. 92
Equorum curulium mos. 87
Equi curules. 86. & 88
Enſis ſtellatus iaſpide fulua. 60
Eruendi verbum. 82
Enyalij ſiue Martis ſignum in vinculis. 105
Excudere. 88
Exitus in conſiliis. 38
Expoſtulare. 20
Exordia epiſtolarum. 53
Exſculpere. 83

F.

FAcere apud veteres eſt ſacrificare. 82
Faces in nuptiis adhiberi ſolebant. 60. & 81
Facilitas admiſſionum mirificè in principibus commendatur. 34
Fata noua. 7
Fauillas ardentes ore continere. 15
Faunorum ius. 55
Feriæ Senatorum. 61
Feriæ ocij gratia conceſſæ. 52
Feſta. 68
Fides vera. 21. Fides tecta. 27. Fides albo panno velata. 63
Fieri amat. 50
Filiatim. 97
Flauianus Quæſtor. 34
Forenſes homines malitioſi. 21
Forum iudiciale, & aduocati viſi in ſomniis anxietates denūciāt. ibid.
Fortunæ vulnera & tela. 31
Fulgétius tribunus & notarius. 69
Fuſtim. 97

G.

GAneones. 61
Gratianus beneficus & liberalis. 4
Gaudia vera. 15
Germani cuiuſdam mors. 44
Gildo. 60
Gladiatores in ſe violenti. 43
Gladiatorij ſpectaculi ſumptus omnifariam temperati. 94
Gordianus, deliciæ populi. 88
Graccus cultus orator. 55
Graccus ſine aſpirationis nota. 107
Gradiles panes. 108
Gratiam facere alicuius rei. 33

H.

HAdrianus Athenis mille ferarum venationem in ſtadio exhibuit. 74
Hector Næuianus laudari ſe lætatur, ſed addit etiam, à laudato viro. Cicero lib. 5. epiſt. 91
Herbam date. 56
Herennij Siculi mors. 44

Herodes eo
iterum inueni. 17

Hilarus auriga capitali ſupplicio damnatus. 87
Hiſpanorum equorum velocitas. 86
Home rus à ſeptem vrbibus repetitus. 30
Honor quid. 5
Horror & veneratio. 104

I

IAnus apetit, 7
Ieſcuſculum. 61
Imperator communis. 47
Imperatores, ad ſalutem publicam geniti. 57
Imperatores Rom. conſilio incóſulto ſibi diuinos honores adrogarunt. 64
Imperia magna, mortalia. 58
Impotens. 32
In ære meo duco. 54
Indicina. 75
Indiculum quid. 96
Indutui. 49
Inimicitiæ indictæ. 77
In manum. ibid.
Inſtar edicti. 24
Inſtrumenta. 26
Interitus legum. 36
Ioca & feria. 26
Ira legum. 37
Iſidis ſacra. 108
Iudices vetantur in ludis excedere duorum ſolidorum impendia. 94
Iupiter Latiaris. 9
Iurare. 62
Iuridicina. 75
Iuuandi verbum. 63

L

LÆtati animum & oculos. 90
Lætitia res eſt loquax. 20
Lacuna. 75
Laconiſmus quid. 22
Latiare, non Latiale. 9
Lex memorabilis. 31. Legum affectus. 36. Leges aliquando mutátur atque flectuntur. 112
Leno, damnum publicum. 24
Leonum coemptio non niſi venia petita à principe fiebat. 43
Libertinæ meretrices. 74
Librarij. 12
Libycarum ferarum nomine leones intelliguntur. 43
Lintea texta, lintei libri. 36
Litigantes ne in longinquis auditoriis conſectandis vexarentur ſumptibus & labore, Imperatoribus ſummæ curæ ſemper fuit. 72
Liuor. 19
Locorum ſplendor non parum honoris ciuibus adiicit. 30
Loqui monumenta. 7
Lucus denſus, ſacer & relligioſus. 104. & 107.
Lugentes læta officia obite fas non fuit. 68
Lupæ. 101. Lupanar, ibid. Lupanaria in littoribus. 102
Lyſippus egregius ſtatuarius. 115

M

MÆcenas millies vnam vxorē duxiſſe dicitur. 21. eius mollicies. 79
Maculæ remittuntur Imperiali beneficio. 32
Magicæ artes. 87
Magis, ſæpe ſubintelligitur. 31
Magiſtratus & dignitates non abſque graui ſumptu gerebantur. 94

Maior pars in ſententiis. 40
Malea, promontorium. 85
Malo publico naſci. 24
Mancipes. 72
Manſiones. 38
Manus puræ, abſtinentes & lautæ. 89
Mappa, diaboli figura. 95
Marcere ad flores refertur. 19
Martia veterum gerens Hortenſio petenti conceſſa. 106
Mauricatim. 97
Maxima Veſtalis 92
Meatim. 97
Medicæ leges. 37. Medici. 53. Medicinam facere. 57
Medius. 63
Mentior. 38
Mercedula. 61
Meretrices. 101
Merus. 15
Moſella ab Auſonio conſecratus. 17
Morſicatim. 97
Moſis facies cornuta. 106
Mille. 11
Minæ legum. 37
Miſſus ſorte educebantur à prętore. 96
Mucere, vini eſt & liquoris. 19
Mucronatim. 97
Mulieres caſtra virorum nunquam adeant. 110
Multimodis. 51
Murmur magicum. 100
Muſica facundia. 59. Muſica vnde nomen habet. 60
Mutatio legum. 111
Myronis bucula. 13. Myro excellẽs ſtatuarius. 115
Myſtagogus. 78

N

NAtura ſemper aliquid laudabile parit. 14
Næuus. 93
Nectaris ſuccus. 17
Negocia vulnerata & interfecta. 39
Nero, terrarum venenum. 24
Nero in albo citharœdorũ nomen ſuum adſcripſit. 96
Nero Pythagoræ cuidam in modum ſolemnium coniugiorum denupſit. 60
Nomen inane. 44
Nomen ſolum alicui relictum. 45
Nominis honor. 100
Notarius. 69
Nimio plus. 15
Nubes inuidiæ. 48
Nullus. 41
Nulli rei eſt. 20
Numa auctor cæremoniarum populi Rom. 41
Numera ſenatum. 40
Nunc nuper. 5

O.

OCij ratio. 3
Ocium terere. 39
Octauia adhuc grauida Antonio deſponſata. 106
Oculorum ſenſus magis efficax quàm aurium. 114
Oppida naſci, ægrotare, ſeneſcere, mori dicuntur. 93
Optio in dubiis. 69
Oraculorum defectus. 62
Orationes principum recitatæ in ſenatu. 30
Orationes veterum à precationibus initium capiunt. 56
Oſiridis ſacra. 108

P

PActæ nuptiæ. 90
Pallor ſtudiorum. 80
Papinianus cæſus. 62
Pars & partio animæ. 88
Parentum relligio. 27
Parentes magis ſuis liberis quàm ſibi conſultum eſſe volunt. 61
Paria facere quid. 83
Paſſeratim. 97
Patiens epiſcopus, laudatus. 4
Patres auaros eſſe voti. 90
Paupertas tuta. 67
Paupertas crimen non habet. 21
Paupertinus. 8
Pectus ſanctum. 47
Peregrini non habebant ius connubij cum Romanis. 113
Peierat ſæpe qui tacet. 9
Perplexim. 97
Perſis coniugiorum cum Romanis licentia lege conceſſa. 114
Peruicax. 57
Philoſophorum habitus. 13
Philoſophi acerrimi ne confidendum ijs eſſe aiūt quę videmus. 14
Pictura muta poëtica, poëtica verò loquens pictura. 110
Pietas vultu læditur. 51
Pignera. 48. & 103. Pignora. ibid.
Pilenta. 78
Plumbi vſus in ſtatuis. 105
Pœnæ gratia. 33
Pollucibilitas. 52
Polycleti canophoræ. 13
Polycletus præſtans ſtatuarius. 115
Pontificium. 81. & 82
Populi iudicium ſtultum. 92
Porcia ardentes ore carbones hauſit. 15
Poſt terga. 39
Poſtulare. 20
Potius, ſæpe ſubauditur. 31
Precationes in orationibus veterū. 55
Præcinctui. 49
Præcipitar. 65
Præfecturæ vrbanæ proprium negocium. 46
Præfectus vrbi ſibi vindicauerat cognitionem omniū criminū. 92
Præfecti Prætorio dignitas. 9
Præiudicium quid. 32
Prænestina ſeceſſio. 4
Prætoria. 6
Præuaricatio eſt tranſire dicenda, & curſim & breuiter attingere que ſunt dicenda. 9
Primigenia Veſtalis. 92
Primus aut inter primos. 95
Principum faciles aditus laudantur. 34
Principibus bonis nihil amplius licet, niſi quod liceat priuatis. 35
Principes defenſores publicæ ſalutis. 57
Proculus proconſul oneribus exceptis. 94
Promptuarium oris. 59
Prora & puppis. 71
Proſcriptio. 59
Proternus emptor. 48
Prouincia proconſularis. 66
Pſyllorum interitus. 98
Puræ manus. 88
Pygargi. 92

Q

QVadrageſimæ & quinquageſimæ vectigal. 71
Quadrigæ curules. 86
Quadrupedatim. 97
Quæſtor. 11
Quæſturæ honor. ibid.
Quinqueuirale iudicium in cauſis Senatorum. 46

Quiſque pro quiſquis. 113

R

RAbulæ forenſes. 52
Rancida Mineiua. 29
Radij capitum. 106
Refutatorij. 39
Romæ elogia. 14
Roma, vt dea colebatur. 58
Roma patria communis. 76
Relligioni dabatur opera tractu aliquot dierum. 22
Relligio neglecta, multorum malorum cauſa. 33
Relligionis ſedes in pectore. 47
Reconciliationis laus in fratribus maior, arctiórque coniunctio poſt pœnitentiam. 21
Remedium facere. 57
Repotia. 81
Reticendo fraudare. 9
Rubigo. 97
Rufini mors. 77
Rufius Prætextatus. tribunus & notarius. 69

S

SAcra principum. 64
Sacramento alligare. 62
Sacrarium principis. 65
Sacerdotes prouinciarum ab honoribus & muneribus ciuilibus habuerunt excuſationem. 67
Sacerdotales editiones. 66
Sæculum virtuti amicum. 54
Sæculis aſſignare ſolemne ſemper fuit vt bonos mores & virtutes, ſic etiam vitia. 27
Scæuus quid. 16
Salamandra animal ſtellatum. 49
Saliorum carmina. 55
Salus principis, priuatorũ ſalus. 58
Salutator. 85
Salluſtij vitia. 73
Saltim. 96
Sanctimoniales quoto anno velandæ. 116
Sanitas. 41
Sardinia ferax. 89. peſtilens & grauis cæli. ibid.
Satyri. 101
Saxones gladiatores. 43
Scarabæorũ genus fœminei ſexus expers. 110
Scenicæ donationes omnifariam temperatæ. 94
Scitamenta quæ. 11
Scytharum mos. 111
Secedebant Romani quietioris vitæ gratia. 4
Secretim. 97
Segmenta quæ. 50
Segmentatus. 50
Sellæ. 31
Senatus frequens quando præcipuè. 7
Senatus Romani elogia & tituli. 24
Senatus auctoritas in relligione. 104
Senatores adiuuabãtur in editionibus ludorũ & ſumptibus à principibus. 43
Senatorum iura tueri quis debet. 46
Senatorius ordo iubetur omni carere vitio. 25
Senatorius ordo ſumptuoſus. 94
Senectus legum. 36
Sequeſter. 59
Serui, qui fauces ſibi effregerunt, ne ludibrio populi exponerentur. 44
Seruilis nequitia. 79
Sexagenarios de põte deiici oportere.

tere. 111
Sicilia, benigniſſima vrbis Romæ nutrix. 89
Simplicus epiſcopus vir exactiſſimus. 16
Simulachrum primum Romæ factum. 99
Simulachra. 49
Sixti tertij pontificis ætas & conqueſtio. 60
Sophronis mimi. 79
Solatium. 76
Sortes. 52
Sortium beneficio certo ordine decurrebant in ſpectaculis. 95
Suffertim. 97
Superforraneus labor. 57
Suſceptus quis. 70
Sphæra ſtatuis Imperatorum olim addebatur. 107
Spartani generoſi ſanguinis. 43
Specula. 61
Specus ſacer & relligioſus. 104
Sponſæ pactæ. 90
Sportulæ nuptiales. 65
Sportulę ob introitum. 66
Sportulæ decurionum. 66
Statim. 24
Stellare. 49
Stilus. 59
Symmachus pontifex fuit maximus. 22

T

Tabularij. 86
Templa olim ſepulchra. 103
Templatim. 97
Temporum noſtrorũ ingenia non ſunt deſpicienda. 10
Temporum fœlicitas. 27
Terminus præſes pacis, & amicitiæ cuſtos. 116. Sacrificia in terminis. 115
Teſtes ſæpe dicuntur res animæ & ſpiritu carentes. 84
Theodoſius ſolebat vota omniũ beneficiis præuenire. 5
Theophobus Theophili imperatoris ſorori matrimonio copulatus. 114
Theſſalus incantator. 81
Thuris vſus in ſacrificiis. 102
Tiberius exoletis & reconditis vocibus delectabatur. 55
Tiberius vetuit per omnes prouincias ſeſe effigie numinum ſacrari. 92
Toga forenſis. 71
Togati pro aduocatis. ibid.
Traiani reſponſum. 47
Traiani imago cum ſimulachris Deorum Chriſtianis exhibita. 102
Trapeta. 52
Tribunus. 69
Tria, quæ in Deum cadere nequaquam poſſunt. 99
Trifinium. 116
Tyrij vincula ſtatuis Deorum iniiciebant. 105
Tyronum indictio. 78

V

Vectius monachus illuſtris. 13
Vehiculum publicum. 96
Vehicularis curſus. ibid.
Vena familiæ, iuſtitiæ, reipub. &c.

R

190. & 91
Ventis ſterilitates, & eiuſmodi incommoda, à veteribus aſcripta. 97
Venatio. 74
Verborum priſcorum ſtudia. 55
Verus Imperator volucri equo Praſino aurem ſimulachrũ fecit. 87
Veſtales. 91
Veſtales aderant ſpectaculis cruẽtis. 117
Veſtis alba fidei. 63
Veſtificina. 75
Vereres præſtantiores ſemper exiſtimati. 13
Vicatim. 97
Victoriæ ſignum apud antiquos. 56
Victoria pennata. 108. Victoriæ ſimulachrum alis exutum. 109. Victoriæ inuolucris ſimulachrum. 105
Videro. 49
Vindiciæ. 9
Virtus & honoris ædes. 10
Vnanimitas. 19
Vnici chariores. 74
Voluptatum Tribunus. 42
Voluptates quæ. ibid.
Vox & manus in incantationibus. 81
Vrendi verbum. 72
Vrnæ & ſortes. 95

X

XEnia pro introitu eccleſiæ. 66

SCRIPTORVM NOMINA, QVORVM TESTIMONIO ET AVCTORITATE IN SVIS notis Franc. IVRETVS vſus eſt.

A.

Abdias Babylonicus. 106
Accius. 24.90
Ælianus. 18.21.110
Æmilius Probus. 101
Æſopus in vita Alexandri. 97
Agrætius. 48.103
Alcimus Auitus. 44.96
D. Ambroſius. 19.21.23.37.39.44.48.62.69.74.83.87.91.93.95.108.115.117.
Ammianus Marcellinus. 7.8.9.10.14.19.21.25.26.27.30.31.36.37.39.49.51.53.57.58.63.64.68.69.70.72.75.76.78.83.85.86.87.95.96.107.108.114. emend. 55
Anianus vetus iuris interpres. 8.70.71.76.
Anthemius. 35.65.
Antonius Auguſtinus. 31
Appianus. 15
Apuleius. 7.11.13.15.17.20.46.49.65.66.67.71.75.80.86.88.89.102.107.118.
Arnobius Afer. 5.17.18.33.36.58.61.79.82.90.98.100.102.103.105.112.117. emend. 22.
Artemidorus. 21.
Aſconius. 6.9.32.72.80.
Athenæus. 18
Auctor vetus & incertus de rebus bellicis ad Theodoſium. 100
Auctor incertus & vetus de hiſtoria diui Apollinaris martyris. 105
D. Auguſtinus. 15.33.67.70.109.118
Aurelius Victor. 18
Auſonius. 4.9.15.16.17.18.34.50.58.68.69.89.104.113.

B.

Balduinus. 79.110
Balſamo. 32
Boëtius. 113 emend. 44.
Buchardus. 66
Burgundionum leges. 82

C.

Calliſtratus. IC. 35
Capitolinus. 4.9.16.36.38.43.49.64.65.74.88.94.96.103.
Caſſiodorus. 3.5.6.7.8.10.11.14.18.20.24.25.27.28.29.30.32.38.40.42.46.48.54.57.60.63.69.70.72.76.84.87.89.91.93.96.100.108.
Cato. 1.20.52
Catulus. 63.79
Cedrenus. 114
Cenſorinus. 78.82
Chalcidius. 82

Cicero.3.7.10.12.13.15.21.22.23.25.
26.33.36.38.39.41.49.51.52.54.56.
57.59.60.62.65.72.74.75.77.78.
83.89.91.92.100.104.112.115.
emend.101.
Claudianus.29.36.40.60.89.98.
109.114.
Clemens Alexandrinus. 60.103
Codex.5.11.19.28.32.33.35.38.39.
42.45.58.67.68.70.71.82.84.86.
91.emend.17.
Collatio legum Moſis. 36
Columella. 21.52.85
Concilia. 66.82
Conſultus Fortunatianus. 111
Cornelius Nepos. 51
Cornelius Tacitus. 26.29.30.44.
45.49.58.60.71.73.79.88.89.92.
93.116. emend.
Cornificius. 56
Cuiacius. 78.81.82.101.
Cuſpinianus. 3
D.Cyprianus. 38.71

D

Digeſtorum libri. 5.8.21.32.53.
emend.6.
Dio. 15.25.76.92.94.106
Dio.Chryſoſtomus. 67
Diodorus Siculus. 105
Donatus. 21

E

Ennodius Ticinenſis.3.6.18.20.
25.29.30.38.47.48.49.59.
60.61.63.65.72.76.85.90.93.100.
emend.15.17.19.40.81.91.96.
Epictetus. 24.67.
Eunapius Sardianus. 10.18.103
Eraſmus. 72.111
Euſebius. 101.103
Eutropius. 47

F

Faber. 91
Feſtus Pompeius. 10.15.34.40.
52.56.72.73.84.
Firmicus. 18.37.103.108.
Florus. 89
correct. 24
Francorum leges. 66

G

Gellius.3.6.7.11.12.13.17.30.32.
36.37.46.55.57.73.75.82.89.
98.112
Gennadius. 48
Gifanius. ibid.
Gloſſæ veteres. 16.18
Gregorius theologus. 22

H

Hadrianus Iunius. 32
Hallicarnaſſeus. 91
Herodotus. 98
D. Hieronymus. 12.14.20.87.
101.118
Higenus. 63
Horatius.15.21.29.33.44 54.66.72
73.79.81.88.89.97.109.110.114
115.

I

Inſcriptiones & monimenta.10.
14.22.23.28.60.67.68.114.
Ioſephus Scaliger. 56
Iſidorus. 50.57.78.99
Iulianus. 28
Iuſtinianus. 22.35.66.72.89
Iuſtinus. 86.109
Iuuenalis. 7.50.92. emend. 45

L.

Laberius. 45
Lactantius. 9.26.42.43.73.98.
101.118.

Læuinus Torrentius. 64
Lampridius.8.9.24.26.40.65.78. 87.92.
Latinus Pacatus.5.7.34.54.59.79. 91.95.106.110.
Lazius. 95.107.114
Lexicum Græco-Latinum. 17.87
Lipſius. 64
Liuius.10.14.15.22.23.27.28.32.36. 37.39.45.56.58.63.72.74.76.84. 104.
Liuius Audronicus. 90
Longobardorum leges. 81
Lucanus. 44
Lucillius. 12.84
Lucretius.3.17.20.22.51.91.94.98.

M.

Macrobius. 11.12.18.28.29.45. 52.68.91.114.
Maioriani nouell. 11.25.72.116. emend. 34
Mamertinus. 6.24.26.34.83.85.91.
Marius Victor. 37.49.73.97.103. 104.
Martialis. 8.18.49.85.89.
Martianus Imperator. 21.72
Martianus Capella. 18.32.80
Menander. 78
Minutius Felix. 27.42.62.118.

N.

Nazarius. 20.24.25.34.108.114.
Neſennius. 8
Nonius Marcellus. 8.12.15.22.24. 29.32.49.52.57.63.84.90.111.

O.

Optatus Mileuitanus. 39.67
Onufrius. 23
Oroſius. 48.60
Ouidius.4.6.11.21.23.24.30.31.37. 38.49.50.85.94.117.

P.

Palladius. 6
Panegyriſta innominatus.5.24. 45.108.
Papinianus. 64.114
Papirianus. 1
Paulinus. 11.19.39.48.51 91.99.115.
Paulus IC. 19.31.58.
Paulus Vvarnefridus. 60
Pauſanias. 105.109
Pedo. 39
Perſius. 59.80.88
Petronius Arbiter. 8.13.15.18.24. 43.88.
Petrus Pithœus. 79
Phalaris. 24
Philoſtratus. 102
Pighius. 97
Poeta quidam vetus. 18.73.104.
Pompeius. 109
Pomponius. 22
Plato. 92.63.74
Plautus.11.12.15.16.19.24.29.41.51. 52.56.61.65.69.74.
Plautus in Querolo. 9.71
Plinius.6.10.13.19.24.26.29.35.40. 44.49.55.56.65.66.73.79.86.92. emend.46.85.98.103.107.112.
Plinius iunior. 4.7.9.12.18.21.34. 38.40.44.49.50.53.54.62.63.69. 71.74.88.92.94.98.102.106.107.
Plotinus. 78
Plutarchus.10.15.25.35.43.62.105. 106.110.116.
Procopius. 69
Propertius. 16
Proſper Aquitanicus.58.82.84.
Prudẽtius.8.9.10.18.24.37.40.42. 43.48.51.58.62.76.84.89.91.98. 103.104.110.

Q.

Quintilianus.15.21.24.25.26.29. 32.37.38.41.51.52.60.63.70. 98.114.115.
Quintus Curtius Rufus. 84.102. 105.

R.

RVtilius Claudius.30.36.39.76.88.

S.

SAluianus. 11.39.42.45.79.89.118.
Salluſtius.33.39.48.
Seneca.9.11.16.18.19.21.23.24.31.37.38.40.43.44.45.47.49.53.55.57.59.64.72.75.66.78.79.86.92.94.101.104.114.117.
Seneca tragicus. 62
Seruius.27.52.55.56.63.70.78.90.101.
Siculus Flaccus. 115
Sidonius Apollinaris. 4.7.8.9.11.18.22.30.38.40.45.51.54.57.59.61.69.74.66.77.83.88.91.93.95.100.114. emend. 13.14.16.
Silius Italicus. 108.109
Simphoſius Gallus.45. emend.64.
Simonides Lyricus. 30
Sixtus 3.Pontifex. 60
Socrates hiſt.eccleſ. 58.77
Solinus. 82
Soſipater Chariſius.19.20.24.91.97.107.
Sozomenus. 55.77
Spartianus. 40.58
emend. 62.74
Statius. 64.97
Stephanus. 69
Stephanus epiſcopus. 82
Strabo. 85.89
Suetonius. 3.4.6.8.24.28.30.32.33.35.36.41.42.43.44.48.52.55.61.65.66.71.73.77.79.85.89.92.96.97.101.104.106.114.116.117.
Sulpitius Seuerus.19.74.106.110.
Syneſius epiſcopus. 45

T

TErentius. 5.20.41.59.79.
Eius vetus Interpres. 5.12.16
Terentius Scaurus. 107
Tertullianus.8 31.38.42.52.58.64.66.69.75.83.95.97.98.100.102.105.111.112.117
Theodoſianus Codex. 5.6.8.11.12.17.25.27.31.31.34.35.36.38.39.42.45.47.48.57.58.59.60.61.63.65.66.67.69.75.76.77.78.79.81.83.84.86.87.93.94.107.108.114.115. emend.9.94
Theodoſij Nouel.33.37.46.61.79.111
Theodorici edictum. 83
Timotheus Epiſcopus. 5.69.81
Trebellius Pollio, 23.35.42.49.
Turnebus. 17.40.50.81.83.108

V

VAlentinianus.11.36.48.65.69.71.72.78.93.
Valerius Flaccus. 20
Valerius Maximus.5.10.31.32.35.37.39.43.44.48.50.56 57.60.67.75.77.79.89. emend.29.97.
Varro. 19.29.52.58.63.107.111
Vegetius. 17.20.78.83
emend.7.47.
Velleius Paterculus. 106
Verrius Flaccus. 112
Victor Vticenſis. 67.76
Virgilius.16.18.20.25.29.41.48.50.52.56.58.63.65.74.81.90.91.101.113.
Vitruuius. 102
Vlpianus.18.31.76.77.90.92.113.116.
Vopiſc.16.25.30.42.44.63.93.94.

Z.

Zoſimus. 77

FINIS.

LVTETIÆ EXCVDEBAT
HENRICVS THIERRY
X. Cal. Maias, anno ſalutis
M. D. LXXX.

natura gaudet equalibus. 17. q. 37.

Pauca enim salutationis verba sunt, sed non vota prolixa. lib. 7. 201 ep. 129

Amicum tibi in manus tradimus, non quod inefficax fuerit prior commendatio, sed ut meritum eius, utramque tua testis inveniat. lib. 9. fol. 231. ep. 42. —

Plus sollicitudinis habet magistratus qui ex iudicio quam qui ex gratia venit. Ille ut meritis datus opinionem debet aequare. Iste ut beneficium ingenuus a periculo expectationis securus est. Epis. 11 lib. 10. fol. [illegible]

Maximas ingenii tui vires fortuna materia non onerat: proinde his etiam rebus intende quae ita occupatum nihil molestiae afferunt ut ipsius [illegible] fortunae [illegible]: Epis. 112. lib. 1. ad Ausonium

Pulcherrima [illegible] litera 101. lib. 9.

Nimis contumaciter agit cum fortuna qui augere [illegible] statim [illegible] ne diminuat. lib. 9. ep. 103 —

L.

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA
1971